


MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCLV
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIÆ,
Prostant apud JO. FRID. GLEDITSCHII &
LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS: Venetiis ap. JO. BAPT.
ALBRIZZIUM: Parisiis apud BRIASSONUM: Ultrajecti apud JO. BROE-
DELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMAN-
SIUM: & Amstelodami in SCHREUDERI & MOR-
TIERII iunior. officina.

MDCCLV.

Lectori Salutem.



*Non quo rationes instituti nostri, quas sequimur, apertas omnino, & in omnium notitia versantes, exponamus; sed ut in dulcem tecum, Candide Lector, super florenti horum conatuum successu, veniamus gaudii societatem, strictim a nobis satisfiet diuturnæ isti præfandi consuetudini. Repetentibus enim anni præteriti memoriam, volupe accidit cognoscere, feliciter eum, laboribus nostris, & auspiciato decurrisse. Ac sane, si ad confirmandum in cœpto tramite animum, liberalis aliorum humanitas & benevolentia mirifice valent, estque probari viris bonis omni tempore iucundum: nobis quidem ea auctoramenta adhuc præsto esse, leti meminimus. In his, publice ac privatim, ab iis viris, quorum iudicio optimus quisque multum tribuit, eisque vel verbis, vel re ipsa actionibus, quæ fallere nesciunt, probari sibi adhuc septuagenarias Musas nostras, significatum esse, primario loco ponimus, & impense, uti par est, nobis gratulamur. Hæc autem urbs, si mittimus præclara exterorum amicorum subsidia, memoribus profecto gratisque missa, hæc igitur urbs, in qua vere mercatum quendam litterarum, omniumque bonarum artium, unde quaque dixeris exerceri, nequaquam defuit fouendo partui suo, qui gloriam patriæ si non sustentavit, auxit tamen, & in altius evexit. Certe, qui in hac luce vivunt, Viri omnis doctrine, imprimisque studiorum humanitatis egregie periti, non satis habuerunt, ornare Academiam, cui adscripti sunt; verum insuper, quantum opere ament Reipublicæ litteratæ commoda, abunde, collocata his Actis nostris opera sua, declararunt. Atque hi, debitis eorum virtuti, raroque litteras iuvandi exemplo, condecorandi laudibus, rogandi præterea sunt, Lectorum non minus, quam nostro nomine, socias ut nobis impostherum quoque manus iungere, tam amplo in stadio, tam amano in campo, ne graventur. His rebus, quas circumspicimus, earum conscientia securi, merito contemnimus, qui creare invidiam nobis, qui male irasci, qui succensere iis
que.*

quaecunque ad palatum non sunt, homines in uniuersum male feri-
riatos omnes, quorum item hoc anno elapso similitates experti
sumus. Est in his aliquis e Quadorum & Marcomannorum fini-
bus, cuius nomen & memoria, nisi edendo monumento quodam li-
teratæ antiquitatis sibi consultum iuisset, mox cum ipso peritura
erat. Istum igitur aliquem pessime habuit, hanc, de qua dixi-
mus, editionem eius, modeste notatam a nobis quibusdam in locis
fuisse: neque nos adeo magnifice, atque ille, de monumento illo
ueteri existimare. Factum hoc est, nobis quidem parum super
eius commotione sollicitis. Scilicet tale hominum genus, tanto
spiritu inflatum, quibusuis asperum se monitoribus præbet, sua-
que scripta: at nos ista longinquo usu experti aimus: non com-
memorari, nisi effusis laudibus adiunctis, optat; persuasum et-
iam habet, posse se id, significanda indignatione sua, actutum ob-
tinere. In quo illi quidem uehementer errant; ignari, scilicet,
quam sinus propositi tenaces, & quam parum soleamus, aut odio
tribuere, aut gratiæ. Idem hoc sibi dictum putet, qui nuper ad-
modum in miscellaneis suis litterariis & philosophicis in famam
nostram incurrit. Fallitur, si id fame suæ additum existimat,
quod detractum alienæ fuerit. Quid enim? nos tam honestis,
assensus minime ambigui, aut suspecti, testimoniis quotidie beati,
uenabimur uidelicet corruptas aliorum & stultas laudes? Quin
age potius adæmamus præclaros operis nostri amicos, quorum ad-
huc adiuti consilio & symbolis liberaliter fuimus. His com-
mendari nostra, his placere, etiam atque etiam cupimus. Ut olim
Romanorum in theatro quodam, cum plebeiis mulier sibilis ex-
cepta esset, hæc eius vox audita fuit: Satis est equites mihi
plaudere. Nobis firmiter constitutum est, isto in laboris genere,
quod plerisque gratum & utile iudicari, non obscuris adhuc signis
intelligimus, alacriter pergere, aspernari futitium hominum ma-
rhinationes, bonis denique solis, & ingenue mentis lectoribus
scribere. Hac olim mente fuimus, hanc perpetuam nobis exopta-
mus: eaque duce, summo studio, ne uel diligentiam, uel fidem,
desiderare in Actis nostris unquam possis, Lector, cavebimus.

Vale.

No. I.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Ianuarii Anno MDCCLV.

DANIELIS EBERHARDI BARINGII CLAVIS DIPLOMATICA, specimina veterum scripturarum tradens, alphabeta nimirum varia, mediæ ævi compendia scribendi, notatiorum veterum signa per plura, singula tabulis æneis expressa. Præmissa est bibliotheca scriptorum rei diplomaticæ, iterata hac editione sic ab Auctore recognita, emendata, ac locupletata, ut novum opus videri possit.

Hanoveræ, sumptibus heredum b. Nic. Færsteri & filii,

1754. 4.

Alph. 3. plag. 19. cum tabb. æn. 73.

Quantam utilitatem tabulæ antiquæ, quæ vulgo diplomata dicuntur, in historiarum studio afferant, omnibus, qui in hæc astra defudant, notissimum est. Cum autem difficillima sit, propter characteris a nostro diversitatem, & compendiorum scribendi multitudinem, earum lectio, laborem, eruditis profecto utilem, suscepisse dicendi sunt, qui, per secula cuncta, ductum literarum, unicuique temporis periodo familiarem, sollicitè descripserunt, ac notas, monogrammata, & id genus abbreviationum, luculenter explicarunt. Hoc etenim pacto, non solum commodius his doctrinæ subsidiis uti possunt eruditi, verum etiam ea res, ad spuria & adulterina documenta, a genuinis discernenda, haud parum conducit, ita, ut quamplurimæ fabulæ, e fictitiis eius-

A

modi

modi chartis natæ, ex historia eliminari, & veritas restitui possit. Inter eruditos autem illos, qui nullis tædiis ab eiusmodi labore perficiendo deterreri se passi sunt, non ultimum occupat locum *Daniel Eberhardus Baringius*, bibliothecæ Regiæ, quæ Hannoveræ asservatur, dum viveret, custos. Is etenim, cum anno huius seculi vicesimo secundo, *I. G. Eccardo*, bibliothecæ illius olim Præfecto, itineris litterarii, quod iussu Regio per Electoratum Brunsvico-Luneburgensem institutum erat, comes daretur, compendia scribendi, in diplomatis, quorum quamplurima in isto itinere tractavit, studiose observans, tabulis postea æneis eadem exprimi, & anno 1735 in publicam lucem emitti, curavit. Successu temporis, maiori adhuc diligentia hoc argumentum pertractans, anno huius seculi tricesimo septimo, clavem diplomaticam, specimina veterum scripturarum silentem, evulgavit; quem postea librum, & propriis observationibus, & adiectis aliorum scriptis, huc pertinentibus, adeo locupletatum & auctum, ut novum opus videri possit, prelo destinavit Baringius. Quamvis autem anno præterito diem obierit supremum, neque ad eo perficere, quæ animo conceperat, potuerit, filius tamen, *Eberhardus Iohannes*, operi iam absoluto ultimam adinovit manum, utque publici iuris fieret curavit. Ut igitur quid hoc in volumine deprehendatur, eo certius constet, contenta iam eius, more nostro, exponemus. Catalogus nempe scriptorum, qui de re diplomatica egerunt, certas in classes digestus, primo loco comparet. *Sectio prima* eos in scenam producit, qui rem diplomaticam in genere illustrarunt. Ubi plurimas certe observationes, de librorum, quos laudat, Auctoribus, & fatis, Cl. Auctor congestit; quamvis, *Schannati vindicia quorundam Archivi Fuldenfis diplomatum*, ad sequens caput, quod scriptores de bellis diplomaticis in Germania agentes, continet, rectius fuissent referendæ. Scriptores postea, qui introductiones in rem diplomaticam, præcipue Germanicam, ac singularia scripta rei diplomaticæ dederunt, sequuntur; quos auctores de formulis, titulo, ac monogrammatibus, Imperatorum, Regum, ac Principum agen-

agentes, excipiunt. Ea occasione Cl. Auctor monogrammata describit, per *notas características*, seu *litteras unius vel plurium hominum, per varios ductus in unum redactas*. Scriptores, qui de sigillis, quibus chartæ antiquæ muniti solebant, egerunt, postea Idem recenset; quibus, nonnullos, qui de computo ac calendaris mediæ ævi differunt, addidit. *Sectio* huius catalogi *secunda*, quæ *de bellis diplomaticis in Germania* inscribitur, scripta eristica commendat bene multa, quæ fidem veterum documentorum, in Germania confectorum, partim defenderunt, partim impugnarunt. In certa vero capita ea sectio divisa est, & ita quidem disposita, ut unumquodque caput, civitates, episcopatus, scholas, & cœnobîa, in quorum gratiam diplomata confecta sunt, continerent, & scripta eristica, eo pertinentia, indicet. *Caput decimum quintum* istius sectionis, de *constitutione Caroli Crassi, de expeditione Romana, agit*, ubi, tam scriptores, qui illam genuinam esse contendunt, quam qui contra sentiunt, & inter commenta eam relegant, enarrantur. Ill. *Gebauceri* quoque sententia, qui in præfatione, *Schiltneri institutionibus iuris feudalis* præmissa, istam constitutionem ad *Conradum Salicum* retulit, apponitur. *Caput vicefimum septimum*, de tabulis denationis *Ludovici Pii*, in gratiam curiæ Romanæ evulgatis, agens, scriptores primo, qui contentiones, de fide harum tabularum inter eruditos agitas, congesterunt, exponit; quos illi sequuntur, qui illas Ludovici litteras in lucem protulerunt; quibus tandem illi, qui Germanum esse illud antiquitatis monumentum somniarunt, iunguntur. *Caput proxime sequens*, diplomatis cuiusdam, quod Ill. *Leibnitius* in *codice Iuris gentium diplomatico* evulgavit, ex eoque negavit, *Henricum VII* ex hostia venenata periisse, mentionem iniicit, ac *Io. Frid. Meyerum* quendam, in peculiari epistola a. 1703. evulgata, eius diplomatis fidem in dubium vocasse, narrat. In genere dicendum est, multiugam lectionem, & egregiam rei literariæ notitiam, Cl. Auctorem hic prodidisse; quamvis negandum non sit, varia itidem, quæ non ad Germaniam pertinent, cui tamen hæc sectio unice destinata erat, hic deprehendi.

Pag. 23.

26.


40.

49.

50.

- hendi. Sed pergimus. *Tertia Sectio*, scriptores, qui de tabulariis, sive archivis, nec non de Cancellariis & S. R. I. aulicorum officiis egerunt, continet. *Quarta collectio* diplomatum ac monumentorum veterum complectitur. Quamvis autem Collectores eiusmodi monumentorum, quotquot in hunc usque diem editi sunt, se hic recensuisse, Auctor gloriatur: *Sebastiani Pauli* tamen *Codicem diplomaticum sacri militaris ordinis Hierosolymitani, hodie Maltenfis*, opus, Etrusco idiomate conscriptum, de quo nos in hisce Actis nostris ad annum 1747 pag. 145. ample disputavimus, frustra hic quaesiveris. In *Sectioe quinta* illi laudantur historici, qui res a se consignatas diplomatis illustrarunt.
69. Hos inter etiam *Acta Sanctorum Auverpiensa, Caesaris Baronii annales Ecclesiastici, Ant. Pagii* in illud opus strictione, nec non *Io. Mabillonii Annales Benedictini*, comparent, de quibus præstantissimis operibus pariter, ac eorum compilatoribus, varia notatu digna Cl. Auctor appoluit. Cum interim inter scriptores Austriacos, *Marquardi Hergotti genealogiam diplomaticam Augustæ gentis Habsburgicæ* laudet, mirati sumus, eam hac occasione, nihil de lite, quæ *Hergottum* inter, & *Fridelinum Koppium*, circa fidem *actorum Murensum* intercessit, qua de re a nobis ad a. 1753 pag. 215. dictum est, attulisse. Ita etiam inter scriptores Belgicos, *Cornelii Pauli Hoyneck van Papendrecht Analecta Belgica* comparent, quem
115. librum dubio procul Auctor nunquam inspexit. Cum enim maximam partem, nil, præter documenta, historiam Belgii illustrantia, contineat, (Vid. quæ nos in hisce Actis nostris ad annum 1746. pag. 479. attulimus.) ad priorem sectionem potiori iure erat referendus. Inter scriptores Italianos, *Iusti Fontanini liber, della storia del dominio temporale della sede Apostolica nel Ducato di Parma e Piacenza*, nec non *Iusti Henningii Babmeri Vindicie Imperiales pro Parma & Placentia Ducatibus*, afferuntur. Recentissimum vero opus, in illa causa publicatum, quod anno 1741. prodiit, quatuor voluminibus in forma quarta absolvitur, & titulum in fronte gerit: *Ragioni della Sede Apostolica, sopra il Ducato di Parma &*

ſ *Piacenza*, fortassis non vidit Auctor. In *Sectione sexta*,
 scripta ICtorum, qui sua diplomatibus ac documentis il-
 lustrarunt, ordine alphabetico disposita, comparent. *Ulti-*
ma autem *Sectio*, scripta diplomatica promissa, & non-
 dum evulgata, complectitur, quibus Cl. Auctor ea adiunxit,
 quæ *Io. Heumannus*, Academiæ Altorfianæ decus præ-
 cipuum, & de hoc eruditionis genere potissimum præolare
 meritis, in præfatione Tom. II. *Commentariorum de re di-*
plomatica Imperatorum ac Regum Germanorum, inter desidera-
 ta diplomatica retulit. Post hæc vero bibliothecam diplo-
 maticam, *Io. Mabillonii* commentatio *de variis scripturarum*
veterum generibus, ex opere ipsius diplomatico descripta, in-
 tegra hic exhibetur; quam *Burcardi Gottbelf Struvii* disser-
 tatio, *de criteriis manuscriptorum*, excipit: de quibus tamen
 scriptis, cum dudum iam evulgata, & hic duntaxat recusa
 sint, plura dicere instituti nostri ratio non patitur. Sequitur
 inde dissertatio Auctoris, de significatione literæ C, quæ in
 diplomatium antiquorum fronte posita sæpius cernitur, item-
 que de illo C, quod distinctionis gratia in codicibus manu-
 scriptis sub initium ponebatur, agens. A temporibus nem-
 pe Caroli M. usque ad Ottonem IV. diplomatibus litteram
 C præponi consuevisse, observat. Eandem, mox simpliciter,
 mox, miris ductibus implicitam, ita, ut quid cernas nonnun-
 quam vix intelligas, effingi, monet, variisque exemplis osten-
 dit. Quamvis autem ab initio Cl. Auctor existimaverit, hæc
 littera, vocem *capitularia*, scilicet *ornamenta*, indigitari, quod
 idem est ac Gallorum *Vignettes*: aliter tamen, re melius confi-
 derata, ipsi visum est, quando, argumentis non omni robore
 destitutis, probare annitur, monogramina Christi, quod uno

verbo, *χρισμὸν* dicitur, & hæc figura  exprimi sole- 189.

bat, hic intelligi, & ex imperitia notariorum, Græcas literas
 non callentium, in C commutatam esse. Quodlibet insuper
 opus, in varia capita divisum, *Capitulare* fuisse dictum, singu-
 lisque capitibus, distinctionis gratia, illud C præfigi sueville,

191. observat. Varia item, de sigla C, Romanis quondam familiaris, eiusque significatione, quamvis huc neutiquam pertinentia, affert, ac diplomata quaedam, quorum fronti C præfixum est, integra cum lectoribus communicat, ductum litterarum, æri incisum, exhibens.
192. Alphabetam iam, & specimina scripturarum mediæ ævi variæ, 27 tabulis æneis incisa, hic comparent, quibus Cl. Auctor, annos, quibus conscriptum videtur vetus quodque monumentum, addidit. Compendia deinde scribendi mediæ ævi, ordine alphabetico disposita, nec non abbreviationes, quæ in antiquis codicibus, inde a seculo 13 usque ad 16 seculum occurrunt, una cum ductu litterarum inde a seculo octavo introducto, 24 tabulis æneis comprehensæ, exhibentur. Io. Wilhelmi Gebelii dissertationem, de notariis, Helmstadii 1723. habitam, ubi de notariorum origine & officiis eleganter & docte disseritur, integram hic inseruit.
197. Cl. Auctor, eique, notariorum veterum signa, una cum alphabeto cuiusque instrumenti, & abbreviationibus, ab anno 1345 usque ad annum 1521. usitatis, 18 tabulis æneis delineata, adiecit. Danielis Papæbrochii proptyleum antiquarium, circa veri ac falsi discrimen in vetustis membranis, Tomo II. Actuum SS. mensis Aprilis præmissum, integrum hic recusum est,
219. quod, Iohannis Nicolai Hertii, Icti, Antecessoris primarii, Senioris, & Academiae Giesjensis Cancellarii, dissertatio, de fide diplomatum Germaniæ Imperatorum & Regum A. 1699 divulgata;
325. Thome Rudimanni schœdiasma, de utilitate diplomatum civilis & historica, ex monumentis historiae, potissimum Scoticae, demonstrata, inde a §. 21. præfationis, quam Iacobi Andersonii
369. Scotiae thesauro diplomatum præmisit, excerptum; porro Io. Gottlieb Krausii historiæ P. P. Wittebergenfis programma, de usu diplomatum Conradi I Germaniæ Regis, nec non Iohannis Wilhelmi Waldschmidii, Academiae Marburgensis Procancelarii, Regii & Principalis regiminis Consiliarii, dissertatio iuris publici, de probatione per diplomataria (quo nomine exempla e diplomatis descripta veniunt) A. 1726 edita, sequuntur. Coronidem huic libro imponit diplomatarium
467. miscellum, quod 131 diplomata, res potissimum Saxonie inferioris

rioris illustrantia, continet. Primum eadem a se evulgata esse, Cl. Auctor contendit; ubi tamen miramur, quare non in fronte singulorum diplomatum, ex quo codice, archivo, aut bibliotheca eadem depromta fuerint, indicaverit. Antequam vero nos dicere hoc de libro desinamus, nonnulla adhuc, de illis, quæ in præfatione eidem præmissa, continentur, monenda sunt. Varia nimirum, ad rem diplomaticam, & antiquitates scribendi in genere, pertinentia, Cl. Auctor ibidem protulit in medium, perturbato licet ordine disposita. Ex materia, & caractere codicum MStorum, diplomatum, ac chartarum veterum, de antiquitate earum indicari debere, contencit, ac controversiæ, *Mabillonium* inter & *Germonium* agitata, ineminit. Per abbreviaturas, voces & syllabas contractas intelligit. Easdem, in generales sive communes, & in speciales, quæ in auctore aliquo certo & codice MSto, vel a scriba quodam hoc vel illo tempore usurpata sunt, dispe-
 scit; & de ultima earum classe, varia exempla profert in medium. Tachygraphis abbreviaturas originem debere, mo-
 net. Litteras, dictioni abbreviandæ inservientes, *notas Tironis* dici, & a *Tirone*, Ciceronis liberto, nomen accepisse, nar-
 rat; minus sollicitè autem notas illas & sigla invicem distin-
 guit, etsi differentiam eam *Gabelius*, in *dissertatione de notariis* supra citata, §. 2. probe animadvertit. Ex male lectis eius-
 modi verborum compendiis, plurimos errores in diploma-
 tum apographa irrepsisse, Auctor iudicat, & variis exem-
 plis docet. Nonnullos vero diplomatum editores mala fide
 egisse, & illa antiquitatis monumenta minus fideliter exhi-
 buisse, ac data opera mutilasse, rectè observat, eiusque rei
 specimen affert. Fictitia insuper diplomata, genuinis haud
 raro per monachos fuisse supposita, exemplis declarat, Præ-
 cipuam depravationis documentorum causam, in eo Cl.
 Autor sibi deprehendisse visus est, quod multi, cum amissis
 bonorum titulis, viderent periclitari facultates suas, in-
 strumenta ideo confuxerunt nova, ut fraudes eorum, qui
 alienis bonis inhiarent, hac pia fraude compefcerent. Præ-
 terea autem & alias fuisse corruptionis causas in instrumen-
 tis

Pag. 1.

6.

9.

12.

25.

29.

tis primariis, seu *originalibus*, alias in descriptis, quæ vulgo *copiæ* dicuntur, monet. Et tribus quidem ex causis originalia ipsi depravata fuisse videntur, cum partim ob vetustatem exemplarium, litterarumque, ac characteris obscuritatem, minus accurate describerentur; partim, in locum chartarum, bello aut incendio deperditarum, aliæ eiusdem argumenti substituerentur; partim ab hominibus versutis tales confingerentur. Exempli ab originalibus descripta, triplicem pariter ob causam corrupta fuisse Cl. Auctori videntur. Primum, ex imprudentia & levitate librariorum, qui nonnulla exemplaris vocabula aut omiserint, aut perperam immutarint. Dein, ex temeritate scolorum, qui exemplaris verba non intelligentes, aut alia pro iis substituerint, aut glossemata falsa adiecerint. Tandem, ex præpostero lectoribus consulendi studio, quando annos incarnationis in originalibus omisos, minus accurate ad-

- Pag. 30. diderint. Varios postea Cl. Autor commendat libros, in quibus compendia scribendi, seu abbreviationes, antiquis in monumentis obvix, descriptæ sunt; quamvis extra oleas vagari videatur, quando plurimos, qui in genere codicum antiquorum & *παλαιογραφίας* notitiam dederunt, magno numero hic affert, usque varios, qui de monogrammatibus egerunt scriptores, adiungit. Codices quosdam MStos, quibus in abbreviaturis notandis & explicandis usus est, deinde commemorat.
32. 39. 45. 49. 50. Ut *historia* quædam *alphabetica*, a viro docto conscriberetur, optat, & eruditos quosdam, qui hoc in genere aliquid tentarunt, commendat. Utilitatem diplomatum duplicem esse, alteram primariam, quæ & civilis, alteram secundariam, quæ & historica nominari possit, observat. Quid autem ipsi utilitas civilis, quid historica sit, nequam distincte, & prout fieri debebat, declarat; cum potius in eadem qua hæc protulit pagina, scriptores, qui de imprecationibus veterum, libris & diplomatum addi solitis, egerunt, commendat. Monendum nobis adhuc unice superest, vitæ Auctoris descriptionem, a filio editore confectam, hic comparere. Vix tamen exinde cognovissemus, quale munus cum in vivis esset Auctor, ornaverit, nisi amicus quidam, qui in itinere litterario

rio Hannoveræ constitutus, τὸν πᾶν Baringium salutavit, nos ea de re certiores fecisset. Unice enim dicitur, Auctorem a. 1719. *de bibliotheca Regia iuramento fuisse adstrictum*. Contra vero haud pauca in hac vitæ descriptione sese nobis obtulerunt, quæ prætermitti absque iactura poterant. Parum profecto refert scivisse, proavum nostri ex dysenteria fuisse mortuum, & patrem eius, ex una in alteram contagionem præcipitatum, periisse. Neque opus erat, adeo sollicitè commemorare, nostrum intra horam tertiam & quartam matutinam in lucem fuisse editum. Eundem, paucis post nativitatem diebus, sacro baptismatis fonte fuisse ablutum, neino arbitramur dubitasset; nec nomen sacerdotis, qui nostrum baptizavit, scire quispiam cupit. Inanis porro videtur opera, annos, quibus in gymnasio Quedlinburgensi constitutus, ex una classe in alteram promotus est, tam sollicitè notare, deque eiusdem nuptiis, diebus desponsationum, uxoribus, filiabus, & sexcentis aliis, quæ eruditi omnino non curant, adeo verbosè disputasse. Scripta interim a nostro confecta, satis accurate indicavit Βιόγραφος & binas eius lucubrations, ad historiam litterariam pertinentes, in MSto adhuc latere, retulit. Quæ, ut propediem, id quod promittit, ab eo evulgentur, utque ad exemplum Parentis, de orbe erudito bene mereatur dignissimus Baringio filius, ex animo precamur.

IO. GASP. HAGENBUCHII, LINGUARUM GRÆC. & Latin. Professoris, epistola epigraphicæ, ad virum illustrem IOANN. BOUHIERIUM, Senatus Divionensis Præsidentem, & ad virum celeberrimum ANT. FRANG. GORIUM, historiar. Profess. Florentinum, in quibus, hoc triennio scriptis, plurimæ antiquæ inscriptiones Græcæ & Latine, thesauri imprimis Muratoriani, emendantur & explicantur.

Tiguri, sumtibus Heideggeri & Soc. 1747, 4.
Alph. 3. plag. 9.

B

In

In eruditissimo hoc opere, Cel. Auctor, tam suas ad viros præstantissimos, Bouhierium, Gorium, Io. Blaureum, Kappium, Iselium, quam horum ad ipsum datas epistolas exhibet, quæ omnes ad penitiorum veterum inscriptionum cognitionem spectant, & ita comparatæ sunt, ut uberrimos laborum fructus eruditissimis auctoribus promittant, harumque litterarum amatores, de iis merito sibi gratulandi, iustissimas præ se ferant rationes. Omnes istæ litteræ, eximiam lucem difficillimis præcis marmoribus accendunt, illæ maxime, quas Cel. Hagenbuchio debemus, cum quo, qui in hoc studiorum genere possit comparari, admodum paucos, qui ei anteferri, habemus neminem. Observationum doctissimarum, per omnes epistolas diffusarum, tanta est copia, ut, si omnes attingere, ac brevem earum omnium summam exhibere velimus, ipsa eorum percensio nimis longa foret, & modum transgredi videretur. Sufficiat earum nonnullas, quæ notatu maxime dignæ videntur, adnotasse. Agmen

- Pag. 4. ducit *Hagenbuchii* ad *Io. Blaureum* epistola. Apud *Muratorium inscript.* indice I. DII SALIENSIS occurrit, pro quo emendatius legitur DIES ALIENSIS, ut ex vetusto quodam calendario potest comprobari, in quo verba: DIES ALL. AR. ita explicanda sunt: *Dies Alliensis Ater Romæ.* Scribitur *Alliensis*; sed rectius *Alliensis*, ab Allia fluvio, Romana clade nobilitato. Non tamen illa scribendi ratio profus damnanda. Veteres quadratarii, pro geminatis consonis, consona sæpe simplici tantum contenti fuerunt, etiam ubi geminæ dari debebant. Iste dies Alliensis, in Calendario Amiterniano, ad XV & ad XVII. Kal. Sextil. notatur, quod cur factum sit, ex *Livii Libr. VI. Cap. I.* potest quodammodo ostendi. Non solum enim ille dies, quo pugna Alliensis commissa, sed etiam quo Roma post illam a Gallis capta est, ita nominatus esse videtur. In ipsa Muratoriana inscriptionum collectione, multa marmora, iam ab aliis edita, pro ineditis falso ventilantur.
5. Errat Muratorius, pag. DCXIII. quando lege Romana interdicta fuisse connubia liberarum, seu ingenuarum cum servis, putat. Hinc male interpretatur marmor ibid. num. 4. cuius proba-
6. bilio-

bilioſam explicationem Hagenbuchius exhibet, variaque de
 reſtantiis, threcibus, aliisque gladiatoribus, erudite obſervat. Re-
 prehendiſſe porro in Muratorio, quod ſiglas inſcriptionum non
 accurate referat; ſed ſæpe in iſtis marmoribus verba, non uti
 in marmore ſunt, ſed ut legi ac ſuppleri debeant, ſuppedi-
 tet; idque inſigni exemplo probat. Inprimis nobis placent,
 quæ de nonnullis ſiglis, quibus ſyllabarum quarundam initia
 aut extrema exprimuntur, exempli gratia VDSSLBR, *vidu-*
caſſium libenter, in medium a viro doctiſſimo allata ſunt. Se-
 quitur illuſtratio egregiæ inſcriptionis Græcæ Theſſalonicen-
 ſis, a Muratorio p. DXCV. num. 2, exhibitæ, & a *Bimardo*
 miſſæ, quem eo nomine haud immerito reprehendit, quod
 ſaxi iſtis, ſuas ab ingenio ſolum profectas emendationes in-
 feruerit. Ex hoc marmore primum edocti ſumus, fuiſſe
 Theſſalonicæ politarchas, qui ſummus eo loco magiſtra-
 tus fuerunt. Multa præterea obſervationes, ad illuſtrandum in-
 ſigne hoc monumentum, a Cel. Viro adferuntur; in quibus po-
 tiſſimum ſequentes principem ſibi vindicant locum: inſcriptio-
 nes ſæpe, in referendo coniugum pari, mulierem ante virum
 ponere: prænomen Romanum, *Publius*, Græce interdum *πύ-*
βλιος, ſed longe frequentius *πέπλιος* ſcribi: Lucii non
 prænomen & cognomen, ſed gentis etiam Romanæ fuiſſe:
 virorum Græcorum nomina ſæpe in ΙΣ terminari ſo-
 lere: gentem Agileiam Romæ exſtiſſe, Fabrettinus quidam
 lapis primum docuit, hoc marmor autem Theſſalonicenſe
 abunde confirmat. Ita quoque gens Agillia, nuſquam, niſi
 in unico apud Fabrettum ſaxo, legitur. Agillia & Agileia gens
 eadem ſuit, & littera unica, docente Keiſcho, diverſitatem gen-
 tium haud efficit, cum illæ diverſo modo ſcribi potuerint.
 Muratorius ſæpe nomina gentilitia cum prænominibus, in ſuo
 inſcriptionum theſauro, confundit. Græci rariffime, qua
 matre quis natus fuerit, iudicant; quod contra Etrufci facere con-
 ſueverunt. Sunt inter gentes Romanas cognomina quedam
 virilia, quæ formam femininorum præ ſe ferunt. In diptycho
 Tigurino, quod Cel. V. Jac. Geſnerus poſſidet, cernitur figu-
 ra hominis, ſtramine diſtenta ſuffarcinataque, in quam beſtiæ

Pag. 12.

13.

14.

18.

20.

22.

24.

25.

- Pag. 28. pro vero homine scirent. Id ludorum genus, opinone, ex his *Afconii* ad Ciceronein verbis potest illustrari: *Simulacra effigiesque hominum ex feno fieri solebant, quibus obiectis, ad speculum præbendum, tauri irritarentur.*
30. Flavius nomen, ex prænomine in nomen gentilitium degeneravit. Aliquando peculiare quoddam cognomen, quo quis in ceteris suis nominibus utebatur, in antiquis monumentis, extra elogium, gignendi casu præcedit, & nomina cetera in dandi casu in ipso elogio sequuntur. Veteres sæpe magno nominum numero gaudebant, ita ut in inscriptionibus, nonnullis eorum sæpe octo & plura tribuantur.
36. Explicatur deinde epitaphium Græcum Asterii Rufini, apud Muratorium p. 1397. 1. itemque Menophili apud Fabretum infer. Cap. X. p. 731. num. 449. aliudque ex eodem p. 723. num. 442. multis ubique sparsis doctissimis observationibus. Additur saxum quoddam ex Grutero p. CCCCL. infer. 6. in quo siglæ C. MV explicantur: *clarissime memorie vir, & H. C. Heroem consecrarunt.* Ex alio marmore adnotat vir celeberrimus, sæpe carmina, diversis metris composita, occurrere
56. in vetustis lapidibus, hosque sæpe esse *διγλωττους*, Latine &
62. Græce simul inscriptos. Inprimis lectu digna sunt, quæ ibidem de Claudiani poetæ epitaphio, tam Græco quam Latino, & utriusque fusa interpretatione, deque metricis Græci
85. in Claudiani titulo distichi versionibus, fusa narrantur.
1. Has ad Blaurerum litteras excipiunt Cel. *Bouhierii observationes* in monumenta quædam antiqua. Eo spectat 1) notissima illa inscriptio, seu basis marmorea, in Nortmanniæ castro *Torigny*, a Sponio primum p. 282. eius *miscellan.* post plures deinde emendatius ab illustriss. Marchione *Scip. Masfeyo* p. 82. eius *Gallia antiquit.* select. edita: 2) marmor Thesalonicense, exhibitum in ephemerid. *Mercurie de France* mens. Iun. ann. 1737. Tom. II. p. 1314. atque ita ab Auctore in Latinum sermonem translatum:

Poh-

Politarcbis Sosipatro Pag. 6.
Cleopatra F. & Lucio
Pontio secundo, Publico Va-
lerio Sabine, Demetrio
Fausii F. Demetrio
Nicopolis F. Zoilo Par-
mentonis F. qui & Meniscus, Gaius
Agilleio Potito, Quastore
Vrbis, Tauro Ammie F.
Qui & Regillus, Gymnasti-
archa, Tauro, qui est Regillus

3) inscriptio Aquileiensis, a *Fontanino de S. Columba*, pag. 7. 109. hoc modo exhibita:

F O R T . A V G
 S A C
 C . A V C . P V L
 V . S . L . M

4) & 5) inscriptiones ex illustriss. *Maffei observationib. literar.* Tom. I. pag. 182. petita, quarum illa his verbis concepta est, quae incognitum numen exhibet:

D E O
 S I L V M I O D
 O M E S T I C O
 S E N T I A P E R
 E T P H I L V M
 E N V S V . L . P .

B 3

8.

quod

Nomen hoc Auctor pro Silvano habet, & ita in marmore ipso legendum esse statuit. Iterum alia inscriptio *libro commemorat.* pag. 183. suppeditatur:

.
 . . RI AVGVST
 . . MPER . XXVII .
 . . CIA VISPTANO GALLO
 . . CA, RVTILIO GA O.

Hanc, cum Maffio, ad Imperatorem Claudium refert, quem solum fuisse, qui IMP. XXVII. adpellatus sit, ex lapidibus notum est.

- Pag. 9. 6) Inscripção Græca, in sigillo magno Gordiani Pii Imperatoris, de quo *Tom. I. hist. de l'academie des inscriptions*, p. 216. expositum est. Possidet egregium hunc thesaurum Baudelotius; in ipso vero sigillo, Gordiani caput exhibetur, addita hæc inscripção: IEPA ZEYCTIKH ANTON. GOP-
 DIANOT IC. CEB. CTNOΔOC, *sacra Nystica Antonii Gordiani præstantissimi Augusti Synodus.* Ita interpretatur Græca verba Baudelotius; Boubierius contra, illa, hoc modo suppleta: IEPA ZEYCTIKH ANTONIOT GOP-
 DIANOT EYCEBOTC CEBACTOT CTNO-
 ΔOC, ita reddit: *sacra Nystica, Antonii Gordiani Pii, Augusti, synodus.* Variis in medium adductis interpretationis huius argumentis, egregia multa deinceps, de athletarum iselastis certaminibus, & loco Plinii libr. X. epist. 119. cum
 13. lectoribus communicantur. Deinde duodecim literæ ab Hagenbuchio & Boubierio vicissim scriptæ, prodent, in quibus ad multa præclara marmora eruditissimæ observationes, quæ universæ rei literariæ eximiam lucem adfundunt, adferuntur. Quæ præ ceteris notatu digna videntur, adnotasse hoc loco sufficiat. Eo spectant, quæ ab *Hagenbuchio* de inscripçãoibus Græcicis pag. CCLIII. num. 2. p. CCLVIII. num. 3. p. CCLII. num. 3. p. CCLXII. num. 6. de translationibus
 lapi-

lapidum veterum, indeque suborta locorum confusione, de Pag. 15.
 marmore Torigniano, de inscriptionibus *διγλώσσις*, item-
 que Græcis, Latino charactere expressis, differit: quæ porro a
Bouhierio, de Muratorii, in colligendis exhibendisque marmo-
 ribus summa negligentia: de marmore supra laudato, apud
Gruterum p. CCLIII. *num. 2.* num idem sit, quod occurrit
 p. CCLVIII. *num. 3.* de admissa diversitate casuum in una
 eademque inscriptione: de siglis C. MV. num illæ explican-
 de sunt, *censo municipalis*: de marmore denique apud FA- 21.
 BRETVM Græco, p. CCCCLXV. *num. 100.* cuius secundum
 versum ita scribit, ΜΗΤΕΡΑ ΤΕ ΕΥΤΕΚΝΟΝ ΕΥΔΑΙ-
 ΜΟΝΕΣ Ω ΗΑΡΟΔΙΤΑΙ, in medium allata sunt. Ad
 singula hæc momenta accuratissime respondit Hagenbuchius,
 Bouhierii coniecturis atque explicationibus confirmatis par-
 tim, partim reiectis: quo ea præcipue referenda sunt, quæ
 de siglis C. MV adnotat, quas aptius, quam Bouhierius, red- 37.
 dit: *Clarissime Memoria Vir, C. M. F.* apud Gruterum
 DCCXXIV, 7. *Clarissime Memoria femina.* Bouhierius expli- 38.
 cat deinde non solum aliud marmor, ab Auctoribus *memoria-
 rum Trivoltiens. mens. Maio*, MDCCXVI. aliisque pluribus,
 sed vitiose, exhibitum:

B O R V O N I . T
 M O N A E . C . I A T
 T I N I V S . K O
 M A N V S . I N
 G . F R O . S A I V
 T E . C O C I L I A E
 F I L . S . E X . V O T O

sed differit quoque de Sergio Scipione Orfito, qui consul
 fuit anno Chr. CXLIX. & contra communiter receptam per-
 suasionem demonstrat, fuisse hunc virum, non ex familia *Cor-
 nelia*, sed CAL Calpurnia: porro de siglis H. C. quas Hagen-
 buchius interpretatur HEROEM CONSECRARUNT,
iple

- ipſe vero rectius, HIC CONSECRARUNT: de inſcriptione Lugdunenſi apud Muratorium p. MLV 2. deque aliis pluribus. *Hagenbuchius* ſuſe ibidem diſputat de diptycho Tigurino, quod prius ad Bouhierium mittere conſtituerat, ac cum ipſo, quæ de eo ſentiret, communicare; quam ad Gorium, ut eius diptychorum collectioni, quam vii celeberrimus Florentiæ parat, infereretur. Pari modo doctiſſime ab ipſo explicatur fixam Borbonii apud Gruterum p. CX. num. 4. refutaturque ea, quæ Bouhierius, ex ſaxo quodam de Sergio Calpurnio Scipione Orſito elicere voluit, doctiſſimis ubique ſparſis obſervationibus. Dignæ quoque ſunt, quæ ibidem legantur, doctiſſimæ eiuſdem, ad inſcriptionem Lingonicam, adnotationes.
- In altera eiuſdem, quæ ſequitur, ad Bouhierium epiſtola, quædam ad Varronis locum libr. II. de re ruſt. cap. 1. num. 7. de nominibus Romanorum *brutiſoni*, in medium adferuntur.
70. Mouſtratur deinde, a cognominibus *Capri* & *Capra* orta eſſe nomina gentilitia *Capriorum* & *Capriliorum*, de quibus ſuſe diſputatur; itemque de nomine *Abianus* apud Muratorium p. MDCCXXXVI. 7. utrum illud verum ſit nomen, an in *Libianus* mutandum: de Herodis Antici, *ἀρχαία γράμματα* curioſe & critice imitati, monumento: de alio apud Muratorium ſaxo, p. 1693. num. 1. ad quod diſputatur, num in illo vox ΔΕΥΟΜΕΝΟΝ retinenda, an in ΤΕΤΟΜΕΝΟΝ mutanda ſit; ubi ſimul quædam de eſſato Luc. XVI, 24. & de lapide Muratoriano, p. 1339. inprimis de illis, qui p. 154. 7. exſtat, dicuntur. Pari ratione & multa alia marmora, maximam partem ex Muratorio deſumpta, vir celeberrimus explicat, emendat, corrigit quam doctiſſime, additis ubique obſervationibus, ad marmorum antiquorum interpretationem utiliſſimis. Ex quibus hæc poſſimum notabimus. In monumentis *Narbonenſibus*, ſigla L. cognominibus præpoſita,
91. omiſſo etiam patroni prænomine, *libertos* ſignificat. Liberti
94. feminarum prænomine patris patronæ dicuntur. Fuit olim & ſingulare collegium annulariorum, ſ. *tralle* & *gyplatorum*,
95. quamvis id adhuc incognitum ſit, nec eius mentio facta in
anti-

antiquis monumentis. Sæpe, quæ prænomena vulgo sunt, cognomina fuerunt apud Romanos, ut de Marci, de Lucii prænominibus constat. In inscriptionibus Ancyranis haud raro regula, qua ν ante γ in γ , ν ante β in μ mutatur, negligi solet, ut $\lambda\alpha\nu\gamma\epsilon\iota\omicron\varsigma$, $\sigma\upsilon\beta\iota\omicron\varsigma$, &c.

Hæc Hagenbuchius. Sequuntur litteræ Bouhierii, quibus non solum diptychum Turgurinum, de quo Hagenbuchius ad ipsam scripserat, explicatur, & hæc in illo verba: Pag. 93

EXC. SAC. STA. ET. M. M. P. OR. EXC. C. OR

ita supplentur:

EXComite SACri STAuli ET Magistro Militie Per ORientem, EX Consule Consul ORDinarium.

sed deprehenditur quoque ibi illustratio diptychi Brixiani. Auctor siglas NAR ita seungit: N. AN. easque legit *Numerius Anicius*, quæ vero sequuntur: EXPPPVECCONS &c. hoc modo interpretatur: EX *Præfeto Prætorio, Præfeto Urbis SECundo CONSul ORDinarium ET PATRICIum*. Qui in illo nominatur, Boethius, ex tribus, qui olim cogniti fuerunt, ille esse videtur, qui consulatum anno CCCLXXXVII. gessit, & qui alibi Flavius Boethius adpellatur, nomine nimirum familie, quod proceres fere omnes, consules, præfeti prætorio, præfides, sibi honoris causa adscripserunt. 100.

In aliis, quæ subiunctæ sunt, eiu scilicet doctissimi viri litteris, præter multis supradictis, diversarum, apud Muratorium, F. b. e. t. m. rel. inscriptionum explicationes doctissimas, inquiratur sedulo in nomine familie Scipionis O. fiti, quod cum Norfio Hagenbuchius fuisse *Pattii*, non ut alii *Cornelii*, vult; ad utraque deinde multis aliis marmoribus, partim parum, nec uti decet, cognitis; partim plane ineditis. In his multa notanda digna occurrunt, quæ Cel. Auctor erudite illustrat. 109.

Has litteras excepiunt Hagenbuchianæ, in quibus, præter alia, hæc potissimum notanda digna occurrunt: Aeduarum Augustodunorum & Bibracte. duo vicina oppida, nonnulli confundunt incepto, & pro uno eodemque habent: locorum genii, in locis, 122.

C qui-

- quibus præsidere existimabantur, ab aliorum locorum hominibus quoque culti sunt. Gens *Orcia* rarissime occurrit, & forsitan in unico saxo a Sirmondo dato; ea tamen eadem, quæ *Orcia* apud Fabretum p. 636. num. 305. fuisse videtur.
- Pag. 131. Flavia, Aeduorum urbs, quæ nunc ab incolis *Flavigny* vocatur, cuiusque Eumenius rhetor mentitur, eadem est quæ Augustodunum; ipsum tamen Eumenii locum glossemate laborare, nonnulli credunt, eicique putant verba, *Julia, Pola, Florentia*, debere. Locus *Suetonii de illustr. grammat. Cap. XVI.* glossemate itidem est depravatus. Verbum *scatere* proprie de fontibus, aquarumque copia, dicitur. Multa quoque ibi de vocabulo Græco *δυστοχαι*, eiusque significatione, ac de loco *Propertii* II. 5. Apud Muratorium pag. 154. num. 7. nomen
132. EYENIOS non gentis nomen indicat, quum nusquam Eugenia gens legatur; sed generis nobilitatem. Græci diphthongum AI etiam ante consonas corripuerunt. Epigramma Græcum apud Sponium p. ult. num. CXXXV. & apud Fabretum p. 731. num. 451. emendatius sistitur, addita doctissima interpretatione; cui aliud subiunctum correctumque cernimus ex Grutero, p. 419. infer. I. Occurrunt nonnunquam marmora, in quibus filii aut filia, neutrum ex parentibus suis habent nomen aut cognomen. Eiusmodi liberi sine dubio ad naturales sunt referendi, qui per adoptionem in aliud transferunt nomen. His expositis, quaestio, utrum τὸ L vel LIB cum genitivis patronorum æque subintelligendum omittatur, ac vulgo cum genitivis dominorum, seu heroum ellipsis vocis *servus* occurrere soleat, fuscè pertractatur, sparsis ubique observationibus doctissimis, quæ ad veterum servorum libertorumque nomina, eaque in saxis antiquis scribendi exprimentisque rationem, penitus cognoscendam, spectant.
203. In aliis celeb. Hagenbuchii ad Bouhierium litteris, emendantur atque illustrantur inscriptiones apud *Fabretum* pag. 744. num. 818. p. 634. num. 290. *Gruterum* p. 269. num. 3. pag. 955. num. 4. *Muratorium* p. 1184. *Gruterum* p. 302. num. 2. p. 300. 1. *Sponium* p. 55. *Muratorium* p. 412. num. 4. ad
16. quem lapidem recte observat A. τὸ S, ornatus loco, in fine vocum

cum abbreviatarum, nunc ad summitatem literarum, nunc ad imas literas, minuscula forma adpingi. Pari modo egregie explicatur inscriptio quædam Tournesfortiana, & alia, quæ in *diario eruditorum Parisiensi mens. Aug. 1742.* & apud Muratorium *adpend. post Tom. IV. præfationem num. 55.* seu p. 10. exstat. Monstratur deinde, epigramma Gruterianum p. 450. num. 1. ex tribus epigrammatibus male conflatum esse: recenseri ap. Muratorium *adpend. post Tom. IV. præf. num. 55.* tria prætoria, omnibus Gallis, pariter ac apud Claudianum p. 2. ed. Barthianæ, num. 9. & 10. Quæ deinde de anno & die emortuali imperatoris Valentis sequuntur, memoratu digna sunt. Satis constat, imperatorem hunc, teste Idatio d. V. id. Aug. diem supremum obiisse; præinde merito quaeritur, quomodo nomen huius Valentis in inscriptionibus, legum, serius datarum, adhuc legi possit, nimirum *libr. III. tit. 5. leg. un. libr. IX tit. 31. leg. un. libr. II. tit. 7. leg. 2.* Commode huic difficultati subveniri posse, Auctor noster arbitratur, si in harum prima, pro *Valente VI. & Valentiniano II. Conf.* legamus: *Valente V. & Valentiniano Iun. Conf.* In secunda, loco verborum: *prid. cal. IAN.* substitui potest: *pridie cal. IUN.* In tertia lege, eadem, ut in prima, emendandi ratio adhibetur, ita ut pro: *Valente VI & Valentiniano III.* ponatur: *Valente V. & Valentiniano IVN.* Adduntur his quædam de gente Romana VIPSTANA atque VIPSANIA, quas alii confundunt, alii rectius distinguunt. Ad has de celsissimas Cel. Hagenbuchii literas ita respondit Bouhierius, ut si non tam diffusam lectionem, æquale tamen ingenii acumen, & iudicii vim, luculenter prodat. Singula momenta, ab Hagenbuchio in superiori epistola pertractata, diligenter examinat, quo maxime illa spectant: Urum antiquum nomen BIRRACIE civitatem Augustodunum indicet; num poete Græci diphthongos OI & AI corripiant, cet. Inscriptionem apud Sponium p. 376. num. 135. v. 4. ita emendat: *ΣΚΙΠΙΑΔΑΙΣ ΔΕΙΗΕΛΑΟΝ ΕΥΤΕΝΙΗ ΤΕ ΗΡΕΙΟΝ,* Quod & Scipiadas & nobilitatem generis decet. Romanos, loco nominis paterni, nomen

men matrum nonnunquam gessisse, ex variis inscriptionibus ibidem probatur. Ostenditur porro, non satis expeditam & extra omnem dubitationem positam esse Hagenbuchii sententiam, partim de omisso *Liberti* in inscriptionibus titulo, partim de eo, quod servus suos proprios servos manumittere potuerit. Adfertur ibidem exemplum ex Grutero p. 1034. 2. ex quo patet, nomen patroni nonnunquam inter duo liberti nomina fuisse positum. Fule deinde explicatur hæc Græca inscriptio:

ΜΙΘΡΗΣ ΕΝ ΟΡΓΑΔ ΚΩΜΑ ΤΩ
ΣΩΜΑ ΚΑΛΥΠΤΕΙ ΧΥΝΔΟΝΑΚΤΟΣ
ΙΕΡΕΩΣ ΑΡΧΗΓΟΥ ΔΥΣΕΒ. ΑΠΕΧΟΥ
ΑΥΣΙΟΙ ΚΟΝ. ΟΡΩΣΙ

250. additis simul tam ad illam, quam ad ea generatim, quæ in his litteris pertractata sunt, observationibus Hagenbuchii eruditissimis.
270. Sequens Viri Cl. ad Bouhierium epistola, maxime ad diptycha veterum, quæ adhuc supersunt, explicanda illustrandaque spectat. Ex illa hoc potissimum adnotasse sufficiat. Diptycha, Divionense & Tigurinum, eundem consulem referre videntur, quod & maxime ex eo patet, quod utrumque unam eandemque inscriptionem, quoad consulis dignitates, habet. Differunt tamen parte inferiori. Divionense enim venationes theatrales refert, Tigurinum contra gratissimum illud, ut dicitur, *Pancarpum*. Eo spectat, quod a magistratu, consule imprimis, varii ludi magnificentissimi ederentur. Id Boethius indicare, ipsumque hoc onus senatorium, ad edenda munera sumuosa, & patrimonio damnosa, *praturam* vocare videtur. Ipsi ludi consulares ab Asterio vocantur *consus iactura*, cuius versus ex membraneo Virgilii codice Mediceo adducuntur, emendantur, explicantur. In inscriptionibus sepulcralibus, formula, *Θεοῖς χθονίοις* pro *Θεοῖς κατὰ χθονίοις* occurrit, apud Romanos DIIS INFERIS SACRVM, per quo etiam D. M. I. Dis Manibus Inferis: D. M. S. item D. S. I.

D. S. I. &c. ponunt. In Diptycho Brixiano, verba ab initio posita: EX. Præfecto Prætorij cer. quomodo interpretanda sint, quidve sibi EXPRAEFECTVS velit, fufe & erudite disquiritur. Quas quis dignitates diversis antea temporibus gessit, illæ in inscriptionibus sæpissime una enumerantur; hincque patet, quare in illis dignitates consulis ordinarii & magistræ militiæ coniungantur. Comites domesticorum ad magistræ militum honoris augendi gratia promoveri solebant; unde fit, ut COM. DOMEST. & EXMAGISTER MILIT. iungantur. His expositis, singula hæc in diptycho Divionensi verba: EXComite SACri STABuli: ET Magister Militiæ Per Orientem: EXConsul Consul ORDinarius, erudite & fufe explicantur atque illustrantur. Diptychon Tigurinum ad ann. Christi CCCC referendum esse videtur; Fl. vero Constantii Felicis consulatus ad annum Christi CCCCXXVIII. quod ibi contra Bouhierium ostenditur. Non sine detrimento multi verba lapidum exhibuerunt, non quomodo illa re ipsa in lapide essent, sed qua ratione illa ipsis supplenda sunt visa. In ipso Fl. Felicis diptycho, pro FL. legitur FI. Literam enim L vetustas, sæpe in I, detrita altera linea, mutare solet. Cognomentorum veterum omnium cognoscendorum ratio, hodie nullo pacto, uti decet, institui potest, id quod variis exemplis demonstratur, & inter alia observatur, unum hominem, duarum sæpe, in lapidibus, plurimve civitatum civem legi; egregie simul illustrata inscriptione apud Muratorium, p. 1160. num. 6. Multa deinde & erudite dicuntur de diptycho Fl. Felicis, de epigraphis, Asturii, Ricimeris, & diptychi Tigurini, de diptycho porro Boethii consulis, cuius singula verba accurate & fufe ibi explicata cernimus.

Sequuntur deinde Cel. Hagenbuchii ad Gorium, & huius ad illum epistolæ. In illarum prima, variæ inscriptiones, quæ in tertio inscriptionum Etruriæ tomæ Cel. Gorii sunt, explicantur ac corriguntur. Harum emendationem, atque observationum nonnullas, hic indicasse sufficiat. Pro PHRYGIA VDIC legitur PHRYG. LAVDIC, ipsumque vocabulum LAVDIC idem est ac LAODICEA; ubi simul varia de

Pag. 291.

293.

297.

301.

316.

316.

- Pag. 364. colonia Laodicea & Laodiceis urbibus, in medium adferuntur. In vocum Græcarum compendiis, sæpe initialis tantum littera & casus terminatio est incisa, quod ex orta Rom. XII. I. lecto omni diversitate ostenditur, aliis codicibus KAIPΩ aliiς KYPIΩ legentibus, quam in KΩ habere ut. Sed ipsa hæc sigla KΩ & in Græca inscriptione apud *Gorium Tom. III inscript.* Etruriz occurrit, quæ interpretanda videtur KΩMH, uti & apud *Gruterum* p. MLII. *in/cr.* 6. Mensis Xanthicus, cuius nonnunquam in Græcis Lapidibus fit mentio, respondet Romanorum Aprili, ubi tamen probe notandum, aliam apud Syro Macedonas, aliam in Asia proconsulari, anni formam obtinuisse. In numeris Græcis interdum a communi ordine discedere, & minorem numerum maiori præponere solent veteres, ac pro IA sive XI, scribere in nominentis antiquis AI. In antiquis inscriptionibus sæpe alteruter ex consulibus tantum legitur, omisso collega, quod variis exemplis comprobatur, ac deinde fufe, data occasione, de gente Collegia disputatur.
385. In alia, quæ sequitur epistola Hagenbuchiana ad Cel. Gorium data, duo sigilla ærea explicantur. In horum altero occurrit nomen *Cleopatri*. Cleopatra sæpius, Cleopater vero, tanquam vitile nomen, fere nunquam, tantummodo in *Fabricii bibliotheca Græc. Tom. XIII.* memoratur, ubi *Cleopater medicus* occurrit. In altero sigillo legitur: C. LVCCE. LATINIA. Coniugum hæc nomina esse credit vir celeberrimus, & viri quidem C. LVCCEius, uxoris vero LATINIA, fuisse autumat. Additis deinde nonnullis, ad indices Etruriz inscriptionum a Gorio editarum pertinentibus, observationibus, diarium publicum imprimendum suadet, in quo auctores suos ipsi errores indicarent, quos, si maxime novæ editorum librorum editiones haud parantur, reticent, & simul alios decipiunt. Fufe deinde explicat Græcum Guarnacciani musei epigramma, Menecrati, Apollonii filio, Attali nepoti factum, aliudque ex Reinesio *Class. XII. inscr.* 104. pag. 683. desumptum, Antho, Herinogenis & Firmæ filio, positum. Huic addit elegantissimum epigramma Græcum

cum ex Muratorio, p. MDII. II. quod acute & docte emendatur atque explicatur.

Quæ sequitur, celeberrimi viri ad Gorium epistola, Pag. 410. fufe illustrat insigne monumentum Colotianum, olim Romæ, nunc Gaddiorum Florentiæ, a Muratorio p. 1727. inter 8 post *Ligorium*, *Reinesium*, *Sponium*, aliosque supeditatum. Singula egregii huius lapidis verba examinantur, eorumque vera monstratur sententia, additis observationibus, ad inscriptiones veteres Græcas illustrandas, utilissimis.

In aliis litteris, indices Gorii, ad inscriptiones Etruriæ confecti, examinantur & corriguntur. Explicatur porro de novo saxum Guarnaccianum, iam supra illustratum, sed secundum alium typum. Quæ hanc explicationem excipiunt observationes, ad alia, nominatim thesauri Muratoriani & Goriani, marmora illustranda & explicanda spectant, ex quibus selectas nonnullas dabimus. Sæpe cognomina tantum dantur in lapidibus, si prænomina & nomina gentilitia iam ante relata sunt. Genitivum heri, seu domini, vulgo servorum nominibus suffigi solitum, eisdem interdum præpositum fuisse, probabile videtur. Papias servile quoque nomen fuit. Locus *Plinii libr. X. epist. 119.* post *Petitum leg. Att. p. 92.* a *Boubierio* emendatus, de novo tentatur, itemque effatum *Varronis libr. II. de re rust. Cap. I. num. 7.* Nomen Dei incognitum, *Silvius*, commode in *Silvanus* mutatur. Quæ Passerius de Cirone seu Cerone, Umbrorum veterum Deo, a quo denominationem librorum Acheronticorum Tuscorum repetendam esse sibi persuadet, in medium attulit, merito reiiciuntur & exploduntur. Erudite deinde hæc inscriptio, quæ Tom. III. musei Etrusc. pag. 51. num. 56. est, explicatur:

D. M.

FABIAE IVSTAE QVAE VIXIT AN
 NIS XXXI. MENS VNO DIEB. XXI.
 L. FABIUS CRESCENS CONIVGI KA
 RISSIMAE D. S. B. M. FECIT SIBI ET
 CL. ASCLEPIO FRATRI ET LIBERT
 LIBERTABVSQ. POSTERISQV. EO
 RVM

atque inquiritur potissimum, utrum CL. ASCLEPIVS fuerit
 frater FABIAE IVSTAE an L. FABII CRESCENTIS, addita si-
 mul hac observatione: usum pronomini reciproci & re-
 lativi, in faxis multis, latinissime distinctum reperiri; pos-
 sessivum autem, cum substantivis, *pater, mater, frater,*
soror &c. optimam saepe latinitatem omittere. Additur
 porro haec inscriptio:

Pag. 457.

D. M.

C. TVLLIO IVS
 C. VETTIVS CRY
 SOGONVS. PRA
 TRI OPTIMO

B. M.

459. ubi imprimis de difficili quaestione disputatur, quid sit quod
 duo hi fratres diversam agnoscant gentem. In sequentibus
 varia ad alios lapides spectantia, memoratu digna occurrunt,
 quo potissimum haec referenda sunt: duo interdum lapi-
 de d. n., sive in iisdem, sive in diversis locis, qui ean-
 dem habent epigraphen, & genuinae quidem antiquitatis, ita
 tamen, ut quoties occurrant, *ἀντίγραφος*, eosque peritos, accu-
 rate eos examinare, opus sit. Ad finem huius epistolae, figli-
 num monumentum:

PAE.

PAE. ET. APR. COS
OP. D. DIONYS. DOMITI FLVCTI

egregie illustratur.

Litteræ Gorianæ, quæ Hagenbuchianas excipiunt, exhibent tredecim nuper erutas Neapoli inscriptiones, græcas partim, partim latinas.

Finem denique elegantissimi huius commercii epigraphici faciunt litteræ Hagenbuchii, ad IO. ERHARD. KAFFIVM scriptæ, quibus argumentum de certaminibus sacris, periodicis, œcumenicis, iselastis, quod is aliquo schediasmate illustrare tentaverat, Auctor noster amplius persequitur, ex inscriptionibus illustrat, harumque plurimas illustrandi atque explicandi occasionem sibi facit.

Sub finem addita est elegantissima Hagenbuchiana commentatio, ita inscripta: *Τεσσαρακοσολόγιον Turicense; sive inscriptio antiqua, ex qua Turici sub imp. Romanis stationem quadragesimam Galliarum fuisse, primum innotescit.* Saxonum hoc, singulare urbis Turicensis ornamentum, titulum sepulcralem continet, & in ipsa urbe Tiguri d. XV. kal. Iun. MDCCXLVII. erutum est. Verba in illo ita expressa leguntur:

D. M
HIC SITVS EST
LAELVRBICV
QVI VIXIT AN
VN MVDV
VNO AVGLIB
PP STATVR CA
XLCEÆSECW^N
B DVLCISSIM F

D

quæ

quæ ita explicantur: *Diis. Manibus. HIC SITVS. EST. Lucius. AELIUS. VRBICVS. QVI VIXIT ANNO VNO. Mensibus. V. Diebus. V. VNIO AVGVSTI. LIBERTUS. PRÆPOSTUS. STATIONIS TVRICENSIS XL. (quadragesime) Galliarum. ET. AELIA SECVNDINA PVERO DVLCISSIMO Fecerunt.* Singula verba, pro more suo, id est, solide & erudite, Auctor illustrat: sed & multis aliis præstantissimis antiquitatis monumentis, data occasione, egregiam lucem accendit, aditumque lectoribus, iam exercitatis, ad intelligentiam difficillimarum veterum inscriptionum, ex animi sententia patefacit.

BIBLIOTHECA MELLICENSIS, SEU VITÆ ET scripta inde a sexcentis & eo amplius annis Benedictinorum Mellicensium, Auctore R. D. P. MARTINO KROPFF, Austriaco, antiquissimi & exempti Monasterii Mellicensis Ord. S. Benedicti in Austria inferiore Professo, & Bibliothecario, qui etiam Catalogum selectorum nonnullorum Manuscriptorum addidit, & hic primum ex Bibliotheca MStorum Mellicensi publica luci commisit.

Vindobonæ, sumptibus Io. Pauli Kraus, bibliopolæ, 1747. 4.
Alphab. 4. plag. 3.

Vides hic, Lector, novum opus litterarium, typis haud inelegantibus, parum tamen adcuratis, excusum. Panditur nempe Bibliotheca virorum, qui inde a sexcentis, & quod excurrit, annis, Mellicium, insigne Benedictinorum Monasterium, non pietate modo, sed doctrina etiam scriptisque illustrarunt. Doctissimus huius Voluminis Auctor, eorum excitatus exemplo, qui diversorum iam Religiosorum Ordinum viros eruditos ab oblivione vindicarunt, eorundemque vitas & in litteras merita exposuerunt studiosius, cum primis autem inflin-

instinctu sodalis sui, Hieron. Pezii, V. C. ad propagandam ad posterum Fratrum Mellicensium memoriam, hunc suscepit laborem, eoque ita est perfunctus, ut plausum omnino sperare publicum possit. Præmisit dissertationem historicam, de origine huius Monasterii, ac de Leopoldo subinde illustri, primo Austriæ Marchione, qui a Geysa, Hungarorum Duce, crebris adfectus incursionibus, fortissimum ea tempestate castrum, quod veteres Medilich, Medilicham, & Medicum, dixerunt, nunc Mellicium, (Germanice Mülck.) vocatur, & a Vindobona duodecim milliariis distat, anno Christi 979. non expugnavit tantum feliciter, sed hostes etiam a finibus Austriacis, victricibus armis propulsavit. Cuius in rei perpetuam memoriam, anno subsequenti, Castrum Mellicense, destructis penitus munimentis, in collegium mutavit Canonicorum, largisque dotavit redditibus. Perfliterunt isti Canonici ad annum usque 1089. quo Leopoldus pulcher, Austriæ Marchio, amotis iisdem, Benedictini ordinis Monachos, ex Lambacensi evocatos Cœnobio, in Mellicense recepit, singularique favore ac munificentia profectus est. His fusu non nihil commemoratis, historiam Mellicensis Bibliothecæ subiungit, ac præcipuos quosdam selectosque Codices manuscriptos indicat, & recenset, clarissimus Auctor. Eadem hæc, quæ Monasterium ipsum, habet incunabula, eadem etiam fata experta est. Atrox enim incendium a. 1297. universi pene Mellicii delevit ædificia, simulque optimos Bibliothecæ Codices absumsit. Superfunt tamen adhuc, qui, si non superent Seculum XII. id æquant certe; eoque pertinent, e. g. *Chronicon Mellicense*; *Martyrologium pervetustum*; *Regula Sanctissimi Patris, Benedicti*; *Necrologium Mellicense*, quod edidit Hieron. Pezius in Tomo I. *Scriptor. rer. Austriacar.* Nec defunt Seculi XIII. Codices; eorum autem, qui Seculis XIV. & XV. exarati, sunt, aliquot centum numerantur. Sub Seculo XVI. initium, Ioannes V. Abbas Mellicensis, amplificandæ Bibliothecæ primas quodammodo manus adinovit, quod negotium ad finem perduxit eius successor, Sigismundus. Dum vero is ipse, de ornando libris optimis loco, recens exstructo, esset sollicitus, factum

est prope, ut apparatus omnis spoliaretur. Tunc enim temporis Leo X. Pontifex Romanus legatum in Germaniam miserat, mandato instructum, ut perlustraret celebriores Bibliothecas, optimosque sibi deposceret Codices ad Vaticanæ thesauros locupletandos. Is igitur & Mellicium pervenit, librosque petiit præstantiores; sed fortiter obstitit Abbas, causam interferens prudenter fictam, sine consensu Principis alienari aliquid ab se non debere. Ita Bibliotheca per centum annos continuos stetit, donec tandem Valentinus, Abbas, eandem nimis iam angustam & coarctatam, in ampliori loco, ubi Museum hodie Religiosorum est, collocandam curaret. Ex Catalogo, quem a. 1678. *Sigismundus Häringshauser*, Bibliothecæ præfectus, copiosiore reddidit, libri typis impressi 4575. numerum conficiunt, at nunc præfenti hoc seculo, cura maxime Bertholdi, Abbatis, ter tanto is amplius superatur, ita quidem, ut post Bibliothecam Cæsaream, Mellicensis principem forte locum obtineat in Austria universa. Divisa est in minorem ac maiorem: hæc libros editos, illa manu conscriptos, quorum ultra 1500. ibidem exstant, complectitur. Ad sunt præter Bibliothecam conclavia, in quibus nummorum, ex antiquo, medio, ac recentiori ævo, insignis conservatur apparatus, rerum etiam naturalium, fossilium, concharumque rariorum supellex, inferior quidem nummophylacio, nec prorsus tamen contemnenda. Ad vitas clarorum Mellicensium quod attinet, *Capitibus centum ac duodecim*, tot scriptores Auctor exhibet doctissimus. En, eorum nomina. Agmen ducit *Anonymus Mellicensis*, Seculo XIII. Chronici illius conditor, cuius mentionem supra iniecinus. Hunc sequuntur, *Erchenfridus & Conradus I.* Abbates; *Burchardus*; *Hermannus Sacerdos*; *Auctor historiae de fundatione Canobii Mellicensis*; *Inventa S. Crucis Mellicensis Relator*; *Bernardus Dapifer*; *Stephanus Paltram*, Prior; *Anonymus Mellicensis*; *Nicolaus de Mazer*, Abbas: quo etiam Capite de vita & scriptis *Nic. Dinkenspihl* agitur; *Leonardus Peuger*, conversus; *Simon de Campitona*; duo *Anonymi Mellicenses*; *Leonardus*, Abbas; *Petrus de Rosenheim*, Prior; *Johannes de Obern-*

*Obernberg; Antonius de Catalonia; quatuor Anonymi Mellicenses; Conradus Nurebergenfis; tres denuo Anonymi; Ioannes de Ochsenhausen; duo Anonymi; Wolfgang. de Neuburga; septem Anonymi Mellicenses; Christianus, Abbas; Iohannes de Spitz; Thomas de Laa; Stephanus Spanberg, Abbas; Henricus & Iohannes de Carniola; Iohannes de Spira; Anonymus Mellicensis; Theobaldus de Vienna; Conradus de Geisfeld; quinque Anonymi; Simon de Ampach; duo Anonymi; Iohannes de Yschhut; Christoph Lieb; Nicolaus de Garlitz; Anonymus Mellicensis; Melchior de Stambaim; Iohannes de Welming, Abbas; Wolfg. Frischman de Emersdorf; Thomas de Baden, Prior; Paulus de Praunau; Wolfgang. de Eberstorf; Ioannes Schlispacker, vulgo de Weilbaim, Prior; Laurent. de Grütz; Stephan. Kolb; Augustinus Obermalib, Abbas; Anonymus Mellicensis; Martinus Genging, Prior; Leonardus de Feldorf; Erhard. Geut de Weydhofen; Anonymus Mellicensis; Wolfgang. de Styra; Leonard. de Purckhausen; quindecim Anonymi; Iohann. de Megier; Anonymus; Stephanus Burckhardi; Laurent. Flenbeintius; Sebast. Grundner; Stephan. Senuricus; Reinerus a Landau, Abbas; Iohannes Cellenfis, Prior; Ludovic. Engel; Philibertus Utz; Ernestus Prändl, Prior; Sigismund. Häringshauser; Anselmus Schramb; Philibert. Hueber; Bonifacius Gallner; Valentin. Larson, Prior; Bernardus Pezius, Bibliothecarius; Engelbertus Kirchsettern; Adrianus Plieml; ac Hieron. Pezius, Subprior & Bibliothecarius Mellicensis. Sunt quidem, præter Hueberum ac Pezios fratres, inter omnes hos pauci, qui suis in rem literariam meritis caput extulerint; passimque nos observavimus, quæ nullius esse momenti ac ponderis videntur, maxime si respiciamus tot Anonymos, quibus assignatus in hac Bibliotheca locus est. Sed nec parva omittere voluit Auctor diligentissimus, provocans ideo ad *Gennadii, Alegambii, Possivini*, & aliorum exempla. Sub finem occurrit rerum partim *index*, iis futurus usui, qui potiora statim libri totius capita noscere cupiunt: partim dissertatio brevis historica, *de origine usus mitre Abbatum Mellicensium*, hac mente adiuncta,*

cta, ut alii occasionem nanciscantur, eo de argumento fusius in posterum solidiusque differendi.

*TENTAMEN GENEALOGICO-CHRONOLOGICUM,
promovende seriei Comitum & rerum Goritiæ, conscri-
ptum a RUDOLPHO, S. R. I. Comite Coronini de
Quischa, L. B. a Cronberg, Gori-
tiensi 4.*

Viennæ Austriæ, typis Io. Thomæ Trattner, A. S. 1752.
Alph. 2 plag. 8.

Si ea demum res publica felix est, ut ait veterum quidam, in qua vel imperent sapientes, vel inuperantes sapientiæ studio mirifice floreat: veram, certe, propriamque terris Austriacis felicitatem, & amor litterarum bonarum, quo impulsam iam pridem AVGVSTA illarum DOMINA elaborat, ut omnis sapientiæ fontes multo fluant uberius puriusque; & admirabilis animorum consensus, qua eos, quos habitura est aliquando in administranda republica potentis suæ ministros, ad sumendum ingenii cultum contendere videmus, non tam promittit, quam ostendit. Qua enim ILLA sit in honestas disciplinas voluntate, & aliæ res, & Academiæ Vindobonensis instauratio, collegiique ratio Theresiani, satis loquuntur; hoc vero regio beneficio strenue uti, neque ignorare felicitatem suam, ingenii doctrinaque documenta, quæ dant in lucem, aperte testantur. In quibus erudita & elegans hæc Illustrissimi Comitis Coronini dissertatio, locum aliquem præcipuum sibi vindicat, proptereaque in primis digna est, quæ hic a nobis commemoretur, lectoribusque, historiarum studiosis, valde commendetur. Descripta est in duas omnino partes, quarum altera genealogiam Comitum Goritiensium; altera chronologiam, persequitur. Illa denuo in quinque Capita dividitur; quarum primum notitiam quandam urbis agrique Goritiensis, atque, ope tabulæ alicuius geographicæ, *dominiæ*, etiam, tam sacre, quam civilis, perhibet: alterum Comitum Goritiensium origines, investigat: tertium certam eorum

eorum feriem ad Mainhardum III. usque exhibet: quartum stirpem Goritiensium, ita propriis dictam, ab Alberto II. ad Leonhardum, suæ gentis extremum, deducit: quintum Tyrolensem & Carinthiacam Goritiensium stirpem, a Mainhardo IV. ad obitum Margarethæ senioris, vulgo Maultschitzæ, explicat. Tota vero hæc illustrium imaginum series, quatuor in tabulis, velut uno conspectu intuenda, lectorum tandem oculis subiicitur. Alteram partem in capita describere non libuit; cum ipse temporum ordo, annorumque series, legentibus opportunitatem satis bonam offerret, res traditas memoriæ mandandi. Præter res Goritiensium, eorum more, qui commentarios scribunt, narratas, nonnulla etiam, quæ ad Patriarcharum Aquileiensium, Andechsiorum Comitum, Meranizque ac Carinthiæ Ducum, Tyrolisque Comitum, vitas spectent, attigit. Habuit vero huius consilii sui adiumenta egregia, neque aliis facile obvia. Nam præter *Repertorium Austriacum*, quod epitomen diplomatum, chartarumque veterum, quæ in Augustæ domus Austriacæ tabulariis, Græcensi præcipue & Oenipontano, servantur, etsi non diligenter satis factam, continet: alia etiam diplomata, & typis expressa illa, & scripta calamo, ut sunt, quæ habet *Math. Burglebner* in historia Tyrolensi, quam *Aquilam Tyrolensem* inscripsit, studiose conquisivit. Quo in genere, admirabilem inserviendi sibi alacritatem summorum doctissimorumque hominum expertus est; quos ipse, accepti beneficii memor, prolixè laudat. Neque vero eos tacitos relinquit, qui in libris suis, machinis expressis, eiusmodi vetustatis spolia propagarunt ad posteritatis memoriam, e quibus Io. Franc. B. M. *de Rubis*, *sacra Prædicatorum familia*, *Commentariorumque Aquilensium auctor*, ipso iudice, eminet. Nunc, quem quasi fundum habuerit commentarius eruditissimus, exposito, nonnulla etiam ex eo speciminis loco proferenda sunt; ubi seligemus ea, quæ lectoribus nostris pluribus non ingrata fore existimemus; cetera relinquentes illis, qui rei Goritiensæ rationes omnes pernoscere diligentius cupiunt. Nomen igitur urbis ipsius, a qua circumiacens ager dictus est, Slavicum esse iudicat Comes illustrissimus, ducum

- cum a *Gora*, quod montem significat, adeoque cum naturali eius situ pulcre convenit. Idem vero Slavicum nomen, cum *Hora* Bohemi scribant, nobis quidem *Goritæ* appellationem parum ab eo etiam differre videtur, quod patrio sermone dicimus *Hort, Horst*. Eam *Noriciam* quondam etiam dictam esse, ut nonnulli existimarunt, erudite hic refellitur; eamque in rem de antiquissimis illius terræ incolis, ex Plinio, Ptolemaeo, itinerariisque veterum, Auctor exponit, quodque laudare alii solent, Strabonis testimonium (L. IV. p. 316 ed. 1707, & L. V. p. 328), & inventum in eo agro marmor, scite interpretatur, neque in utroque quicquam reperiri demonstrat, quod
11. eam opinionem confirmet. Idem tamen, si quod aliud vetustum *Goritæ* nomen tribuendum sit, *PONTIS SONTU* potius, quam *Noritæ* vel *Norsia* illud esse, ex *tabula Peutingeriana, itinerarioque Hierosolymitano*, verisimile admodum facit. A
25. Seculo inde undecimo, certe duodecimo ineunte, suos sibi Comites habuit *Goritia*, ita tamen, ut *villa Goritiensi* pars pertineret ad Patriarcham Aquileiæ, usque ad annum MCCII. Leonardo autem MD. d. XII. Apr. sine heredo extincto, Maximilianus I. Imperator, ex partibus, MCCCLXI. MCCCLXIV. MCCCXCIV. & MCCCCXXXVI. inter comites Goritienses Austriacamque domum initis, obæratum etiam sibi insuper, agrum illum occupavit, atque ad posteros suos transmisit.
26. Quo titulo usi sint quondam Comites, veterum monumentorum fide demonstratur, neminemque veterum *Goritæ tantum* Comitum inveniri observatur, qui *Principis* sibi nomen, in scriptis publice litteris, arrogavit; si Henricum tamen ultimum excipias, qui in testamento suo d. 22. Jan. 1453. condito, terram suam *principatum*, filiosque *principes* nominat, cuius mariti exemplum uxor etiam, in diplomate quodam, eodem anno edito, secuta videtur. Sed Maximilianus I. Aug. in eo diplomate, quo Viennensi artium gymnasio scholam poetarum, & ius laureæ, poetis donandæ, impertit, scripto Bozani d. 31. Oct. 1501. primum se scripsisse *Principem Comitum Goritiæ* videtur; quem alii eiusdem successores in eo genere imitati sunt: ita tamen, ut haud raro etiam nudo *Comitis*

mitis titulo contenti essent, quod Ferdinandi III, Leopoldi, & Iosephi exemplis constat. Habitos vero priores etiam comites ab Austraciis, immo ipsis Imperatoribus, *principum loco*, ex verbis Friderici III. quæ Aeneas Sylvius de Stat. Europ. Cap. XIX. refert, probare studet. Christianæ religionis disciplina quo tempore imbuta sit Goritia, non satis exploratum est; huius tamen initia, vel ad S. Marcum, vel ad Hermagoram, eius discipulum, certe ad alterum a Christo nato seculum, referenda esse contendit; a qua ætate secessionem ab ecclesia Romana fecisse nunquam dicitur, si breve illud tempus exceperis, quo *trium Capitulorum*, quæ vocabant, damnatio, Aquileiensem ecclesiam turbabat. Quæ deinde lites inter Austriacos Venetosque exorta, & quo tandem pacto compositæ illæ nuper sint, divisa in duas partes diœcesi Aquileiensi, accurate doctissimus Comes exponit. Unde repetenda sit Goritiensium Comitum origo, non una est omnium sententia. Propterea ita de hac re *Illustrissimus Coronini* disputat, ut primo tempus invellat, quo inter varios Comites Ducum dispersita sit terra Foro-Julienensis; dein, unde scriptores non contenti docent originem Goritiensium Comitum, quærat; tum, quæ de his occurrunt testimonia, fide digna, exponat; ac tandem, quanam probabilis eorum dynastiarum series ante seculum a C. N. XII. constituenda sit, ostendat. Atque hic ipsi probabile sit, iubente, vel consentiente Henrico IV. aut V. Goritiensem Comitatum, ab Henrico Eppensteinio, Duce Carinthiæ, quæcumque demum de causa, ad comitum Tirolensium familiam, atque ita ad Godofridum, S. Otwinum, huiusque deinceps posterum, pervenisse. Quæ de lingua domestica, regionis descriptione sitque, ad Atræonum rationes exacto, fertilitate, Comitum successione, aliisque rebus, his affinis, erudite traduntur, raba sunt, ut eos, qui vel novæ orbis descriptiones hæcis mandare, vel familias Germaniæ illustres pernoscere cupiunt, ad librum ipsi, diligentius evolendum, invitare facile possint.

DE HYDRARGYRO TENTAMEN PHYSICO CHEMICO medicum, Pars prior, Auctore CHRISTIANO XAVERIO WABST, Med. Doct.

Vindobonæ, ex typographia Trattneriana, 1754. 4.
Alph. i. plag. 5.

Hydrgyri, fluidi illius metallici exquisitissimi, historiam conditurus Clarissimus Auctor, vir in rebus chemicis expertissimus, in duas partes opus digere, quarum hæc, quæ prior est, tribus absolvitur sectionibus. Prima, hydrargyri definitionem, denominationem, ac differentias varias, loca natalia, modum colligendi ac depurgandi, exponit. Altera, metallorum, tum hydrargyri præprimis, genesin, principia, & mixtiones enumerat. Tertia, singulares huius corporis qualitates inquirat, diversasque erga ignem, aerem, aquam, erga metalla, tam nobilia quam ignobilia, scrutatur habitudines. De singulis aliqua exposituri sumus lectoris, ut illi libri excellentiam, ex illis, quæ breviter scribi a nobis oportet, intelligant. Hydrargyrum est corpus metallicum, frigidum, sicco fluore, non nisi metalla madefaciens, specifico pondere, summa mobilitate, penetrandi facultate, & constantia sub ignibus, præditum, ex particulis rotundis, lævigatis, & politis constans. *Frigidum* est, tardius incalescit reliquis, calorem amittit citissime, in aquamersum, utpote quam densitate quaterdecies ferre superat, suumque frigus ipsa ætate servat constantissime. Retinet tamen, cum semel calefactum est, suum calorem diutissime, quod eius densitati debetur. Ad sexcentimum gradum thermometri Fahrenheitiani, ebullit, ubi oleum, cum aqua ebulliens, gradus saltem ducentos & tredecim incalescendo attingit. Nullo condensatur frigore, densatur tamen ab illo, & ad minorem molem contrahitur, uti alcohol exquisitissimum. Corpus est, auro excepto, gravissimum, quod solum in illo mergitur. Omnium tamen metallorum amalgamata fundum petunt, cum hydrargyro immerfa sunt. Hæc gravitas illi ab intimo contactu particularum, relicto minimo spatio, quo ætheri soli accessus patet, tribuitur. Superesse tamen spatium, erga quod comprimi porro hydrargyrus possit, docent experimen-

ta tubi Toricelliani, quibus, hoc fluidum metallicum, a circum-ambiente universali fluido, porro compelli posse, ostenditur, simulque deprehenditur a minimo calore, hominis astantis halitu, iterum extendi, quod eius insigni mobilitati tribuitur. Summa quoque hydrargyri est penetrabilitas. Tubuli capillaris vitrei insensibile ostium introit expedite, per corium expedite transprimitur, lignea quoque vasa penetrat in vacuo, corpora animata pervadit, metalla permeat, eaque friabilia reddit, cui nec vitra quidem ipsa sunt impenetrabilia. Ope caloris, qui paulo maior est, quam ille aquæ ebullientis, in formam vaporis insensibilis eius elevarur moleculæ, ut per exiguo spatio tota eius massa evanescat. Nomina illi varia sunt. Vocatur *ὕδραργυρον* vel *ὕδραργυρος* Dioscoridi, Theophrasto & Aristoteli *ἀργυρον ζυτὸν* audit, argentum vivum recentioribus, Mercurius Spagyricis. Quod ad eius originem attinet, vel nativum est, statim suum, a natura in cryptis subterraneis excitatum, vel arte de metallis, illud in se continentibus, educitur. Nativum, pro differentia soli distinguitur. Plinius Hispanicum, Theophrastus Colchicum, recentiores Transylvanicum, Bohemicum, Germanicum nominant; præcipue laudatur illud, quod in Carniolæ ducatu erutum est. Mineræ, quæ hydrargyrum continent, vel sunt sulphuræ, vel ex sulphure & mercurio mixtæ, cinnabarinæ, quæ, si rubræ, valde ponderosæ, plus minusve transparentes, plerumque unam partem sulphuris, & sex pluresve partes metallicas continent; hæc aliquando, veluti est in illa gleba Carniolæ & Carinthiæ, ita luxuriant, ut guttæ Hydrargyri sponte exinde profiliant, quas, ideo quod ignem expertæ haud sunt, Mercurium vocant virginium. Per mercurium artificialem ille intelligitur, quem ex variis metallis educi posse, artifices volunt, hinc mercurius solaris, lunaris, jovialis. *Boyleus* certe, Tr. de coloribus pag. 147. quando solutiones mercurii crudi cum bona aqua forti factas, virides vidit, mercurium argenti participem habuisse videtur. Purissimus ille est, qui cuticulam in superficie nullam ostendit, conquassatus in vase spumam agit subito disparentem, per corium pressus nihil relinquit impuri.

cum aqua tritus illam haud reddit turbidam, igni expositus non crepitat, sed sponte exhalat, nec ullam maculam lividam aut nigrescentem relinquit, aqua forti solutus, liquorem menstrui haud mutat, qui metalla promptissime aggreditur, eorundemque compagem solvit citissime. Per descensum elicitur ex minera; si dives est, mineram effossam conterunt, & in fictilia, angusto prædita ostio, deponunt, orificia vero recenti arborum musco claudunt, vel ferream laminam perforatam imponunt & firman, dein fictile alterum huic simile, latioris tamen oris, sub humo condunt, & prioris repleti inversum orificium huic immittunt, rimasque optime luto claudunt, ita ut vasa hæc bene unita ac firma sint, vacuo sub terra latente, ignem in ambitu succendant, cuius vi argentum vivum in subiecta vasa destillat. Si qua autem minera est pauperior, destillando suum dimittit mercurium. In utraque mercurium separandi ratione, opus est adiacere, quæ acidum sulphuris subigunt, & argentum vivum suis extricant vinculis, calcem vivam, cineres clavellatos, vel salem, quicumque is est, lixiviosum alium. Traduntur illum depurandi artificia, quando per corium transiicitur, remanente impuro inquinamento. Bismuthum tamen, una cum mercurio, per corium transprimi potest. Si pinguedine infectum est, lavatur lixivio forti, si metallicis rebus infectum, aceto perluitur eoque, donec hoc limpidum defluat. Melius depuratur destillando per retortam, cumque particulis sulphureis arsenicalibusve scatet, cum limatura martis, vel cineribus clavellatis mixtus, destillatur ex retorta vitrea, igne arenæ. Reviviscit purissimus ex amalgamatis, sublimato, cinnabari artificiali. De metallorum in genere, deque mercurii in specie, deinceps genesi, differitur, amplissimis sententiarum recitationibus. Recentiores, metallorum genesin, ex principio inflammabili, ac terra metallica repetendam existimant, nec differunt, *Geoffroy*, *Hoffmannus*, alii, qui sulphur metallis pro vinculo, quo terra metallica continetur, tribuunt, cum hoc, & phlogiston, unum sint. Alii, inter quos ipse est *Barbavivus*, mercurium metallorum basin esse existimant, qui ex sincero argento vivo solo, per sulphur densans stipato, au-
rum

rum nasci, ceteris metallis minus purum mercurium esse, asserit. Noster ita habet. Si terra vitrescibilis, subtilissima & purissima, duobus aliis principiis, phlogisto scilicet & mercuriali, pariter puris, cum aere vaporis ad instar vagantibus, certa & convenienti proportione mixta, digesta, cocta, si particulæ istæ arctissime combinatæ sunt, ita, ut plures in unam moleculam, adeoque in corpuscula sensibilia tenaciter aggregentur & coeant, fit metallum purum; his contraria, imperfectum metallum factura sunt, qua occasione, Noster, in eruditum de terra vitrescibili, de phlogisto, uti metallorum principiis, sermonem digreditur, quibus tertium illud, quod determinatum metallis fluorem, quando igne liquantur, conciliat, additur, fluidificans dictum, nempe mercuriale, hoc metalleitatem, stylo Becheriano, tribuit. Illud in aere quoque esse, & pervadendo cryptas montium, principiis in metallum compingendis tribui arbitratus est Auctor clarissimus; utque hoc sibi persuaderet, experimentis fide dignis inductus fuit. *Quam frequens est, ait BOERHAAVIUS Elem. Chem. Tom. I. P. 2. pag. 264. videre, marcasitas, pyritas, lapides vitriolicos, metallica exhausta materie, ita mutari ab aere, cui exponuntur ut crescant, mutantur, mutantur, renoventur, & nova sobole metallica imprægnentur, videtur sane aer seminator catholicus.* In aquis similiter hoc esse principium, metallis flumine vectis docetur. Metallicum illud metallicis corporibus sua natura inest. Ex plumbo, vel antimonio, mediante solo sale communi, & terra passaviensi mixtis & destillatis, mercurium verum produci, *Becherus* monuit; atque illa tantum metalla suum de se dimittere possunt mercurium, quæ cum crudo amalgamantur. Habet enim mercurius in se metalli indolem, iisdem nascitur principiis, calcinatione per se, expulsis pro parte binis principiis, inflammabili scilicet & mercuriali, fluiditatem splendoremque argenteum amittit, ac in calcem pulverulentam terræ indolis fatiscit, iterumque, illis prioribus denuo insinuat, pristinam formam recuperat. Est etiam in mercurio vera terra vitrescibilis, id quod experimentis obfirmatum est. Phlogiston illi non minus inest principium: docet odor acris ful-

phureus, qui, quoties oleum vitrioli a mercurio abstrahitur, apparet; quin &, dum in vacuo agitur mercurius, lumen producit electricum, cuius causa probabiliter partibus inflammabilibus in motum deducendis, adscribenda est. Hydrargyrum aerem subtilissimum continet, crassiorem non admittit. Patet id in barometro sic dicto lucente, ubi Mercurius aeris ingressum a loco superiore vacuo excludit. De hydrargyri natura, usu, & habitu ad operationes, aliaque corpora, annotantur sequentia. Inest illi vis inertiae, seu illa conditio corporum, qua obviatur viribus illatis ab aliis corporibus motis, vel prementibus, increfcit autem pro ratione quantitatis materiae. Est illi homogeneitas, & eadem in omnibus sui partibus densitatem habet, est vis cohesionis, quae a vi naturali attrahente particularum, qua ad se universali naturae lege accedunt, pendet. Est illi mira, diversimode mutari posse, & varias formas, colores varios, assumendi, facultas. Salium aculeos prompte recipit, arcte detinet, & cum his in corrosivum corpus abit. Ex acido salis album, ex acido nitri rubrum, ex acido sulphuris flavum colorem accipit. Spiritu nitri solutum, & sale tartari praecipitatum, in pulverem croceum, sale marino in album subsidet. Ex cognitis istis fluoris huius metallici facultatibus, varia ad usum sit destinatio. Est illi usus mathematicus, physicus, mechanicus, medicus, chirurgicus, anatomicus, pharmaceuticus. Physici mechanici illo, ad aquarum aliorumque liquidorum gravitatem, densitatem, puritatemque iudicandam, ad mensurandam corporum attractionem, utuntur. Pressionem aeris hoc liquido primus expertus est in Italia, Toricellius, Galilaei discipulus. Physici, mercurium pro correctione penduli adhibent. Sic Cl. Clatham, ad occurrendum variationi hybernæ & æstivæ usus est, affigendo parti inferiori penduli tubum vitreum cum mercurio, qui a calore dilatatus, ascendendo tantum, abbreviat pendulum, quantum illud a calore dilatatur plus æquo, & contra. Sunt varii usus alii æconomici, artificiales alii. De physico chemicis Cl. Auctor agit exquisitius. Est illi singularis ad ignem habitudo, cum a minimo calore mox dilatetur, a minimo frigore suo modo

modo iterum condensetur. Vehementiore igne, cohæsiō part-
 ularum illius solvitur, atque illæ in fumum elevantur. Lento
 lampadis igne, per gradus aucto, in pulverem abit album, vel
 rubicundum, experimentis Hombergii, aucto simul illius pon-
 dere. Solo motu continuo illum in pulverem vertere docuit
 Bœrhaavius, cum illum phiala clausum, furfuribus munita, ad-
 fixit ad caudicem tudentem molendinis fullonariz, cuius octi-
 mestri motu, hydrargyrus in pulverem, mirifici ad ulcera usus,
 versus fuit. Proponuntur & alii modi mercurium in pulve-
 reum corpus convertendi. Illum in aquam convertendi mo-
 dos *Digbaur* proposuit. Ad aerem singularis etiam est hy-
 drargyri relatio. Ab aere, fluido gravi, elastico, globo nostro
 terraqueo undique incumbente, premitur eo magis, quo aer
 est densior: hinc barometri Toricelliani experimenta fluunt,
 de quibus erudite agitur. Est illi singularis etiam ad aquam rela-
 tio, cuius humiditatem in se recipit, eamque aliquandiu tenet;
 communicat aquæ suam vim anthelminticam, antaphrodisia-
 cam, & cosmeticam, teste *Boyleo*, *Hoffmanno*, aliisque. De ha-
 bitu hydrargyri ad metalla in genere, respectu ponderis spe-
 cifici, proponitur tabula, ab Illustri *Wolffio* ordinata:

Si pondus auri dividatur in partes 100,			
habebit hydrargyrum			71 $\frac{2}{3}$,
Plumbum	—	—	60 $\frac{1}{8}$,
Argentum	—	—	54 $\frac{2}{3}$,
Cuprum	—	—	47 $\frac{1}{3}$,
Ferrum	—	—	42 $\frac{1}{2}$,
Stannum	—	—	38 $\frac{1}{3}$.

Cum auro libentissime iungitur hydrargyrum; facillime cum
 illo amalgamatur. Proxime attingit argentum; utriusque me-
 talli amalgama, phialæ inditum, debito ignis gradu adhibito,
 in arborem exurgit elegantissimam, ramulis coloribusque
 divitem, vitri lateribus adhærescentem. An vero aurum in
 mercurium redigi, quod multi iactant, possit, in dubio est: va-
 rii

rui tamen modi, quibus hoc tentamen a variis institutum est, proponuntur. Becherus hoc etiam de argento proposuit, illudque cum argento vivo, additis salibus destillari posse, comperit. Deinde hydrargyrum plumbo, mox stanno, hinc cupro, variis rationibus iungitur. Ferrum solum ei inimicum est, nec mercurius ferrum penetrare potest, verum hoc, si illius vapori exponitur, friabile redditur & fragile. Limatura tamen ferri, interveniente aceto & salibus, transpresso, qui ante admixtus erat, mercurio, amalgama in corio relinquit. Est mira aliqua in his aliisque numerosissimis experimentis, chemicis, phyticis, cum hydrargyro institutis, ad intelligendas eius facultates efficacia, est etiam voluptas singularis, quam non possunt non illi percipere, qui veritatem & eruditionem amant. Expectamus partem posteriorem huius eruditi operis, quæ habitum hydrargyri ad antimonium, zincum, marcasitam, auripigmentum, arsenicum, sulphur, aliaque mineralia, investigabit; tum, quo pacto se cum salibus quibuscunque, cum spiritibus, cum oleis, gerat, explicabit; & eius vires & in corpus humanum agendi modos, utitur atque abutum sistet: qua parte addita, nihil huic libro ad laudem & commendationem deesse poterit.

*C. PLINII CÆCILII SECUNDI EPISTOLÆ ET
Panegyricus, editio nova, recensuit & notis illustravit IO-
ANNES NIC. LALLEMAND, in Marchiano
Rhetoricæ Professor.*

Parisius, apud Desaint & Saillant, 1749, 12.

Plag. 18.

Dedit ante hos aliquot annos foras *Virgilium, Io. Nic.* Lallemand, V. C. forma minore & compoda, quæ non gravet circumferentem. Iam quum epistolæ Plinii pridem apud cives suos desiderarentur: tanto libentius se ad recensendas eas & illustrandas accinxit, quanto magis eas essent eiusmodi, quæ domi pariter & foris prodesse, quæ sedentem in mutuo delectare, peregrinantemque & rusticantem non
iniu-

iniucunde comitari possent; ut de ornata verborum sententiarumque concinnitate, quæ in eo maxime elucet, rectique & honesti candidissimo amore, nunc nihil dicamus. Quam in rem quum editiones complures inspexisset: tamen instar omnium, eam sibi fuisse, ait, quæ 1734. prodiit Amstelædami, cum Cortianis Longolianisque animadversionibus. Vellemus vero, vidisset etiam, ac videre sane potuisset, quæ limatum politumque *Gesneri*, Viri Cel. iudicium in his epistolis, post *Corriam*, vel emendavit acute, vel illustravit elegantissime. Interim pauca de suis se adiecisse, ac loca tantum difficiliora notulis illustrasse, ipse in prologo fatetur. Panegyricum, utpote ab eodem profectum auctore, minime duxit ab epistolis seungendum: ad cuius emendationem, *Livinio*, *Arntzenio* potissimum, aliisque, se usum esse non dissimulat: *Schwartzii* vero memoriam, quæ nulla est in præfatione, in notis posterioribus crebro usurpat, in quibus emendationum plerarum que fontes, apposita vulgari lectione, indicavit, ut constaret lectori, nullum ab se locum sollicitatum esse, nisi annuentibus MSt. codicibus, aut vetustius cussis. Nunc, qua ratione hanc administraverit provinciam, videndum est; qua de re ut iudicari liquidius possit, primo, quomodo in *Plinio* illustrando, deinde quomodo in eodem recensendo, versatus ille sit, paucorum exemplorum fide docebimus.

Sic igitur per *Librum*, *Ep. II. Lib. I.* quem *Plinius Arriano* mittit, *Catani* sequutus coniecturam, intelligit actionem pro Accia Variola: *gestationem Ep. III. Lib. I.* exponit per locum, proceris arboribus distinctum, in quo veteres, valetudinis gratia aut voluptatis, equo, rheda, lectica, gestati fuerint, quæ *mollis*, & tamen *solida* dicatur, quod solum molle quidem, at non fluxum & vestigiis cedens, fuerit. *Inducere Ep. VIII. n. 12.* putat idem esse, quod instituere, fruendum exhibere, ut munera gladiatorum dicantur induci. *Iactura* appellationem *Plinio Ep. XII. n. 1.* putat, videri *leviorem*, quoniam, si proprie loquamur, ea sit damnum mercium, quæ, sævientem tempestate, in mare deiciantur. In *ordinem redigi*, interpretatur in commune fastigium redigi, ut nihil iam emi-

- Lib. II. neat, aut præcipuum habeat, *Ep. XXIII. 1.* Per *princi-*
piu librorum intelligit exordia, proœmia orationum, quæ ha-
 beantur vulgo, ab ipsis oratoribus seorsim edita. *Ep. V. n. 12.*
- V. Per *librametum* *Ep. XXX.* intelligendus esse illi videtur
 locus, ubi librentur aquæ, & ad libellam componantur, exci-
 tato inter utramque rivi aut fluminis ripam sepro, in quo
 valvæ sint, quibus clausis retineantur aquæ & crescant, aper-
 tis effundantur. Illud: *oculum circumlinebat*, *Ep. II. n. 2.*
 ita explicat: unguento vel cerussa; deinde splenium, i. e.
 fasciam ponebat, forte ad arcendam nimiam lucem: illud
 autem operimentum ab uno oculo ad alterum transferebat,
 prout petitoris, aut possessoris partes, tuebatur, quia tunc di-
 versis subsellis sedebat, & coniectus oculorum mutabatur.
 Locum illum, quo *Retinae classarii* occurrunt, vocat deplora-
 tum, ac sequitur *Cortium*, e vestigiis MSs. codd. eum emen-
 dantem, *Ep. XVI. n. 8.* *Ingrata imagine industriæ ad vi-*
lilitatem sui pervenire, *Ep. III. n. 2.* putat idem esse, quod stul-
 tis occupationibus, vana specie diligentia, in rebus miseris
 & caducis occupatos, eo devenire, ut sibi ipsis vilescant, nec
vitam suam, ut æquum est, æstiment. Sed abstinemus a plu-
 ribus huiusmodi observationibus transferendis, cum ex
 iis, quas attulimus, satis iam appareat, Auctorem non tam
 eruditis, quam rudibus puerisque consultum voluisse: ne-
 que enim facile, nisi quod in vulgaribus, apud nos, libel-
 lis iam extet, in iis reperias. Panegyricus nudus, nullisque
 annotationibus tanquam vestitus, apparet: causa quæ sit, Au-
 ctori prodere non libuit.
- Iam restat, ut, qualem in recensendo Plinio se præstiterit,
 I. paucis adhuc videamus. Sic *Ep. II. n. 1. eodem stilo* legendu-
 dum censet, propter MSs. confessionem, quæ ab unico
 Helmstadio disturbari minus possit. Sed erunt fortasse, qui
 abeant in alia omnia, neque absurdam modo illam esse le-
 ctionem, verum auctoritate etiam librorum desitui, pronun-
 tiant. In *Ep. III. n. 3. vigilia* potius, quam *vigilia*, ex co-
 dicum auctoritate, legi debere indicat. In *Ep. VIII. n. 14.*
quod gloriam meruit, Medicæm, ceterosque optimæ mæ-
 MSs.

MSt. sequutus legit, eamque in rem Horatium, *Vitavi de-
nique culpam*, dicentem, *non laudem merui*, laudat, Calau-
bonianamque lectionem: *non meruit*, i. e. non obtinuit, mi-
nus aptam ad *Plinii* mentem esse putat. In *Ep. XVI. n. 4.*
nam in concionibus idem, qui in orationibus est, praecoriam,
qua, legendum esse illa, quae sequantur, tuadere existimat:
sed vocem *vis*, quam habent alij, ita omittit. In *Ep. XX.*
n. 10. nulla oratoris legit, alios *orationis*, male quidem, ha-
bere arbitrat. In *Ep. XIV.* extrema legit, *ad intimam*, Lib. II.
non *in*, atque hoc *Plinii* manum minime sapere credit; in
quo tamen alij contra fortasse sentiant, cum cadat utrumque
in *Plinium*. In eadem *n. 2.* ad declamandum huc *transfe-
runt*, non *transseunt*, scribendum censet, & MSt. complu- v. Paneg.
rium auctoritatem laudat. In *Ep. XVII. n. si mare in proxi-
mo cogites*, ipsissimam ait esse cod. Medicei lectionem, pro
qua editi *innare* dedissent: ibidem, *undatio* imo *hypocau-
stum* legendum esse praecipit, atque *undationis* *hypocostum*,
ut editi habent, iungi, & stare simul posse negat. In *Ep.*
XX. n. ne multa legit, ac perperam, *nec*, vulgo dari ait. Sic Lib. III.
somni paratissimi *Ep. V. n. 8.* legere suadet, non *parcissimi*,
quam vocem cum sequentibus non cohaerere indicat. In *Ep.*
*VI. extr. neque abesse me eadem haec, quae nondum exte, pa-
tiuntur*, scribendum esse censet, ac vocem *finunt* eradendam,
quippe quam ignorent optimae notae MSt. & editio vetus, ut
sit geminatio verbi *patiuntur*. In *Ep. IX. n. 32. dari sibi
diem, & edi crimina*, non: *ad diluenda crimina*, reponit.
In *Ep. X. n. 5.* ita scribit: *inducetis mihi. Difficile est, huc-
usque inuendere animum in dolore, difficile est: sed tamen, &c.*
quam ipsissimam lectionem MSt. vocat, ac vitiose omnino
in editis legi ait. In *Ep. XIV. n. 4. agre focillatus*, non *re-
focillatus* a *Plinio* scriptum esse, iudicat, cum librorum opti-
morum fide, tum auctoritate *Ep. XVI. n. 12.* ubi itidem *fo-
cillata* libros optimos habere perhibet, item *Senecae*, *Suetonii*,
aliorumque nixus. In *Ep. XVI. n. 8. omnia sola prestabo*, ciecta
particula *vel*, utpote qua nihil opus sit ad sensus integrita-
tem, quamque de tuo adiecerint recentiores, excudit. In *Ep.*

- XVIII. n. 6. Plinium scripsisse conicit: *nempe qua in senatu quoque . . . gravari . . . solebamus, eadem nunc & qui resistere &c.* In Ep. XIX. n. 4. Gronovii potius, *inter sua legentis, iudicium, optimis membranis nixum, quam vulgatae lectionem, intersita, probandam existimat*: ac n. 7. iterum sequutus Gronovium, *sunt ergo instruendi eo pluris, (eo maiore pecunia opus est ad eos instruendos,) quod frugi mancipis (redemptores, qui agros, aut quidvis aliud, mercede conducant)*: denique n. 8. *senore*, pro *senore*, Medicei cod. Lib. IV. fide, reponit. In Ep. XIX. n. 3. magis ipsi, *in proximum, quod plurium sit MSt. & editorum fere vetustiorum, quam in proximo*, arridet. In Ep. II. n. 1. *nec urbis copiis* magis probat, quam *nec ullis*, quod MSt. id ferant omnia, & maris copiis urbanæ recte opponantur. In Ep. III. n. 2. *facio nonnunquam versiculos, severos parum facio. Nam & comedias audio & specto mimos*, reponit, eamque lectionem MSt. complurium ipsissimam vocat, cum in altera illa: *facio nonnunquam versiculos, severos parum, facio comedias, & audio & specto mimos*, Plinii venustatei desideret. In Ep. IX. n. 1. *præterea, quod*, pro: *propterea*, Medicei fide, ac n. 3. *decessit in nave*, pro: *navi*, scribit. *Filia minore defuncta*, in Ep. XVI. n. 1. pro: *filia minor defuncta est*, legit, optimorum codd. & Aldinarum editionum suffragiis fretus, easque VI. voces antecedentibus proxime adiungit. *Vox honores* in Ep. VI. n. 1. ipsi non videtur esse a Plinio, qui non honores generatim, sed eum magistratum, de quo agebatur, nominasset. In Ep. XVI. n. 14. *ut si longior in cubiculo mora*, legit, ac vocem, *effert*, delet: ibidem n. 14. MSt. voculam: *an*, in priori membro ignorare indicat, ac n. 16. *incidentia*, dat ex MSt. pro *decidentia*. *Amicissimum* in Ep. XVII. 3. non amicissimus, omnino cum MSt. optimis legendum censet, & n. 5. *invicem contemnat* mavult, quam vulgatorum *dedignatur*. In Ep. XVIII. 2. *pii* legendum putat, ut respondeat voci *amantis*, ad cuius ep. calcem etiam pro: *extiteris*, vulgatorum *moreris*, ex Mediceo dedit. *Adventare, & iam, ut in limine*, reponit in Ep. XXVII. n. 8. pro quo vulgari habent

habent: *adventare etiam, ac iam ut in limine: & infra n. 12.* vocem *Marcus*, quam recentiores addiderint, delendam existimavit. *Aterum, quod permitto, non quum,* membranarum fide, in *Ep. XVI. n. 1.* dedit. In *Ep. VII. 3. utraque,* ex veterrimo codice, reponit pro: *utramque: & in Ep. XIII. n. 10.* ita, optimarum membranarum, & veterum editorum consensu, legit: *Aguntur alia interim. Me quidam . . . secreto curatoque sermone . . . monet, ut fistam: adicit etiam, notabilem me futuris Principibus . . . Quid audes? quo ruis?* In *Ep. XXXIX. n. 1.* legit: *in melius, in maius,* coniunctionemque impressos de suo addere iudicat. Denique in *Ep. XL. n. 3. Vossiani* cod. auctoritate, & editionis principis fide, adductus, legit: *addas huc, licet, ver & auctumum.* *Librum decimum* cum omittant fere codices manuscriptorum, quos quidem recentioribus licuit inspicere, pauca ex eo profereimus. Stat vero Auctor vetustius impressis, ac praesertim Veronensi editione *Ioannis de Tridino.* In *Ep. CXIV. extr.* vulgatam quidem lectionem retinet, eam vero sic interpretatur: *qui inviti fiant decuriones, id acturos adversus,* i. e. ne cuiusque civitatis instituta serventur, ut erogatio ceteris praeratur, seu ut ii legantur decuriones, qui pecuniam erogaverint. Sed cum *Io. de Tridino* ediderit: *praefatio,* id levi mutatione posse *professio* emendari iudicat, eo sensu, ut ii soli legantur decuriones, qui professi fuerint, velle se ingredi senatum. De panegyrico non est, quod multa addamus, partim quod ex his satis iam poterit intelligi, quomodo grammaticam provinciam Auctor obierit; partim quod in locis, de quibus certant inter se eruditi, nihil ab eo allatum invenimus, quod non monitum sit antea, & saepe numero typis iam exscriptum. Ceterum, neque ipse laude diligentiae defraudandus est, neque *Plinius*, quem foras dedit, suis ornamentis destituitur, elegantius potissimum & ea forma descriptus, ut circumgestari commode possit.

Lib. VIII.

IX.

X.


ELOGIUM

FRIDERICI OTTONIS MENKENII.

Ersi ipsa hæc *Nova Eruditorum Acta* luculentissimum discretissimumque *Menkenii* elogium videri possunt: tamen ea vix satis grata sibi videantur, si, quod aliis, vel de litteris, vel de se bene meritis, tape tribuerint, idem de se literisque maxime merito Viro non præstent, nec sic quoque de eo bene mereantur. Natus in hac urbe a. d. III. Non. Augusti. anno huius seculi octavo, patre *Jo. Burcardo Menkenio*, V. C. avo *Ottone, Actorum* veluti parente, natus est ingenium dignum utroque. hoc est, & capax & appetens omnis bonæ doctrinæ, & quod gloriam domesticam facile, vel sustineret, vel auget: non natura modo sic machinante, ut, sicut in plantis, ita & hominibus, ubi semel bonam genus est, series quædam præclarorum ingeniorum existat, sed hoc quoque præmium patris avique doctrinæ, virtuti, meritisque in bonas litteras, desinente providentia divina, quod vivis iucundissimum, mortuis autem gloriosissimum foret. Sed ingenium tale, ea in domo editum, quæ domicilium omnis bonæ elegantisque doctrinæ esset, velut bonum semen, in agro pingui & bene culto, celeriter ad magnam spem præclaræ doctrinæ adolevit; præsertim cum cultus ei accederet a tot præclaris ingeniorum vel iungendorum, vel locupletandorum artificibus, *Crelliis, Cortiis, Hauffis, Gebauertis, Gribneris*, maximeque Patre ipso, non iudice magis ingeniorum omnium acerrimo atque elegantissimo, quam formatore dexterrimo: a quo primum elegantiz & humanitatis exquisito quodam gustu imbutus, deinde ad omnis historiz, imprimis literariz, eximiam scientiam est eruditus. Cuius curæ lux hunc etiam vivus fructum cepit, ut eum, annos vix septemdecim natum, Philosophiz & bonarum artium magistrum ipse crearet, atque inauguraret, & moriens relinquere se videret talem, qui Actorum
Liptien-

Lipsiensium, & vernacularum de rebus literariis schedarum, curam suscipere, eorumque, hoc est, Menkeniani nominis famam, tueri posset. In quo ille patris de se spem præclare sustinuit, omnia faciens studiose ac diligenter, ut paternam avitamque in eo genere gloriam, velut bonum patrimonium, non modo conservaret, sed etiam amplificaret. Sed cum esset vivido ingenio, & laboris patiens ipse atque assiduum, non eum curæ istæ, quamvis operosæ, & quemvis aliam totum occupaturæ, abstraxerunt a ceteris studiis, aliisque laboribus, sed plurimum temporis reliquere vel lectionibus, Latinorum imprimis scriptorum, vel scribendis edendisque libris, doctrinæ elegantis copiosæque documentis: in quibus de *Vita Angeli Politiani* Commentarius, & *Observationes Latina lingue*, ad Fabri Theaurum locupletandum editæ, maxime laudantur. Instituit etiam *Nova Miscellanea* edere, suppeditans doctis hominibus facultatem proferendi in lucem, si quis quid novi in aliqua literarum parte invenisset, ipse autem varia *dividua* utilibus doctorum hominum communibus concedens. Atque ut omni modo iuvaret eruditos in hac urbe homines, præsertim, qui in Actis Eruditorum scribendis laborarent, Bibliothecam instruebat libris, ex omni genere optimis atque rarissimis, quos ex omnibus Europæ partibus congregabat, nullis parcens sumptibus, dum & studio suo, & commodis aliorum obsequeretur. Inter hæc varia ei, vel ornamenta fortunæ, vel meritum præmia obtigere. Nam, ut scholasticos Doctoris honores mittimus, quos petenti libenter concessere Iure Consulti Vrembergenses, Rex Poloniæ ei ornamenta aulici Consiliarii decrevit: Ordo huius urbis amplissimus in Collegium suum cooptavit: Academiæ denique, Londinensis, Berolinensis, Arcadiæ Romæ, socium sibi adscivere. Nam & Poëtiæ laudis a pueritia studiosus fuit, favente & ingeni & orationis ubertate, cuius etiam in prosaica oratione vestigia observare licet. Sed magnis & multis in rem literariam meritis

ritis plura & maiora additurus erat, si, non dicam longior vita data fuisset, sed, si ingenii & mentis vim corporis alacritas & robur æquasset. Enim vero a pueritia cum eius imbecillitate conflictatus, virilem ætatem exercitam habuit doloribus ex hypochondriis, morbo etiam subinde infectatus, in his, extremis tribus annis, *diapnoea* assidua & gravi, quæ nullis remediis adhibendis confisteret. Itaque corpus tabe confectum hydropi ad extremum invasit: cuius languorem etsi aliquandiu vicit animi vigor, tamen ad extremum ei repente succubuit, a. d. V. Martii proxime superioris. In his tantis tot annorum molestis, magna lenimenta atque solatia habuit ab uxoris, *Ioanna Catharina Langgutbia*, ornatissimæ Matronæ, amore, prudentia, & suavitate: exhilaratus etiam per eam egregia subole; in hac filio, nihil abhorrente a patris avitque ingenii laudibus: per quem, optabile est, felix bonis litteris nomen conservari, & ad seram posteritatem propagari.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno MDCCLV.

CONSTANTINI PORPHYROGENNETI
*Libri duo de ceremoniis aule Byzantinæ, prodeunt nunc
primum Græce cum Latina interpretatione & commen-
tariis. Curarunt IO. HENR. LEICHIUS, &
IO. IAC. REISKIUS.*

Tomus II.

Lipsiæ, ex Offic. I. Fr. Gleditschii, 1754. fol.

Alph. 3. Plag. 14.

Læti gratulantesque bonis litteris accipimus hanc alteram *Cerimonialis Byzantini* partem, *Senatus Amplissimi Lipsiæ* liberalitate, erudita Cl. *Reiskii* cura, & liberali redimentium sumtu prolatam, expolitam, atque perfectam. Ea tanto iucundior est superiori, quanto & argumentorum dignitate, (nam ut cetera bona taceamus, inest in *κληρωλογία*, quod hic liber habet, notitia dignitatum Imperii Orientalis, quales Sec. IX. exeunte fuerunt) & Commentarii doctrina copiosa commendator. Et argumenta quidem huius Libri II. quæ sint, cum dudum notum fuerit eruditis, & in Tom. I. præfatione dictum, nihil esse putamus, quare iis recensendis immoremur: & abunde est, quod dicamus, si sola ea persequamur, quæ *Reiskii*, V. C. ingenio, doctrinæ, diligentique debentur. In quo primum esse debebat illud, ut, quæ de Codice MSt. de eius idiographia Græca, aliisque
desi-

desiderent scire eruditi homines in opere antea non edito; commemoraremus, promissa illa a V. C. in Vol. I. præf. p. XI. sed quando ea ad aliam occasionem differri placuit, ea nobis pars prætermittenda est. Quodammodo tamen vel sic opere tractando rem licebit intelligere. Etenim ea religio adhibita est in exprimendo archetypo, ut etiam mendæ pleræque librarii fervarentur. Id, etsi fortasse reprehenderint nonnulli, non necessarium aut utile existimantes, vitia manifesta & aberrationes a veritate perspicuas, quarum vulgata & nota dudum exempla sint, ut nihil inde iuvare Critica conjecturalis, e vitiis scripturæ indagans veras lectiones, possit: quis enim hodie nescit, in libris $\alpha\gamma$ & ϵ , η & θ , η & ι , η in fine pro ν , &c. pag. 406. seq. permutari, διατέλει pro διατέλλει, δκνήσιον pro δκνήσειν, ἐκλακίδεκα pro ἐκλακιδέκα, καθιστόρησα, pro καθιστόρησα, πλάκας pro πλάκεις, δώματα pro δώματα, & similiter in similibus scribi solere? præsertim cum primo difficultatem obicere interdum non satis exercitatis ac peritis possint, ut σιχιδῶν, μιώσεις, πληθίδος, προσοθήσας, διδι (pro δίδωσι), ἐπιμεις (pro ἐπωμεις), χρυσόθεις &c. cuius generis aberrationes nemo, qui antea Græca e MSt. ediderit, toleranda putarit; deinde Leichius aliter instituisse: tamen in hoc genere primo editori suum arbitrium relinqui posse videtur*.

Verbo Latina verbis plerumque pura est, & elegans, ceterum magis sensum utcumque, interdum παραφραστικῶς, exprimens, quam verba pressè persequens. Id habet hoc commodi

* Illud etiam incommodi ratio ista habet, quod adimit facultatem, manifesta alia, quæ sensum turbant, peccata tollendi: ut *ibid.* (p. 406.) paulo post: Δὴ ἡμᾶς ἐν τῇ τοιαύτῃ λαχόντας διακονίας. Si V. C. non illam legem sibi scripsisset, haud dubie editurus erat, τῆς τοιαύτης λαχόντας διακονίας: nunc illud corruptum sic, verbosius paulo, vertit: oportet nos in hoc, quod forte postea nobis contigit constitutos tanto ministerio: ut postea οἱ ομῆται ἄνδρες - - προσφώνῃσι τῷ βασιλεῖ, καὶ συνέχουσι τὴν ἐπιμέλειαν ἐπιτέλλουσαν αὐτῷ &c. &c.

modi, ut, qui Græca legere vel nolit, vel non possit, latina tanto legat libentius & suavius: ceterum, interdum non facillimam cum Græcis comparationem facit. Atque etiam ille liberior orationis cursus prætervehitur facile verba quædam, quorum interpretationem ii, quibus versiones maxime comparantur, desiderant: ut taceamus, eos, qui sibi non duriorum in vertendo legem præscribant, facilius ceteris a vera sententia aberrare. Quod & Cel. Reiskio, trito alias in litteris Græcis, & in hoc genere exercitato, tamen accidisse interdum animadvertimus. Exempla due, pæce eius, ponemus ex eadem præfatione, & initio κληρωρολογίης, non reprehendendi ipsius causa, sed admonendi ceteros, qui ad versionem aliquam adiungant animum. Pag. 406. Εἰς τὰς τῶν ἀρχαίων ἐπικύψαι συγγράμματα, κακῶθεν — παραστήσασθαι: e veterum libris tradere. Vere & perspicue. Sed quam facile erat Viro doctissimo, ponere: *inspectis veterum libris, inda tradere*, ut τὸ ἐπικύψαι exprimeretur pressius. Et hoc male lectores putamus. Mox: καθ' ὅσον ἐφιέλθον, τὰ ἐφετὰ τῆς ὑμετέρας ἀγάπης χετικῶς ἐκπληρώσωμεν: pro viriliter mea, multa que cum adfectione studebo desideris vestra Caritatis satisfacere. Hic, quo referendum sit, *multaque cum adfectione*, ipsi non videmus, etsi non repugnant sententia universæ. Neque *desideris* habet in Græco, quocum factis commode comparari possit. Nam ad ἐφετὰ referre vix possumus, quod *mandata* potius significat, tali verbo iunctum, quam *desideria*, ut ἐκπληρῶν ἐφετὰ sit, *mandatis satis facere*, sicut ἐκπληρῶν τὴν διακονίαν in sacris. Denique præteritissimum est χετικῶς: παραστή, per: *multa cum adfectione*, exprimere voluisse V. C. non sustinemus credere, cum id verbum eam vim numquam habuerit, nec per analogiam habere possit, sed sit *iusta serie, apta quadam dispositione*; quod idem mox aliis pluribus modis exprimit, ut pag. seq. διαρίσεις καὶ ὑποδιαρίσεις, καὶ ἀκριβεῖς συστάσεις ἐκτίθεσθαι &c. item ἐν τῇ τάξει καὶ συστάσει καὶ ἀκριβῆ διαθέσει &c. &c. Nam quod Cangius *χεσι adfectionem, χετικῶς cum adfectione*, interpretatur, ea adfectio est relatio ad ali-

quid, ut, cum imagines sanctorum *ῥητικῶς* coli dicuntur, h. e. non per se, sed *adjective* seu *relative* ad personas, quarum speciem exhibent. Atque huius generis plura ei excidere. Sed hæc rependit V. C. alio commodo versionis, quod possim vertendo interpretatur, quæ sine notis intelligi non possent. Ut cum verba hæc, pag. 410. διαιρηθῆναι δὲ καὶ αὐτὰς εἰς μέρη ἕξ, οἷον εἰς στρατηγούς, εἰς δομestικούς, εἰς κριτάς, εἰς σεκρητῆρας, εἰς δημοκράτας, εἰς ἴδια ὄφφικια: ita interpretatur: *Distribuantur in sex classes, nempe in Strategos, (vel in Prætores; aut Magistros militum, aut Rectores provinciarum,) in Domesticos, in Iudices exercenda iustitiæ forensi; in Secreticos, scriniarios vel secretorum; in Democratas, vel popularium factionum magistros; & in peculiaria officia, seu, quorum singula a singulis viris, non a pluribus geruntur.* Atque eius generis plura passim reperiuntur, peropportuna lectori non satis in talibus trito: quotus autem quisque vult in talibus tritus esse? Sed tamen ea ratione non ubique utitur, reservans nonnulla Commentario, aut Glossario Constantini, velut p. 273. βαμβάκερα vertit *bambacera*, & in parenthesi addit, seu *vestimenta e bombace aut xylō*: sed in eodem capite *Idicum* sine tali interpretatione dimittit, pro quo commode *Procuratorem rei privatæ* posuisset: nam *ἰδικόν* est *res privata, patrimonium principis*: nec explicatur id verbum in notis, quarum nihil nobis ad Appendicem dedit: suntque eodem loco, & in eodem capite plura talia, ut *κατόν, imperialis hetaria, imperiales aguri*, quæ nemo intelligit, nec explicata sunt in notis. Quam facile erat scribere: *Sumit procurator rei privatæ e fisco (non catone) saccos — pro cohorte federatorum ad regiam custodiam destinata* (hæc est βασιλικὴ ἀρουαία. Vid. Glossar. Cangii & Cedreni,) & *regis pueris bello maturis*, hi sunt βασιλικὸὶ ἄγυροι, & sic vertit bene *Possinus* in *Annæ Alex. Lib. VII.* vid. Glossar. *Annæ*: & ipse p. 281. bene vertit *ephebor*. Atque talia permulta observavimus librum percurrendo. Sed quoniam hic locus est in Append. Libri I. & Vol. I. age alia ex illa notabimus, in quibus nobis non videtur V. C. satis recte interpretatus esse. P. 257.

B. ἐι δὲ πρὸς τὰ μέρη τῆς Ανατολῆς, vertit: *Si vero ad tractus interioris versus Interamnem Orientis*: quorsum addat *versus Interamnem*, quam Mesopotamiam haud dubie intelligit, non videmus. P. 258. in f. verba: ἐκσπυλεύσωσι τὸν λαὸν καὶ ἐπάγξωσιν εἰς τὰ οχυρώματα, vertit: *omnem populum incolam expilent*: quod plane alienum est. Addit quidem explicandi gratia: h. e. *cum totis familiabus e sedibus suis extrahant*, sed nec hoc verum, nec necessarium erat, si statim verba Graeca sic vertisset, *populum ex antris* (seu desertis, in quæ metu hostium agrestes fugerunt.) *extractum in urbes munitas cogant*. P. 260. ὁ Ἰάλιος Κῶστας vertitur: *Saneæus imperator*. Locus quidem est vitiosus in Ἰάλιος, sed tamen in versione nihil erat mutandum. Nec p. 264. A. necesse erat ἀμέτοχος Ἑλληνικῆς μουσικῆς vertere: *Græca musica*, & addere explicandi causa, h. e. *doctrina elegantia*; nam sufficiebat *Græca doctrina*, seu *Græca litteræ*, nihil enim præter hoc indicari indicat mox ei verbo substituta Ἑλλ. παιδεία. P. 266. med. σύμπος τῆ Προβίωσις vertitur: *Symponus* seu *Adiutor Præfecti Prætorii*: quod prorsus vitiosum est. Nulli tum Præfecti Prætorii, ut post monebimus. Προβίωσιον hac ætate est *Judicium Præfecti Urbis*. Itaque iste σύμπος Πρ. est *Affessor Præfecti Urbis*, ut clarum est e Lib. II. Cap. 52. p. 415. extr. ubi Præfecto urbis subiicitur ὁ σύμπος τῆ Προβίωσις. Etiam si non falsa, tamen obscura sunt p. 268: *Debet mensurator secum ducere duas Cortes, unam quamque constantem binis tentis*. Cur non: *duo tentoria maiora*, (scil. regiam aulam, Cortem, repræsentantia,) *quorum quodque constet binis minoribus*: hoc quisque intelligat. Et intelligas, ni sic vertitur, confusionem nasci. Nam p. 280. C. μίαν κόρην & τέρας περισσὰς vertit: *unam cortem, & superflua tentoria*. Atqui & κόρην est tentorium. Ad illam nostram rationem, si ubique servetur, nil confusionis existere potest. Saltem ubique & cortes & tentas servare V. D. debebat. Et cum ibidem applicatum statim interpretatus sit, vel *stationem*, item post *missalia*, cur non interpretatus est pariter *tapetes funtator*, &c. Porro p. 269. nemo intelligat hunc titulum capitis:

Pro privato regio Vestiariorum, editisque e Kertone ad illud instruendum oneribus baiulandis, destinata sunt sagmaria triginta: at omnes intelligent hæc: Pro privato regio Vestiariorum, & his que dantur e cubiculo, ad sarcinas regii Vestiariorum destinantur iumenta triginta: quæ & capiti sunt consentanea. P. 274. D. Si Optimas amittat sagmarium suum, sive id aberraverit a via, sive aufugerit, sive hostes rapuerint. Ζημιστὰς ἀὐτὸ ὁ Ὀπλιμάχος, hoc V. C. vertit: luit ipse iactura fundi sui: quod est incredibile. Fundum pro uno iumento luat, sive culpa sua, sive præter culpam amisso? Immo: annuum ipse patitur: h. e. iumentum ipsi perit. P. 278. cum alba bene eleganterque verterit, tamen Κερτονίτην dedit pro Cubiculo Principis; neque enim alius intelligi potest. vid. Lib. II. Cap. 1. p. 299. extr. P. 279. A. καλῶς ὑμᾶς εὐρωμεν, non pro cetera elegantia vertuntur: Ut in pulcro statu vos invenimus: ut nec illa pag. præc. 278. καλῶς εὐρωμεν, in pulcris bonisque omnibus vos agentes reperiamus. Ceterum εὐρωμεν scriptum est pro εὐρωμεν vel εὐρωμεν, nisi interrogative capias, quod non sinunt sequentia: deinde interrogat &c. P. 28. C. τὰς ἐρήμους πρὸς τὴν Συρίαν. Enimvero ipsius Syriæ deserta intelligi, e tota reliqua narratione, & e p. 283. unde in deserta Syria vertendum erat: nec indigebat vox deserta ad iunctionem exegeticam talis: h. e. hostium & nostris haud habitabilem agrum. Sed hæc sufficere arbitramur vel ad intelligendum, vel ad monendum.

Iam ita edito, ita Latine verso Operi, in hoc Hædo Vol. accessit *Commentarius in Librum Primum operis*. Is nunc solus prodit, ut Volumen esset par priori: *Commentarius in Lib. II.* cum Indicibus rerum imprimisque verborum, quem maximo desiderabunt eruditi, dilatus est ad Volumen tertium. Ad talem commentarium conscribendum, materiam congregare cœperat etiam B. Leichius, constantem fere locis scriptorum, unde aliquid lucis peti verbis vel rebus posset. vid. inpr. Comm. p. 28. & 94. Huius schedas nactus Cl. Reiskius, inseruit suis notata locis, signoque ab suis discrevit. Ipse iustum *Commentarium scribere instituit: in quo, & de lectionibus,*
quan-

quantum satis est, agitur, & verba atque res vel explicantur, vel illustrantur. In quo posteriori genere interdum amandamur ad Commentarium Libri II. quod sane incommodum est nunc, cum ille Commentarius nondum editus est, idque fit in verbis & rebus, quæ & in primo Libro occurrunt pag. 24. a. Id V. C. ipse non satis probat. Sed cum consentaneum iudicasset, primum Commentarios scribere in Lib. II. quod is sub oculis eius exscriberetur typis, deinde demum in primum, qui vivente *Leichio*, usque ad p. 216. prelum liberavisset, seinel ad Librum II. scripta, loco movere, & ad Lib. I. retrahere, nimis molestum futurum erat. Ceterum ea res posthæc necessitatem imponet Viro doctissimo, ut etiam Indicem notarum conficiat, ad quem recurrere lectores possint, aut in Indice Græco verborum, notula quadam indicet, an, & ubi de quoque verbo in notis sit explicatum. Sed de utraque Commentarii ratione, plura videntur dicenda.

Quod igitur primum ad lectiones textus Græci attinet, *Leichio* subinde accidit, quod plerumque primis editoribus accidisse animadversum est, ut aliud quid ederet, quam quod in MSt. esset, nulla idonea de causa; sive non assecutus scripturam, sive potius non ubique in exscribendo satis diligentiam & curæ adhibens, quæ in tam longo, & tædii pleno labore, facile defatigatur: velut cum pluscula omittuntur, interiecta inter eandem vocem bis occurrentem, ut p. 52. C. post *σιλευ- τιαρίων*. vid. Comm. p. 61. B. extr. Ea re animadversa, *Reiskius* etiam edita cum MSt. diligenter contulit, in Commentarioque notavit omnia & correxit. Atque ut iam *Leichius* in margine quasdam correctiones ediderat, sic *Reiskius* in Commentario interdum corrigit vitia librarii, non modo ea, de quibus supra dictum, (quamquam ista non omnia, ut qui, de *ερασία* pro *ερασία* admonens alicubi, nil monet ad p. 218. (nam ibi iam ipse editor esse cœperat,) de *εφυγιμένην, λαμβάνουση, νομισμάτων*, aliisque alibi talibus ineptiis; nec erat necesse.) sed etiam alius generis, h. e. ea, in quibus, per regulas Grammaticas & coniecturas tollendis, laborare Critici solent.

solent. Sed hoc totum genus Criseos rarum est, & in hoc libro, & in universo hoc genere scriptorum semibarbarorum. Itaque hac ex parte non desiderabunt lectores speciosa. Tanto largioribus nobis esse licebit, in altera Commentarii parte, quæ ad interpretationem verborum, illustrationemque rerum pertinet.

Sed ut formam ante, & rationem commentandi intelligant Lectores nostri, non modo notas scripsit V. C. sed sæpe notarum modum supergressus, mox de quibusdam Byzantinæ antiquitatis Capitibus, longiores disputationes inferuit, ut p. 3. A. 6. B. de *processionibus* Imp. sacris & profanis; p. 9. A. — II. de *δημοσις*, a quibus Demarchi; p. 22. de *Patriciis*; p. 57. de *ὠμοφρότω* Lat. *oratio*; p. 58. de *colombo*; p. 64. *περὶ χεμευσιῶν* vel *χεμευσιῶν*; p. III. de *Iudis Gothiciis*; p. 132. seq. de *Campagiis*, seu *Campadiis*, seu *Campalibus*; p. 144. de *Scaramangiis* &c. mox suggerente memoria doctrinæ copiam, latius exspatiatus, quam necessitas intelligendi scriptoris postulabat, ut in iis, quæ de more vel sedendi vel standi coram imperatoribus dixerit pag. 23. vel capitis denudandi p. 30. pluribus illustrans subinde, quæ *Cangius*, aliique in eodem genere litterarum versati, scripsissent, aut loca scriptorum aliorum vel explicans, vel emendans. Itaque si etiam alter in Librum II. Commentarius prodierit, quem hoc copiosorem fore, ex supra dictis colligere licet, haud dubie inagnum rerum Byz. thesaurum habebimus, quo nemo facile carere possit, qui istam partem doctrinæ velit attingere: quæ si non omnia recte tradita sint, materiam tamen cogitandi suppeditare aliis possint. Sed age, quædam ex hac copia delibemus, admittis admonitionibus nostris, vel dubitationibus, quæ nonnulla retractandi, copiosiusque alibi illustrandi occasionem V. C. præbeant.

• Ad *Præpositorum* mentionem p. 6. b. tria genera *Præpositorum* olim fuisse dicit, *Palatii*, *cubiculi*, & *militum*. In hoc quidem Cerimoniali non nisi cubiculares intelligi, aut *Palatii* & *Cubiculi* præposituram ita tum coniunctam fuisse, ut separari nequirent, sed eidem homini inhzrerent: antiquo.

quioribus autem temporibus diversos fuisse Cubiculi & Palatii Præpositos: etsi enim reperirentur Sec. IV. & V. Præpositi Palatii, qui evnuchi essent, non tamen propterea Palatii & Cubiculi Præpositos eosdem, aut omnes Palatii Præpositos evnuchos fuisse, cum Cubiculi Præpositi semper evnuchi fuerint: reperiri enim viros integros in Præpositis Pal. eorum temporum, ut *Boethium & Cassiodorum*. In quo obiter monet, non fuisse, quare *Hagenbuchius* V. C. ad Diptych. Brix. p. 28. vel de fide atque peritia eorum dubitaret, qui titulum *Cassiodorii* ex eius Cod. MS. qui est in Bibl. *Ampl. Senatus Lips.* exscribere, vel scribam Codicis ignorantia accusaret, cum *Cassiodorium Præpos. Pal.* appellaret. Ipse suis se oculis testatur vidisse, ibi esse *Ex Quæstoris & S. Palatii Præpositi & Patricii Rom.* nec se videre, quare fides isti libro deroganda, & *Præfecti* rescribendum sit, cum & nomina dignitatum & munia tempus mutaverit. In his verissimum est, in Cerimoniali *Præpositum Cubiculi* intelligi: cetera nullo modo possunt probari. Primum certum est, Palatii & Cubiculi Præpositos, semper eosdem fuisse, & nomina hæc communia unius eiusdemque honoris: idque legum & historicorum auctoritatibus firmatur. Leges quidem semper vocant *Præpos. Cubiculi*, nulla mentione *Præpositi Palatii* facta, non omittunt tantum honorem si ab illo diversus fuisset. vid. Cod. Theodos. Lib. VI. & Iust. XII. qui sunt de dignitatibus: at cetera monumenta variant. Notissimus ille *Narsès*, in lapide apud *Gruter.* Cl. XI. n. 1. vocatur *Præpositus S. Palatii*: at *Marcellinus Comes Cubicularium*, & *Cedrenus*, in vita *Iustiniani*, *Κυβερνατάριον* vocat. Quod ab evnuchis argumentum profertur, valebit tamen, cum alios, quam *Boethii & Cassiodorii* exempla protulerit. Nam hi duo fuere in aula Theodorici in Italia, in qua nulli omnino fuere Præpositi, nec Cubiculi, nec Palatii: quod poterat V. C. discere ex ipsius *Cassiodorii Variis* Lib. VI. & VII. ubi omnium dignitatum aulae Gothicæ formæ, nulla Præpositi. *Boethius* *Cons. Patricius & Magister Off.* fuit, ut docent eiusdem *Cassiodorii Variis*: hic autem *Quæsturam & Præf. Præf.* gessit, ut ipse diserte testatur in

Præf. Variarum, deque eo dubitari hodie non debet, nec ei affingi dignitas, quam aula Gothica ignoravit. Nec quicquam valet MSt. Lipf. quem recte *Hagenbuchius* repudiavit. Fatale enim hoc fuit *Cassiodori* libris, ut a librariis Præfecti Præt. in Præpositos mutarentur, neque modo in ipso, sed & in aliis, *Fausto*, *Abundantio*que, ut dudum animadvertere viri docti, *Fornarius* & alii: unde recte *Garetius* omnia ista loca correxit, & *Præfectos Præt.* reposuit: quod & *Cl. Reiskius*, si unam talium epistularum *Cassiodori* legisset, statim ex argumentis vidisset. Agitur enim de tributis, annonæ cura, & similibus, quæ nihil ad *Præfectum Palatii* vel *Cubiculi* pertinent: occurrunt tituli *magnificentie*, *magnitudinis*, quos leges Præf. Præt. tribuunt. Atque etiam illud falsum est, eos, qui sub primis Augustis Præf. Præt. fuerint, sub Theodosiis & secutis, Præfectos Palatii fuisse. Uterque Codex & historia aperte repugnant. Nam illi *Præf. Præt.* non *Pal.* habent, & satis constat, *Iustinianum* Præfectum Prætorio in Africa, a Vandalis recuperata, creasse. Post Heraclii demum tempora evanuisse, & in plures alias dignitates divisa præfectura videtur, ut *Europalaten*, *magnum Domesticum*, *magnum Ducem*, & *Strategos* provinciarum. (vid. Cerimon. Tom. II. pag. 413. seq.) Dubitat etiam V. C. de numero Præpositorum, cum in hoc Cerimoniali modo de uno, modo de pluribus sermo sit. Certa discere poterat e *leg. 5. Cod. I. de Præpos. Cubic.* nempe ordinarie duos fuisse, alterum Augusti, alterum Augustæ, qui *Præpositi utriusque Cubiculi* dicuntur. Cum plures Augusti, Augustæve essent, numerus ad eum modum auctus, ut ipse V. C. vidit.

Pag. 7. a.

7. a.

Post disputationem de Præpositis, est de *chrysothriclinio* nota, eaque erudita & bona, in qua etiam bene, ut arbitramur, *πορφύρα Φυλακή*, quæ in chrysothriclinio fuisse traditur, corrigitur in *πορφ. Φιάλη*. Sed nollemus V. C. hoc excidisse, ut iam apud *Ammianum* triclinium pro tribunali, vel palatii parte occurrere diceret: in quo eum ab libello, nescio quo, deceptum putamus. Est quidem in *Ammianj* edd. quibusdam *minister triclinii Rationalis* XV, 3. sed vitiose, dudumque

que a Valiso, cuius editionem V. C. in manibus habuisse, e pluribus locis patet, e melioribus libris restitutum, e ministro triclinii Rationalis. Mercurius ille, Perla natione, fuerat ante minister S. triclinii, post factus rationalis, ut ille de rhetore Confal. De Cubiculariis cum quædam recte tradidisset, obiter attingit quæstionem, utrum idem cum Silentariis fuerint, an hi genus illorum. Illud existimare Alemanuum ad Procopium: sed falli prorsus. Nam in hoc Cerimoniali clare distingui: deinde Silentariis uxores, Silentariissas tribui pag. 41. B. atqui omnes Silentarios castratos fuisse. Hæc magnam speciem habent. Sed est tamen aliquid dubitationis reliquum ex eo, quod non magis necesse est, Silentariissas uxores Silentariorum putare, quam Diaconissas Diaconorum in Ecclesia. Atque ut Augusti habuerunt suos Silentarios, sic Augustæ Silentariissas, vid. pag. 41. De Demarchis agi pag. 11. supra indicavimus. Sed cum multa de iis dixisset, addit, eos olim Alytarchas appellatos fuisse, idque constare e vexato illo Cod. Theod. L. II. de equis curulibus, loco. Quod unde hauserit V. C. nescimus. Nam in illa lege plane nulla est Alytarcharum mentio: nec lex illa est, quantum intelligere possumus, vexata, sed planissima & intel ectu facillima. De Alytarchis autem agitur l. 2. de expens. ludor. nec ea lex obscura admodum habetur, etsi alytarcharum ratio est obscura, ob constans veterum silentium. Tum quæ de eryno istius verbi ab ἀλύων, & alytarcharum munere, in Olympiis ludis dicuntur, dudum e Phavorino Cuiac. in Obl. & Jac. Godofredus ad Cod. Theodof. l. c. tradiderant. Nec arbitramur Demarchos, h. e. factionum in ludis magistros, eosdem esse cum alytarchis, qui in l. c. agonothez, h. e. ludorum & certaminum arbitri, dicuntur, & spectacula suis sumptibus curabant, nec bene cum Capitaneis civis nostrarum civitatum comparari. In mentione Domestici numerorum, explicata bene post alios vulgata numerorum notione, proponit aliquot coniecturas, super quibus amplius cogitandum videtur. Prima est de numeris ipsis, quæcum coniuncta est altera sententia de portariis: tertia, quam tamen pro re certa proponit,

Pag. 8. 2.

et. b.

ponit, de *ἄριστος* significatione. De singulis dubitationes quasdam, bona cum V. D. pace, proponemus. Existimat, numerum, cum peculiare militum genus significet, ut pag. 4. B. 7. aliisque locis, milites designare eos, qui mœnia, circum, carceres, & quævis publica loca custodiant. Nam 1) e loco Script. post Theoph. pag. 257. B. colligi posse, τὰ Νέμερα *carcerem* fuisse, quæ Cangius porticus faciat: 2) Domestico numerorum subiecti *Portarius*, qui alii esse non possint, quam *ianitores carcerum*: 3) ἀριστον, quem cum *Numeris* eundem putat, non differre a Βίγλη, *vigiliis*, militibus excubialibus, propterea, quod *Acoluthus*, princeps Barangorum, modo *Drungario Vigilia*, modo *Drungario Arithmi* subesse dicatur. Sed veremur, ut istæ rationes satis sint graves. Τὰ νέμερα *carcerem* fuisse concedimus: nec tamen inde sequitur, Domestici milites, qui numeri dicuntur, quia τὰγμα constituunt, carceres custodisse: sed quia milites in stationibus suis custodiebant captivos, ut hodie quoque fit, factum est, ut excubiarum loci, carceres dicerentur. Ut ab excubitoribus sunt *excubita*, ita a numeris *numera*, loca, ubi illi stant & vigiliis agunt. Similiter in Chalcide magni palatii carceres memorantur, non quod ibi carcer ædificatus, & a militibus custoditus sit, sed quod captivi militibus ibi stationem habentibus custodiendi dati. Neque *portarii* Viro docto profunt, nullo modo *ianitores carcerum*, sed nobiliori officio functi, nempe custodiendarum portarum S. Palatii, & propterea officialibus Domestici adscripti, cui cura corporis Imp. & Palatii mandata. Atque hanc ob causam domesticus numerorum in Hippodromo stabat, quod is prope Palatium erat, vid. Cangius in Gloss. Gr. voc. *Portarius*. Ianitoris carceris munus est ignobile, carnifici, quam militi, præsertim custodi corporis Cæsarei, aptius, etiam olim apud Romanos, ut e quinta Verrina patet, ubi Sextius idem ianitor carceris & carnifex. Nec denique, quod Acoluthus Barangorum Drungario Βίγλης & ἀριστον subest, idcirco unus idemque ille Drungarius, & nil differt Βίγλη & ἀριστος: sed cum isti Drungarii essent inter principes corporis sacri custodes, non mirum, si Acoluthus

ille

iste inferior Drungariis, sed & ipse inter custodes Imp. ab utroque mandata accipit, utriusque pareat. Illud autem prorsus novum est, quod V. C. ἑστία ap. Constantin. de administr. imperii p. 140, B. putat notare *dromonium*, i. e. navem vehendo Augusto d'catam, cum remigibus, nullo aut analogie argumento, aut alio idoneo loco scriptoris cuiusquam fretus, sed levi aliqua, ut nobis videtur, specie ductus, a contextu illius loci & verbo μίαν (μίαν ἑστίαν), cum præcessisset δύο δρομόνια, in quem etiam ex ingenio, velificaturus sententiæ suæ, negationem ἢ inserit. Immo ἑστία est in his scriptoribus συνῆστία, coctus, τάγμα, numerus, ut in hoc ipso Cerimoniali p. 334. ante portam triclinii stetit dicitur ἡ τῆ Δρωγγαρία τῶν πλωίων ἑστία, Drungarii ploimon, familia, ut bene verit V. C. h. e. classarii. Et cum illam ἑστία dicatur Imperator reliquisse εἰς τὸν ἰππόδρομον, in Circo (ubi erat statio, ut notum est, prosectorum corporis S.) ad custodiam palatii, non videmus, quomodo hic de navi cogitari possit. De *patriciatu* agens descendit ad *Patriciatum Imp. Rom. Occid.* eiusque originem declarandam: sed interposita e schedis Leichianis excerpta eum de via deduxere, ut ad extremum res non satis declararetur. Imp. Constantinopolitani, ait, ut alio, ita Roman olim mittebant Patricios, res Romanas sua vice curaturos. Cum Episcopis Rom. non bene conveniret cum illis Patriciis, & defectionem ab Imperio Orientis meditarentur, invitare ceperunt Francorum Reges, ad rerum Rom. curam suscipiendam h. e. ad Patriciatum. Hinc iam σύμμιχτα Leichii: in quibus, quia *primi Patricii* mentio, de hoc genere monet, interpositisque iterum Excerptis Leichianis, ad universum genus Patriciorum redit. Ignorasse videtur V. C. librum eruditissimum *Octaviani Gentili* de Patriciis, Romæ 1736. editum. Nec vero illa ratio satis cum historia consentit: nec illi Pontificii Patricii, quicquam commune cum Constantinopolitanis habere: nec adversus Orientis Imp. sed ad defensionem Ecclesiæ Rom. adversus Langobardos primum excogitari. Quo loco de *Candidatis* h. e. multis ostensionalibus custodiæ Imp. exponit, refellit *Valesium*, qui

Pag. 22. b.

25. a.

ad *Ammian.* p. 88. a. existimat, nomen eos a candore cutis accepisse. Si isti milites e solis Germanis constissent, tolerari posse, ait nosier, istam opinionem. Sed tum *candidos* potius appellandos fuisse, quam candidatos. Candidus color in vestibus fuit color aulicus. Et cum milites omnes (vid. *Iuret* ad *Paulini Petrocor. Vitam S. Martini l. 108.*) tum proprie sic dicti, tum in aula seu toga militantes, albas gererent vestes, tum vero maxime protectores sacri corporis Candidati dicti, qui solas eas semper gerebant, cum ceteri officiales interdum aliter coloratas, pro temporum ratione, sumerent. Ad commemorationem *Trisagii*, aliis adlatis, ad extremum, negat, se cum Theologis contendere velle, in Trisagio documentum Trinitatis inventibus: ceterum antiquarios, & in ea formula, & in aliis iteratis, antiquitatis notas agnoscere. Scilicet primos homines, idearum & verborum pauperes, cum vellent rem aliquam *ἐμφασιμῶς* significare, & velut inculcare, idem verbum, eandem formulam, iterum iterumque repetisse. Hinc illam formulam: *terque quaterque beatus*: hinc Numinum nomina bis terque in hymnis cantata. *Theocrit.* Id. XXII. II.

Ἑμνόμας λέδας τε καὶ αἰγιόχῃ Διὸς υἱῷ
Ἑμνόμας καὶ δις καὶ τὸ τρίτον ἄρσενά τέκνον
Κύρης Θεσιάδος.

Orientalium imprimis hunc morem fuisse, ut in laudibus Deorum, & salutationibus amicorum, eandem formulam aliquoties iterarent: unde in lingua Arabica verbum, quod *duplicare*, *iterare* proprie sonat, idem notare *laudare*, *celebrare*, & *iterationem*, eadem *laudes* significare. Inde formulam Arabum: *laudavit Deum, & reflexit* (sermonem) *super eum* i. e. aliquoties iteravit formulam: *laudatus sit Deus*. Quæ possunt tanto facilius ferri, cum D. *Ioannes*, interpret authenticus, in eo loco de Messia sermonem esse doceat, XII. 41. sitque illa visio tota Prophetica, & ad regnum futurum, gloriamque Messia per-

pertineat, non proprie & directe ad Deum trinunum, ut eruditi interpretes dudum agnoverunt. Ceterum, in illa triplici repetitione emphatici quid inesse, reliqua talis repetitionis in V. T. exempla arguunt. Sed hæc specimina facile lectoribus nostris suffecerint. Ceterum gratias debent literati primum *Amplissimo* huius Urbis *Ordini*, qui hunc thesaurum publicari liberaliter concessit, & ei, qui Senatus nomine Bibliothecæ Urbis publicæ præest, *Ill. Mascovio*, qui sua auctoritate & cura perfecit, ut codicis editio liberaliter concederetur, & quam pulcherrime fieret: deinde Viris doctissimis, qui laborem edendi, difficilem illum & molestum, susceperunt, eamque provinciam quovis modo ornare studuerunt: denique librariis, qui tantum sumentum facere in eo opere voluere, e quo non admodum magna spes lucri ostenderetur: qui & rogandi sunt, ut absolvant hoc munus suum, & propediem Commentarium in Lib. II. cum Indicibus & Glossario edant.

IOS. EMAN. MINIANÆ, VALENTINI, ORDINIS sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum sodalis, de bello Rustico Valentino, libri tres, sive historia de ingressu Austriacorum fæderatorumque in regnum Valentiniæ. Ex bibliotheca Gregorii Maiansii, Generosi Valentini.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1752. 8.
Plag. 12.

Cum multum iam debeat *Gregorio Maiansio*, Viro Doctissimo, res publica litteraria, ut plus etiam eidem debeat indies, perpetuo studio continuoque labore idem efficit. Iam ex suis scripsiis prodire foras, & in manus hominum pervenire patitur, cuius supra titulum dedimus, libellum, res quasdam diuturni exitialisque belli, de successione, in regno Hispanico, gesti, illustrantem. Ipse vero quis fuerit ille, (cuius ingenium epistolæ iam testatæ sunt, ad Em. Martinum datæ,) *Ios. Em. Miniana*, in præfatione exponit. Natus ille fuit Valentiniæ Edetanorum Id. Oct. Anni 1671. Pubertatem egres-

egressus, apud SS. Triados Sodalitium nomen professus est d. 19. kal. Sept. A. 1687. ac tirunculus libros sacros fere omnes memoriz mandavit, maxime historicos. Neapolim adolescens delatus, Latinæ linguæ, pingendique arti, per septennium operam dedit, cuius utriusque deinde specimina non contemnenda exhibuit. Reversus in Hispaniam, Latinam linguam quadriennium docuit Liriz; quadriennium alterum Sagunti; deinde rhetoricen aliquot annos in academia Valentina, ab anno 1704. cuius muneris initia oratione, de *revocanda eloquentia*, commendavit. Sed abdicavit se illa provincia, & otio, quod nactus erat, ad scribendum usus est. Confecit vero dialogum de *theatro & circo*; *bellum rusticum*, de quo agimus, cuius dictionem longius a naturali Cæsar's elegantia abesse Maianus V. C. iudicat, cui nos facile assentimur. A veritate tamen defecisse illum negat; etsi studiosissimum Philippi V. fuisse facile largitur, quod lectoribus etiam per se apparebit. Idem librum tertium duobus prioribus eloquentiorem iudicat; ac Minianam præterea *Marianæ historiam de rebus Hispaniæ* continuasse, *Sagunticida*, seu *pocma de Sagunti excidio*, scribere instituisse, *variasque epistolas* ad eruditos homines scripsisse, auctor est. Mortuus est d. 6. kal. Aug. 1730. & cum orationem dominicam Græce moriens recitaret, ut diligentissime semper sacros novi fœderis libros legerat, existimasse monachos, qui aderant, eum delirare, Maianus tradit. Sed ab auctoris vita nunc etiam ad ipsius libri transgrediamur argumentum. *Libro primo* potissimum causas eius tumultus, de quo exponit, enumerat, easque in odio adversus nationem Gallorum, negotiatores maxime, qui sordidissimum quæstum in oris quibusdam Hispaniæ exercebant; porro in Thomæ Henriquezii, dignitate Castellæ Navarchi, & Bidaci Hurtadi a Mendoza, Corzanæ comitis, ad partes Austriacas transitu; tum in nobilis cuiusdam concionibus, adversus domum Borboniam, per Hispaniam passim habitis; denique in Cataloniæ motibus, reperisse sibi videtur. Quo factò *Io. Baptista Bafeti* adventum, arcis Dianensis, Valentiz ipsius, Sagunti, aliorumque oppidorum & castellorum, per

Pag. 1 - 52.

65.

per Austriacos, expugnationes, ac velitationes rusticorum, militumque levia praelia, persequitur, quæ repetere hic copiosius non licet; dum in oppugnatione peninsulæ in Ilercavonibus, cui arx, in altissimo montis iugo, imposita est, subsistat. *Libro II.* discessum *Peterborowii* a Valentia, Barcinonem versus, ad opem Carolo regi ferendam; *Bafeti* cladem in agro Sætabitano, ad vicum qui *Manuel* dicitur; oppugnationem urbis Algeciræ, quam in deditioem etiam accepit Moscosus, dux Philippi; obsidionem urbis Sætabis; *Peterborowii* Valentiam reditum; *Requenzæ*, oppidi in confinibus Castellæ, expugnationem per Britannos factam; recuperationem Algeciræ; Carthaginis novæ, Ilici, Orceles, Alonensis & urbis & arcis, occupationem; *Peterborowii* in agrum *Valentinum* reditum, ideo factum, quod, cum Britannici nominis dedecore, sub Lusitani auspiciis militare volebat; (qui tantum quod redierat, *Bafetum* comprehendi, & navi impositum, *Dertolam* avehi, atque ibi in arce vinculis mandari iubebat;) aliaque fufius exponit. Porro *Philippum Valeram*, infelici eventu, *Murciensem* urbem adortum esse; hiberna fœderato exercitui parata; Valentiam novis munitionibus firmatam; *Murciam* denuo frustra tentatam; *Orcelim* a Francisco *Medinilla* impetu captam; ut & *Ilicem* a *Berwickio*, hispanici gallicique exercitus imperatore summo, vi expugnatam, prodit memoriz; *Carolique* regis, cum *Lichtensteinio* principe, in urbem Valentiam ingressum, fœderatique exercitus adventum tradit, ac seria & iucundiora regis studia copiose persequitur. Nec minus infelicem peninsulanz arcis, cuius supra facta est mentio, arcis *Montesanzæ*, aliarumque oppugnationem commemorat. Tum ad profectionem *Caroli*, Barcinonem versus, & varia de eadem iudicia, venit, atque, post classis Britannicæ adventum, comitem *de Dobna*, cum equitatu in Castellam movisse, auctor est. Multus deinde est in enarrando isto inauspicato praelio, quod *Galloveus*, *Minienfis* & *de Dobna*, ad *Almansam*, adversus Gallos commifere, in quo, horæ dimidia parte, maximæ concussæ sunt opes. Sequitur *tertius Liber*, quo perceptos a Gallis, ex hac victo-

Pag. 49.
52-107.

55.

62.

69.

75.

76.

77.

79.

80.

82.

85.

86.

90.

91.

94.

95.

100.

108.

victo-

- victoria, fructus in primis commemorat. Postero nempe die, quam ad Almaniam magno praelio certatum erat, Ludovicus Borbonius, Aurelianensis princeps, in castra delatus, ex itinere *Requenam* recepit, ac *Valentiam*, tubicine missa, ad deditionem poposcit. Quis vero fuerit urbis tum status, & quibus tandem conditionibus d. 8. Id. Maii a. 1707. Philippo dedita sit, pluribus verbis eleganterque commemorat. In multam, urbi & provinciae LM. aureorum imperata, brevique pernumerata esse docet, nec Gallorum diripiendi, spoliandi, incendendique omnia libidinem tacitus relinquit.
116. *Sabatibus*, oppidi, oppugnationem, a *d'Aseltio* susceptam, ac feliciter ab eodem, sed ferali urbis excidio, peractam, diligenter exponit; qui tamen idem, minus considerate auctori nostro *Dianium* adortus videtur, unde, morbis, ex caeli & aquae malignitate, totis castris vulgatis, ad obsidionem solvendam eum compulsum esse iudicat. Quomodo reliqua oppida sint a Philippi copiis subacta, & quae passim exercita latrocinia, repetere hic necesse non est. Id potius adhuc observamus, in violatae fidei vindictam, totius civitatis & provinciae Valentinae formam esse mutatam; abolitum esse ius municipale, & Castellanos dici, omniaque eius gentis more administrari, tum per Valentinorum homines, tum etiam per Castellanos, cepta esse. Regio item nutu, Seviros, publicae rei administrandae, quod antea fortitione fiebat, creatos: quibus, post aliquot menses, abrogatis, *Rectores* cum *Corporibus* institutos, & in ipsa civitate, & reliqua provincia; ac demum, oppressa prisca Valentinorum libertate, cives, de avita immunitate deiectos, qui antea in liberae modum gentis sua iura tuebantur, communem, totius Hispaniae sortem, frustra ingemiscentes, subire coactos esse, commemorat. Quibus artibus *Dertosa*, & *Dianium*, oppida munita, sint a Philippici expugnata, idem tradit; & , quam irrita conatu recuperare illud Austriacae copiae studuerint, perhibet. Finem belli Valentini fecit Alonensis arx, post diuturnam obsidionem, a Stanhopio dedita. Subiunctus est historiae, *index* rerum memorabilium & nominum, maxime priorum.
- Du-

Dubium non est, hunc librum res multas, eo bello gestas, factum in primis ad Almanam prælium, & multarum urbium expugnationes, mirifice illustrare; vellemus tamen, diligentius Auctor temporum rationes adhibuisset in consilium, nec tam aperta odii in omnes, qui secuti sunt regis Caroli partes, signa, in libro suo dedisset.

AD NOBILISSIMUM ET PRÆSTANTISSIMUM Iuvenem, Fabricium, ex Marchionibus Paulucis. Camilli Pauluci S. R. E. Cavd. ampliff. fratris filium. FELICIS ALOYSI BALLASSI, Forolivienfis, congregationis Rhenanæ S. Salvat. Canon. reg. de Viribus Vivis opusculum. 8vo pag. 29. Tab. æn. 12. Eiusdem Auctoris epistola, in qua legem continuitatis in collisionibus corporum servari ostenditur eisi non prius velocitas incipiat exstingui, quam eorum primæ partes sese contingant, 8vo. pag. 23.

Tab. æn. 1.

Lucæ, 1751. typis Salvatoris & Io. Dominici Marefcandoli, Superiorum permiffu.

Pro Leibnitiana virium mensura pugnavit Vincentius Riccatus S. I. in *congressibus*. Argumenta, quibus usus est, talia visa sunt Auctori nostro, ut regeri adhuc quædam possint. Res autem omnis, quæ Ballassum occupat, eo redit, cui virium mensuræ nota formula $pdv = mvdu$, litteris p, m, v, u , potentiam, massam, spatium, velocitatem notantibus, conveniat. Antequam hoc adgrediatur, difficultates quasdam tangit, a Riccato circa virium compositionem & resolutionem motas. Redeunt hæc potissimum eo, quomodo possit composita vis minor esse summa componentium; item, an, ut componentes vires causæ rationem habent ad compositam, ita diagonals vis rursus causæ physicæ rationem habeat ad laterales, in quas resolvitur? quod propterea dubium videri potest, quia lateraibus viribus insunt partes mutuo sibi op-

positæ, quæ destruunt se, dum compositione illarum diagonalis nascitur. De his felse Auctor agit; non possunt vero illa sine figuris explicari, neque ad virium mensuram proxime pertinent, & ut verum fateamur, non magis momenti nobis videntur. Ipsa vero, Balassi obiectio huc redit: Aequationis

ante exhibitæ integralis est $\int pds = \frac{mv^2}{2}$, qua effectus vis

mortuæ definitur quadrato velocitatis proportionalis. Sed eadem

formula dat $\frac{pds}{u} = mdu$ & $\frac{\int pds}{u} = mu$, ubi effectus vis

mortuæ est ut velocitas ipsa.

In hoc ratiocinio id profiteamur a nobis omnino non intelligi, quomodo possit effectus instantaneus esse $\frac{pds}{u}$, si idem

est pds . Certum est, si sit $pds = mdu$, fore etiam $\frac{pds}{u} = mdu$;

sed certum etiam est, cui quantitati proportionalis est pds , eidem non posse sumi proportionale $\frac{pds}{u}$, per variabilem u divisam, saltem nisi id perspicue ostendatur. Igitur, quid hac sua obiectioe contra Riccatum Balassus effecerit, nos non videmus.

Epistola Boscovichio opposita est, qui in libro de lumine, & in dissertatione de viribus vivis, vim repellentem attractrici Newtonianæ adiungit, contenditque, ultimas particulas corporum sese contingere non posse, quibus, si v. g. duo corpora perfecte dura æqualia, iisdem velocitatibus sibi occurrerent, particularum se contingentium velocitas omnis destrueretur subito, non transeundo per gradus minores. Igitur credit Boscovichius, paulatim velocitatem vi repellente ante contactum imminui. Auctor sinit, particulas corporum non perfecte duras esse, sed aliquantulum molles, quales Bernoullius, in dissertatione de motu, esse debere ostendit, ut lex continui in conflictu servetur. Sic vero facile Boscovichii argumentum ener-

enervat. Nobis autem non videtur Boscovichius tales particulas admittitur, quoniam eæ necessario ad infinitam corporum divisibilitatem deducunt, quam negare Boscovichium Auctor ante professus est. Ipsa vero lex continui, summis geometris, Ill. de *Maupertuis* & *Mac-Laurino*, non adeo firma visa fuit, ut negari non posset; cuius disceptationis argumenta expendit *Kästnerus*, Collega noster, V. C. in *dissertatione de lege continui in natura*, Lipsiæ 1750. publicata.

IO. GRASHUIS, MED. DOCT. ACAD. CAES. NAT. Cur. & Reg. Chir. Paris. Soc. de Colica Pictorum tentamen. Accedit, de natura, sede, & origine hydatidum disquisitio.

Amstelodami, apud Isaac. Tirion 1752. 8. mai. plag. 8.

EO maiori cum voluptate huius de colica Pictorum commentationis in nostris Actis mentionem facimus, quo maiore cum circumspectione, in explicanda vera morbi natura, versatum fuisse Cl. Grashuis deprehendimus; nec veremur adfirmare, hanc, qua usus est, methodum medendi, in aliis, cum hoc convenientibus morbis, sua, si rite fuerit adhibita, utilitate, nullo destitutum iri modo. Quod ad calcem libelli, adiunctis observationibus, ab ipso etiam confirmatum fuisse Auctore, lætamur. Colica, dolor intestinorum est, qui, ad summum ubi devenerit gradum, & pertinacissimus est, *Pictorum colica* plerumque vocatur. Naturam huius morbi, & quæ illum comitantur symptomata, varii quidem iam describere: de iis tamen ab initio statim monet Cl. Auctor, fluxisse quædam, & ex hypothese nata proposuisse momenta, quæ in ipsius morbi natura fundata non sunt. Causa certe proxima in dispositione intestinorum hæret, quæ præfens dolorem producit. Obscura autem illa cum sit, & huc usque fere incognita, analogia aliorum morborum, eorumque effectuum, merito consulenda erat, ut, quod naturale huic morbo sit, perspiciatur. Et hæc illa est ratio, cur

Pag. 3-

dysenteriz & tenesmi dolorum comparationem cum colica
 intuluerit. Conveniunt omnes hi dicti morbi, dolorum
 vehementia, eorum remissione, novaque exacerbatione,
 initio leviori viso, augmento graviore, nausea, vomitu, vi-
 giliis, deliriis, convulsionibus, evacuatione copiosissima mu-
 ci; per acra medicamenta omnes ingravescent, demulcenti-
 bus leniantur, uno verbo, tantus lapsus eorum est con-
 sensus, ut a se invicem, si dolorum vehemenciam, & effe-
 ctus eorum tantum respexeris, vix possint discerni. Acris in
 his adfectibus semper solet accusari humor, qui vero omnem
 facere vix videtur paginam; hinc symptomata, accedentia
 ac concomitantia, æqua penitans lance Cl. Auctor, ad mu-
 cosas attendit evacuationes, & ulcerum in intestinis exor-
 tum, mucii vero abscessum proximam sistere causam inde
 intellexit. Solet autem eiusmodi mucus omnibus fere
 corporis nostri cavitatibus inesse, quod anatome testatur, & Cl.
Grasbius variis exemplis confirmat. Hic mucus abscedendo
 vehementissimos causatur cruciatus, prout angina gangrænosa,
 in Anglia Galliaque grassata, *Chomelii* item & *Fothergillii* ope-
 ra sedulo scripta, manifeste docent, nec non in stranguria
 admodum sæviente clarum est. Ex his itaque conficitur,
 colicam Pictonum a mucii abscessu, a motu, qui naturalis in-
 testinis est, peristaltico, acerbiorum fieri debere, quippe quo
 partes sibi appositæ fricantur, eroduntur, exulceranturque.
 Ad symptomatum vero indolem explicandam priusquam ac-
 cedat Cl. Auctor, ex *Monroi* de tunica villosa data descrip-
 tione, si quid adhuc super sit obscuritatis, deducere cuncta an-
 nititur. Inter effectus, dolorem observamus per vices sævire,
 vel quod non continuo acra per intestina deferuntur, vel
 quod mucus restituitur, iterumque aufertur. Omnia autem
 ingesta novum mucum procreant, quod sensibilissimi nervi a
 quocunque afficiuntur corpore peregrino, quorum maior fa-
 cta denudatio, in progressu etiam morbi vehemenciam auget.
 Sed cum dolores nervorum constrictiones efficiant partium,
 cur alvus pertinaciter claudatur haud obscurum est, prout
 etiam doloris, vel in loco quodam constantia, vel ex uno in
 alte-

alterum translatio, facile patet. Sequuntur autem nervorum affectiones, aliaque, ut vigiliae, deliria, convulsiones, paralyfis; de qua tamen ita iudicat Auctor, ut perperam eandem a nonnullis pro crisi haberi demonstret. Graviora certe haec symptomata, non nisi dubium de eventu medicum relinquunt, & summam curationis inducunt difficultatem. Periculo nunquam caret morbus. Leviores quidem gradus a natura quandoque curantur; summus autem, cum intestinorum coniunctus exulceratione, pessimus est, in primis, quod nulla evacuatio in toto morbo contingit critica: ex iis enim, si supervenerint, sudores copiosiores, spontanea alvi resolutio, & similia, morbum iam mitigatum esse significant, nec eundem solvunt. Quid mirum igitur, curationem etiam multum facessere negotii, & perversam, si adplicata fuerit, methodum, in vitae discrimen adducere aegrotantem. Coactum autem se vidit Cl. Auctor, demulcentibus uti & opiat, quibus saepissime licet introductum fuisse vidit levamen, nunquam tamen sibi satisfecit, quod fundamento destituebatur horum remedium usus. Denuo animus, in causam proximam, quam exposuimus, intentus, empiriam hancce demum verae viae ingressum aperire comperit Noster, atque ad quatuor indicationum momenta restrinxit curationem: ad doloris nimirum, sine causae habitae ratione, lenimen; ad causae proximae ablationem; ad partium laesarum restitutionem; & ad alvi constipatae resolutionem. Priori indicationi, praeter quietem, anodyna, & ex his summum fere, opium, in larga dosi, diuque exhibitum, prodest; altera demulcentia postulat, quo mucus abrasus suppleatur. Horum alia interne, ut oleum Amygdalarum dulcium, vel similia, aut mucilaginosae, ex gummatibus aliisque vegetabilium partibus parata, farinosa deinde, & terrea pingua adhiberi possunt: alia externe, enematum forma, balnearum, fomentorum, cataplasmatum specie adplicari; ex quibus omentum recens mactati animalis, abdomini impositum, vel viva animalia, neophyta, reliquis plus praestant. In tertia indicatione maior est difficultas; non enim, nisi motu convenienter adaucto, restituuntur secretio-

Pag. 37.

45.

nes,

- nes, quicquid autem illum nimis incitat, dolorem & periculum auget. Sola in roborantibus & adstringentibus, sine caloris augmento id præstantibus, remediis spes superest; plurimumque profuit cortex Cascariillæ, Peruvianus, Cinnamomi, tandemque succus Catechu. Quarta denique indicatio eiusmodi requirit laxantia, quæ pariter leniter agendo, lenius stimulant. Præter clysmata, Tamarindorum vel Cassiæ pulpa, atque Rhabarbarum, faciles effectus prodixerunt, præcipue, si anodynorum usus simul cum iis fuerit continuatus, quam sagacem, diversis indicationibus satisfaciendam, remedium miscelam, in toto morbi decursu experientia felicissimam evasisse, expertus est Cl. Auctor. His, quod novam morbo obviam eundi methodum illustrant, paulo fusius inhærendum esse censuimus: iam deinceps in symptomatum quorundam & peculiarium mitigatione Cl. Auctor disquirenda sollicitè versatur, de qua nonnulla adhuc liceat mone-
re. Ad inflammationem in plethoricis cavendam, tantum venæsectio commendanda est, parum vesicantia, fonticuli, & similia præstant; nocent autem vehementer emetica & purgantia. In diæta eupepta, farinosa & demulcentia eligenda sunt, nervorum vero symptomata sponte sua plerumque cessant. Præcavere autem morbum grave est, ni impossibile: rerum non naturalium exquisita tamen observatio, haud parum adfert levaminis. Luculentum satis de genuina medendi hæc methodo testimonium præbet, exorta ex iisdem causis, & a Cl. Auctore adducta cardialgiæ species, quæ solo forte loco adfecto, quem ventriculum esse sciendum est, a colica differt, hinc iisdem etiam medicamentis obtemperavit.
- Licet autem hæc adeo de rei veritate certos nos reddere possint, ut de iis vera vix sit dubitandi ratio: in duobus tamen adiunctis casibus, ulterius suam in medendo peritiam demonstrat Noster. Prior colicam habitualem & dysentericam, corticis *Simaroubae* ope felicissime curatam tradit. Hic enim cortex, quod incassum per anodyna antea tentatum fuerat remedia, perfecit, & dolorificas admodum
& sanguinolentas compescuit deiectiones. Posterior casus,
fran-

Stranguriam vel teneſmum veſicæ, per viginti & ultra annos moleſtiſſimam ſubitiſſime curatam recenſet. Hæc per plures annos ſumma cum moleſtia afficiens ægrotum, variis tentata fuerat remediis, uſque dum exhibitis ab Auctore tincturis corticis peruviani & cinnamomi atque ſpiritu vitrioli, nec non corticis peruviani & ſucci catechu, protinus tolleretur. Utraque hæc hiſtoria morbi, Actis Academiæ naturæ curioſorum inſerta legitur. Superest, ut de diſquiſitione de hydatidibus adhuc dicamus, quam etiam alio in Academiæ adductæ commentariis loco iam propoſuit Cl. Auctor. Siſtit autem hytadis veſiculam membranaceam liquido plenam ſucco, de qua, quid veteres atque recentiores ſenſerint, primo diſpici-tur. Alii namque ex pituitæ concrectione eas deduxerunt, alii glanduloſas eſſe, alii lymphatica vaſa, alii ſanguifera diſtenta referre, alii ex humore, ex vaſis lymphaticis ſtillante, & inter vicinas membranas effuſo, proſiſci, alii a vermibus, in corpore enatis, oriri, autumarunt. De quibus opinionibus, cum dubitandi rationes ſuperſint, probabile fit Noſtro, eas in cellulosa membrana produci vel recondi, ex eo potis-ſimum, quod iis ſæpe globuli deprehenduntur ſeboſi iuncti eſſe, & materies, eas replens, mutatæ vel corruptæ, pingue-ſcunt ſimillima. Nec obest, clauſas ſatis denſa membrana veſiculas illas eſſe; quippe cum cellulosa telæ conformatio, ana-tomicis teſtibus, ſuis membranulis, varie productis, cavitates conſtituat, hydatides vero in omni loco corporis, quorum nullus hac tela caret, inveniuntur, numero porro, & ſubſtan-tia immente variant. Immo cum illa in viſcerum compa-gem uſque penetret, fieri etiam poteſt, ut tota quaſi viſcera in hydatides permurentur.

MUSEUM VERONENSE, HOC EST, ANTIQUARUM
Inſcriptionum atque Anaglyphorum Colleſtio, cui Tauri-nenſis adiungitur & Vinobonenſis. Accedunt monu-mento id genus plurima, nondum vulgata, & ubicumque colleſta.

Veronæ, typis Seminarii, 1749, fol.

Alph. 3. plag. 20.

Maffei, Viri Illustris & de re antiquaria si quis alius optime promeriti cura, prodit tandem vere Novus Thesaurus, tum Inscriptionum, tum Anaglyphorum, quæ Veronæ, Taurini & Viennæ, vel ipsius studio & opera collectæ, vel consiliis eius saltem ab iniuriis tum temporis, tum non intelligentium, vindicatæ asservantur. Quod ipsum quidem, quamvis ad commendationem huius Musei, non possit non maximam viam habere, cum neque a Maffei, vulgare quid expectari, neque e Museis regis, summis Principibus digna, id est, optima quæque non sperari debeant; tamen multo magis nos viris doctis Operis huius usum probaturos esse confidimus, quando & Gruterianum opus inmortale sine hoc Museo mancum, Muratorianam vero Syllogen, neque utilem omnino, neque ullo modo ferendam esse, libere protestemur. Nam quid quæso est, quod vel ab amplissimis Inscriptionum antiquarum collectionibus, utilitatis expectare possis, quibus tuto fides non haberi potest? qua in re omnis earum, ad docendum rerum gestarum ordinem, explicandas tum sacras, tum profanas ceremonias, amplificandum vel Grammatices, vel Historiæ, vel Geographiæ ambitum, explicanda denique omnis generis antiqua monumenta, usus ita positus est & defixus, ut sine certa fide nihil quidem utilitatis inde capi, multum vero detrimenti ab incautis & temere credentibus afferri rei literariæ possit. Etenim cum in omnibus monumentis antiquis, quibus ad indaganda vel firmanda veteris memoriæ acta utimur, illud diligenter cavendum sit, ne quid spurium, aut suspectæ saltem fidei imprudentibus nobis inter certa & indubia se ingerat, ita in Inscriptionibus potissimum evulgandis & exscribendis infinita pene diligentia elaborandum est, ut ne unius dubiæ Epigraphes contagio, centum optimorum vetustissimorumque Epigrammatum auctoritas, si non plane concidat, certe insigniter labefactetur. Quæ

pag. 9. & 10. cum ita sint, quid est quod honorificentius & ad faciendam
 Præf. fidem aptius de Museo nostro dici possit, quam collectorem
 arche-

archetypa magno studio consuluisse, diffusum ingenio suo, adiumenta oculorum quævisse, & quamvis XXX Ligorii Tomis avtographis libere uti clementissime ipsi indultum fuerit, ne unam tamen e chartaceis fodinis erutam attulisse, a libris etiam cufis, sed ferme ignotis suppeditatas omisisse, & paucissimis denique exceptis, non nisi existentes & a se vel ab eruditis qui miserunt, originibus inspectas exhibuisse. Intellexit scilicet Auctor Illustris, eiusmodi elogia si non nisi scripta chartisque tradita serventur, in easdem Viros doctos dubitationes adducere, ac e veterum auctorum libris perpetuo oriri solent, quos a librariorum non magis inscitia, quam a Criticorum licentia immutatos, auctos, diminutosque habemus. Has ergo molestissimas dubitationes ut tolleret, pulcherrimaque simul monumenta ab iniuria indoctorum, qui hodieque mutilare ea, comminuerunt, immo calcem etiam de his coqueret non dubitant, tuta præstaret, a XXXV. inde annis, de pretiosissimis his monumentis a temporis hominumque iniuriis vindicandis cogitavit, nullisque sumptibus parcens, insignem aut quarum inscriptionum & anaglyphorum copiam Veronæ collegit. Hac autem re non sibi solum eiusmodi cupidiarum cupidissimo, sed orbi, qua patet, litterario, maxime consultum cupiens, monumenta collecta non privatarum ædium cancellis inclusa continuit, sed ut ab hæredum vel incuria, vel negligentia salva omnium in omne ævum oculis paterent, in publicum contulit, neque tamen Museum Maffeiæ Præf. pag. 2. non appellari potest, sed eos, qui id facerent, rogavit, ut publicum potius dicerent, cum ipse modestissime profiteatur, nihil tam magnificentum sibi videri & nobile, quam Augusti effectum in Marmoribus Ancyranis: Capitolium & Theatrum refecit, sine ulla inscriptione nominis mei. Nostrum non est, ut de loco, ubi hæc monumenta collocata sunt, & de singulari cura, qua, ut commodissime & legi & a tempestatum iniuria, omnive alio detrimento facta tecta conservari possint, prospexit, pluribus hic exponamus, cum ea & melius ex Ichthyographia Musei, huic Operi præfixa, intelligi, & ex ipsa Viri Ill. descriptione plenius edisci possint: id tantum lectores

monuisse sufficit, eodem ordine, quo in hoc Volumine Epigraphes recensitas legimus, easdem in ipso Museo dispositas esse. Tandem vero non postulantis modo, sed flagitantibus enixe & vehementer plurimis horum monumentorum divulgationem, ad id negotium se accinxit, & quia vel pluries iam edita ab ineditis sciumgi haud deceret, omnia quidem vulgare constituit, sed, prudenti sane consilio, repræsentare solum, non enucleare, quod infinitum foret, & illustrare suscepit, ita tamen, ut ubi opportunum, vel nec esse etiam videretur, brevilouentes adnotationes adderet. Seldenum in Arundelianis, & Falconerium in Athleticis secutus, earum exemplum minusculis litteris repetitum adiunxit, versione latina ut plurimum de novo adornata. De Anaglyphis autem sigillatisque marmoribus, quæ in Museis Veronensi, Taurinensi & Viennensi asservantur, quamvis ea ipsa etiam huic Volumini inseruerit, explicationes tamen ingredi, non idoneum ipsi visum est. „Tam diverse enim, inquit, procedunt, quæ verbis loquuntur monumenta & quæ sculpturis tantum figurisque, ut nequeant utraque commixtim pertractari, minusque apte possemus eodem tempore eodemque in opere de utrisque rem habere.“ Ingenue quidem fatemur, nos non tam perspicaces esse, ut huius opinionis rationes vel divinando assequi possimus, facile tamen Viro in his rebus & oculatissimo & versatissimo credimus, certissime persuasi, eum, in fusiori explicatione figuratorum horum operum, quam publicare olim, favente Deo, constituit, hunc nobis scrupulum facile exempturum, omnesque genuinæ antiquitatis amatores, summo plane, & quod vix ab alio quam ab ipso recte expectare possint, beneficio demeriturum esse. Ne quid vero Tibi, Lector, inuideamus, en ordinem, secundum quem enumerari fere posse Anaglypha, III. Auctor existimat: Bacchica subsequantur Circensia, Nereides, Musæ, Venantes, Phaëton, & extremo laborantes morbo agmen claudant, supremis affinium officiis circumfessi. Hæc sunt, quæ de cura in vulgandis his trium elegantissimorum Museorum cimeliis adhibita, præmonere Lectores in Præfatione Auctori

pla-

placuit. Pauca addit de Inscriptionibus, Variarum nomine adiectis, quæ & nos attingere necessium habemus. Nemo scilicet est, qui Ill. Auctorem, generalem olim veterum inscriptionum collectionem molitum esse, editoque 1732. prospectu, orbem eruditum in spem maximam eius aliquando potiundi adduxisse, nesciat: qua si excidisse nos dixerimus, nemo profecto erit, qui doctissimo alioquin & de re litteraria meritissimo Muratorio non vehementer succenseat, quod in alienam messem falcem imittendo, non solum dulcissimam spem Viri doctis eripuerit, sed dum explere sitim eruditorum cupiebat, limpidos etiam antiquitatis fontes, saxa cum lymphâ imprudenter ingerendo, ita turbaverit, ut vix sperandum sit, unquam eas a fordibus, quas inde contraxerunt, plene purgatum iri. De hoc itaque nunquam satis laudando, colligendarum omnium inscriptionum instituto, exponit Ill. Auctor, ordinem, quo inscriptiones digerendæ fuissent, ostendit, & X Præf. pag. 8. Tomos, spurios, confictis, monstrosos, sphalmatis deformibus, communissimis nominibus signatis, fragmentis denique inutilibus omissis, tali collectioni suffecturos fuisse existimat. Diligentiam suam, qua in consulendis archetypis usus sit, paucis 9. attingit, tandemque illustre singularis modestiæ exemplum posteris futurus, his verbis de Muratoriana collectione sententiæ mentis explicat: „Orabam (in prospectu universalis collectionis 1732 edito) ut quicumque inscriptiones ex autographis acceptas in adversariis haberet, vel transmittere non gravaretur, vel in publicam lucem, ut consilium meum iuvaret, proferret. Protulit ergo Thesaurum suum, ex amicorum epistolis collectum, Cl. Muratorius, sed tam opulentum & amplum, ut iuvandi & augendi loco ædificium ferme subruerit meum: nam ineditarum, quas mihi seposueram, maximam partem vulgavit. Quod me protrahentem diutius, & immodice procrastinantem, vir doctissimus præverterit, nequaquam dolui; dolui consilium suum mecum 10. non communicasse, & quantam eiusmodi iam collegisset messem, non aperuisse: nam ego societatem libentissime iniissem, illumque collectionum mearum participem fecissem.

„Norum est, perquisisse me huic studiorum generi deditos,
 „quibus provinciam istam laboriosissimam, tædioque & pericu-
 „lis undecunque plenam, traderem, & commendarem. Iam
 „vero mirum est, ultra duo millia tamen inscriptionum vete-
 „rum ac monumentorum, relicta adhuc mihi fuisse, ut huic
 „Voluntati pretium facerem. Unum adhuc restat, quod
 „profecto non prætermittam. Sæpius in adnotationibus in-
 „scriptiones, versiones, opiniones, quæ in Novo Thesuro
 „exhibentur, reprehendi contingit. Id quidem fieri debuisse
 „nolle, nollem etiam factum, sed ad id necessitate quadam
 „me adactum censui. Attamen Herculeum & χαλκίερον
 „collectorem me propterea parvi facere, aut minor: exalti-
 „matione prosequi, suspicetur nemo. Multiplicem eius do-
 „ctrinam & infinita pene, quæ, supra omnia exempla, in ma-
 „nus hominum dedit, & continue dat, maxime facio, celebri-
 „admiror. Quod ad eam collectionem maximam pertinet,
 „perpendendum est, aliorum opera sæpe in his uti oportere,
 „itemque opere in longo fas esse obrepere sumum. Inscr-
 „ptiones sine erroribus conglobare impossibile factu est. Ad-
 „das velim, non huic præcipue studiorum generi, quamvis
 „& in hoc præstet, virum doctissimum se dedisse: maioribus
 „intentum argumentis, atque occupatum rebus, hæc inter-
 „dum velut alia agentem tractasse puto. Ut sit, permul-
 „tas præstantesque ab eo vulgatas esse Epigraphes, quæ alio-
 „quin adhuc delitescerent, omnino constat, multaque etiam
 „enarrata & tradita, quæ antiquam eruditionem non mini-
 „mum illustrent & iuvant.“

Longiores sumus in exponendis iis, quæ Ill. Auctor in
 Præfatione præmonuit, idque non ideo solum, quod quem-
 vis instituti sui optimum interpretem esse opinamur; sed eo
 etiam consilio, ut Lectores, de totius Operis constitutione &
 natura iam satis edocti, ex breviori contentorum recensione,
 & paucis, diligentæ in elaborando adhibitis, speciminibus, iu-
 dicare possint, Maffeiæne expectationi doctorum hominum
 satisfecerit; nunve eam, uti nobis persuasum est, superaverit.
 Age ergo secundum eum ordinem, quem A. Ill. in disponen-
 dis

dis Anaglyphis & Inscriptionibus secutus est, ea recensemus, quibus maxime invitari posse doctissimum quemque credimus, ut sibi hoc Museum, non solum quando Gruteri Muratoriique fides fablesta videtur, evolvendum, sed etiam totum diligenter perlegendum esse censeat.

Primum locum Auct. III. XXIV. Etruscis Anaglyphis iisque fere omnibus litteratis tribuit, nunc quidem in æs nude incis, alias vero fultius explicandis, quando, Deo favente, de rebus Etruscis peculiari commentario exponet. Sequuntur monumenta Græca, in quibus XLII. Anaglypha, itidem litterata, & novem numi Colon. Græc. ex Thesaurio Jacobi Mufel- hii hic primum evulgati, eminent. Altera Epigraphæ, quæ Venetiis primum & deinde a Grutero vulgata, multo hic emendatior ex ipsa nempe hypobasi diligentissime exscripta, prodit. Id quod etiam de ea monendum, quam Sponius in Isthmo Corinthiaco exscripsit, quæ nunc amplior & correctior affertur. Habes iam Gruterum Sponiumque amplificatum, Lector. Adde Patinum, & ei duobus marmoribus, quæ erudito commentario explicavit, ab antiquario proxeneta impostum esse, discere, quippe qui anaglyphis vetustis, Inscriptiones ad ea non pertinentes, addidit. Denique etiam marmor a Reinesio (p. 364.) pro spurio habitum, & cuius contextum non nihil hæsitationis prima specie inducere III. Auctor non negat, oculari lapidis inspectione, si quis his cupediis affuetus sit, omni suspitione liberari, elegantissimo æque ac intelligentissimo Masseio crede. Ex ungue ergo leonem. In paucis hisce paginis, quibus Græca continentur, Gruteri, Sponii, Patini, Reinesii immortalia monumenta, emendatiora & ampliora facta vides: plura ergo huius generis exempla, quæ in sequentibus obvia sunt, ne expecta; sed nos in posterum, quos instituti ratio breves esse iubet, in iis recensendis diligentes esse patere, quæ Doctiss. Auctor in Annotationibus attulit. Sic τὸ ἐξοδίασεν quod non nisi apud LXX. 2. Reg. Cap. XII. 12. legitur, & quod in vulgari Græcorum lingua in usu est, in duabus etiam Epigraphis legi, aliamque formulam, κατὰ πῶρον

Pag. 8-9.

11-68.

34.

14.

39.

55.

57.

23.

26.

- πᾶσαι τοῖς θεοῖς, *Diis aliquid offerre*, quæ unico & singula-
 ri exemplo ab iisdem Lev. II, II. adhibetur, marmoris vetusti
 Pag. 32. auctoritate firmari docet. Ad Oxoniensium vero marmoris verba
 Μηγαγόρας Μηνάδος Νικομηθεύς, καὶ ὑπὲρ Ἀνθρακιά-
 σης Ἀντιοχισσῆς Ἀπολλίνης, a se ita convertit: Menagoras,
 33. Menadis filii Nicomedentis etiam pro Apollina Antiochena
 Cereris Pruniconda, hæc adiecit: „Officium in Græcis Scri-
 „ptoribus nunquam visum, voce apud Latinos non audita, &
 „de novo fabricata transferre audeo. Ab ἀνθραξ, ἀνθρακία,
 „ἀνθρακίω, ἀνθρακίῳ, nempe ignitis carbonibus additis,
 „prunas custodiens, servans. Conditus, qui condit, hoc est,
 „servat. Religiosum munus hucusque ignotum hic discimus;
 „quamvis de Cereris sacris tot Auctores personent. Selectas
 „virgines in Cerealibus adhibitas scimus omnes; sed unam ad
 „igneam, ne in templo deficeret, custodiendum deputatam
 „fuisse, audierat nemo; neque enim de Vestæ penetralibus
 „agitur, & quid Cereri, diceret quisquam, cum carbonibus &
 „igne. Veruntamen in Paulanæ locum incidi, ex quo res
 „plana fit. Is Mantinæ in Arcadia Cereris & Proserpinæ
 „templo memorato: Πῦρ ἐνταῦθα κείνται; ποιῶμενοι φροντί-
 „δα μὴ λαθροφίσω ἀποσβεσθῆναι; ignem in eo accendunt,
 „curam adhibentes, ne extinctus lateat. Quod mirum videri
 „non debet, quia *Ceres ipsa est Terra*, & condendis urbibus
 „præesse dicebatur, *quod eandem Terram volunt*: quin Sa-
 „crum Cereale fiebat Telluri & Cereri. Docet hæc Servius ad
 „Georgic. Lib. III. v. 7. ad Aen. IV. 50. ad Geor. I, 21. Inter
 „illos, qui Cererem Terram volebant esse, numerandus Chry-
 „sippus apud Ciceronem, de nat. Deor. L. I. Verum Terram
 „pro eodem Numine habitam ac Vestam, liquet. Dionysius:
 „Ἔστι δ' ἀνα κείναι τὸ πῦρ νομίζουσι, ὅτι γῆ τε οὖσα ἡ
 „θεός, καὶ τὸν μέσον κατέχουσα τὸ κόσμον τόπον. Phur-
 „nus ab de Cerere & Vestæ: Ἐκάτερα δ' εἰσὶν οὐχ' ἐτέ-
 „ρα τῆς γῆς εἶναί. Ovidius:

Vesta eadem est ac Terra: subest vigil ignis utriusque.

Ecce

„Ecce & pro Cereris igne, & pro Prunifera nostra testimo-
 „nium præclarum.“ Hæc de Pruniconda sua Maffeius, qui
 & de Diis epichoriis, quos Servius topicos vocat, aliisque
 huius Musei lapidibus Græcis, multa se traditurum esse ait,
 ubi de inscriptionum præstantia peculiari Commentario expo-
 net: suam vero sententiam, quam iam in Præf. dixerat, ægre
 eos, qui lapides non viderint, de proba eorum lectione iudi-
 cium reddere posse, illustri exemplo confirmat; quorum plu-
 ra si cupis p. 107. & 239 confer.

Ad monumenta latina pergimus, quorum agmen ducunt Pag. 69-174.

XIX anaglypha, quibus LXVII. alia passim inter Epigraphas 77.

infecta accedunt. Alterum hic Anaglyphum, quod iuvenem
 vestitu saltatorio in dorso equi stantem, dextram expandentem,
 sinistra vero flagellum tenentem sistit, amplum Auctori Cele-
 berrimo campum, doctrinam suam doctis viris probandi, ape-
 rit. Patinus enim (in Imp. Num. p. 286.), & post eum Spo-
 nius (in Misc. p. 89.), dum consimilem lapidem vulgarunt,
 Iovem Dolichenum hac figura designari asseruerunt. Quo-
 rum opinioni ut accedat noster tantum abest, ut potius in alia
 omnia abeat. „Patinianum marmor, inquit, hominem osten-
 „dit armis instructum, & militari omnino specie: a nostro iu-
 „venis exhibetur, venusta facie, & vestitu saltatorio. Itane oc-
 „currit usquam Divum pater atque hominum Rex? quem
 „palliatum barbatumque, atque ut plurimum sedentem, in scul-
 „pturis effingebat antiquitas. At vero Dolichenum Iovem
 „Stephanus aperte memorat, cuius locus a Gyrardo primum
 „visus, & post alios a docto etiam Reinesio excitatus, ita
 „habet: Δολιχὴ πόλις τῆς κομμαγενῆς ἐθνικῆς Δολιχαῖος
 „Ζεύς. Quis n. n. videat, ait Maffeus, Iovem hic inopportune
 „inversum fuisse? Additur: εἰ δ' ἐπιχωριῶν Δολιχηνῶν λέγον-
 „ται, cum ceteroquin ethnicum civium ab ethnico indigena-
 „rum Deorum Stephanus nunquam distinguit. Interiectis
 „paucis pergit: „Δολιχαίων ceteroquin nummi nihil aliud præ
 „se ferunt, quam nomen in corona positum. Sed a Doliche,
 „suspicio ego, Dolichenum Iovem non processisse. Unde er-

ergo emanavit? Coniecturas afferam meas. Typum hominis, quadrupedi ea ratione insistentis, nulla unquam civitas, nullus populus adhibuit, nisi Tarsus, celeberrima Ciliciæ urbs, illius tantummodo plures habentur, ipsissima hac effigie nummi. Duos edidit Begerus (Thes. Brand. T. I. p. 507.) alium insuper Haimius (Thes. Brit. T. I. p. 81.) in quibus homo eodem prorsus modo bestiam pedibus premit. Postquam de varietate sententiarum circa bestiam, quam nummi ostendunt, pauca dixit, Begerum superstitem hominem pro Sardanapalo, sine ulla ratione allata, cur ita opinaretur, habuisse docet; Iacobum vero Gronovium hæc Begeriana numismata ad Arrianum iterantem, non dubito, quin Amanus Deus more montium animali insistat, addidisse. Noster num probe cogitarit, iudicent, ait, quibus, qua ratione quadrupedibus insistant montes, aliquando videre contigerit. Pergit denique: „Ut, quod in re tam obscura coniecere nitar, proferam, animadverto primum, *δολιχόν* ludicri certaminis apud veteres nomen fuisse.“ Meminit eius ex Phlegonte Traliano Photius (Cod. 97.), & Pausanias in Eliacis. Certamen cursu peragebatur, testibus Epicrate apud Athenæum (L. XIII. pag. 570.), & Pausania. „At equis etiam cursum aliquando institutum esse Suidas docet, ubi Dolichum Hippodromium vocat: *Δολιχός τὸ ἵπποδρόμιον*. Alios autem rara & peculiari dexteritate, spatium aliquod, non insidentes equis, sed supra illorum tergum erectos, confecisse, Musci nostri marmor ostendere videtur mihi; quid enim aliud quam ludum & spectaculi gratia ostensionem factam, representare dicamus hominem gradienti equo hilariter insistentem? Adolescentis aspectus est, cui ætati Dolichæa certamina magis quadrabant. Lucianus (de conscrib. Hist.) de quodam victorias suas prædicante: *Δολιχόν γὰρ πρὸ ὀίμαι ἐν παρσι νενικήκει*. Dolichum enim, puto, aliquo in loco puer vicerat.“ Hoc ergo ludi genus, alibi fortasse haud usitatum, a Tarsensibus exercitum, & Iovi, qui Gyraldo auctore, ab iis imprimis colebatur, sacratum fuisse, Auctor existimat. „Dolich-

„lichenus ibi Iupiter dictus est, sicuti & Olympius Iupiter
 „commune habuit nomen cum ludis. Forte qui vicerant, la-
 „pideam memoriam, in gratiarum actionem, Dolicheno Iovi
 „aliquando voverant. Singulare propemodum est, aream mar-
 „moris nostri non complanatam utrinque conspici, (ut in spa-
 „tio a figuris non occupato, in alius apparet semper,) sed inæ-
 „qualem & undulatam, ac si velum quoddam, aut aulæum si-
 „gnificaret, a quo paries obtegeretur, ante quem signum in
 „templo esset positum.“ Denique post pauca ad firmandam
 „suam opinionem adiecta: „Nec reticebo tamen, inquit, in-
 „credibile prorsus non esse, defultorem a marmore nostro
 „exhiberi. Ob oculos sistit Manilius;

Nec non alterno defultor fidere dorso

Quadrupedum, & stabiles poterit desigere plantas

Per quos vadit equos; ludet per terga volantum.

„Fidere lego, non fidere, sicut editi omnes. Lapis noster
 „unam tantum equum ostendit, aliquando enim uno tantum
 „defultores prodibant, ut ipse Manilius docet, qui sic profe-
 „quitur: *Aut solo vectatus equo. Μένππος* tunc Græce voca-
 „bantur, *Singulatores* Latine, ut in veteribus Glossis.“ Cum
 „vero Ill. Auctor, occasionem huius explicationis inveniendæ, &
 „quasi historiam non indignam iudicaverit, quam afferret, ne-
 „que nos eam Lectoribus invidere decet. Ita vero ille: „Hæc
 „quidem mihi in alia quævis intento plurimis abhinc annis
 „huius marmoris explicatio, qualiscumque sit, momento tem-
 „poris subit, & infedit. Cum enim extremo Bacchanalio-
 „rum die, Amphitheatrum cum amicis paulisper ingressus es-
 „sem, & personatorum turmæ, carpentaque, & rhedæ hinc
 „inde divagarentur, ecce super alios equitantes conspicuus ab
 „opposita porta iuvenis introit, eleganti equo insistens, eius-
 „que dorsum alacriter premens. Serico illum pæne invisibili
 „regebat funiculo; arenam, celeri passu, inter adstantium plau-
 „sus,

„sus, pluries circumiit: mihi vero statim ante oculos sacrum
 „Dolicheno Iovi Anaglyphum obversatum est, & quid in eo re-
 „præsentetur, visus mihi sum percepisse.

- Longiores iterum fuimus in singulari hac interpreta-
 tione, vexatissimi alioquin marmoris, recensenda, ut bre-
 vioribus esse liceret in reliquis observationibus enumeran-
 dis, quæ memoratu vel inprimis dignæ videntur. Eas er-
 go strictim, & quasi in transitu commemorabimus. Inscr-
 ptionem, in qua SAC. GRATUITVS legitur, non sine
 lumpu, nec sine erogationibus quibusdam, consuevisse in
 dignitatem sacerdotes cooptari, rarissimo exemplo docere
 observat: cum nempe *Sacerdos* gratuitus sit is, cui remissum
 impendium fuerat. Augurem tamen, pergit, Decurionum
 decreto gratuitum protulit Gruterus, quem in Augustalem
 reformandum censuit Reinesius; sed Augur scripsit, qui la-
 pidem primus exscripsit, Felicianus, ut in eius apud me M.
 S. collectione conspicitur. De Gentilium Sacerdotio, &
 Deorum statuis in aliorum templa illatis, multa se conges-
 sisse testatur. Voces deinde *Delphica* & *Cerviolarium*, lexicis
 quidem, sed non item inscriptionibus, ignotæ voces, quid de-
 signent, erudite exponitur. Inscriptiones duæ, *Iunonibus* sa-
 cratæ, ansam doctiss. Auctori præbent, suam de iis senten-
 tiam dicendi, quæ & a vulgari interpretatione, qua ex Se-
 necæ & Plinii auctoritate, pro mulierum geniis venditan-
 tur, & a Philippi Turrii V. C. opinione abit, qui Augustas,
 Imperatorum uxores, aut filias ita appellari in lapidibus,
 suspicatus est. Addit noster: „Cur potius easdem illas
 „imaginariæ Deas, Iunonum nomine, votiva quædam marmo-
 „ra compellere non credimus, quæ in aliis *Matres*, in aliis
 82. *Matrone* nuncupantur?“ Magnificiendum etiam fragmen
 lapidis Romæ & Augusto dicati, monet, cum Augusteis li-
 teris *conciuis* vocem nobis servarit, qua ante hoc marmor
 visum aureæ Latinitatis cultores uti horruissent. Iteratur
 97. deinde denuo ænea Tabula, alias iam ab Ill. Auctore in histo-
 ria Diplomatum, & deinde a Gorio & Muratorio vulgata,
 nunc

nunc ex alio exemplo, omni cura, ita, ut diversa ab omnibus monumentis forma intelligi possit, exhibita, honestam missionem VII. militibus a Servio Galba Imp. concessam continens. Digna vero vel imprimis est, quæ hic exhibeatur Inscriptio, ita se habens:

Pag. 102.

HERENNIAE
 CVPRESSEDIAE
 ETRVSCILLAE. AVG.
 CONIVGI. D. N. DECI
 AVG. MATRI. AVGG.
 M̄N. ET CASTROR
 S. P. Q. C.

„Duodecim, inquit Maffei, Venetis aureis constitit mihi „novum hoc Etruscillæ nomen, numismatis ignotum. Pre- „tium tamen item auget, quod unicum sit huius Augustæ „monumentum lapideum, & quod titulos nondum visos „ostendet coniugis Decii, & Augustorum, (Herennii Etrusci & „Hostiliani,) atque Castrorum Matris. Haud procul a Carfeolis inventum marmor est, unde discimus, *Senatus populusque Carfeolitanus* legendum esse.“ Occasione autem lapidis, in quo erasum est nomen Galerii Maximiani, de erasis vel 103. Inpp. vel aliorum nominibus docte agitur, & Commodi imprimis, Getæ, atque Domitiani nomina erasa esse, docetur, sæpius tamen etiam in edendis & illustrandis harum erasionum exemplis aberratum esse monetur. Eburneum diptychum, 110. ad hunc diem, Maffeo Auctore, a nemine visum, nec fando auditum, altera tamen tabula mutilum, prodit. Argumentum de Diptychis, eodem iudice, Philippus Buonarotius tam docte exhaustit, ut non multa esse, quæ opportune addi possint, videantur. „Ego quidem, paucis interiectis pergit, re- „cen-

„centium quarundam lucubrationum occasione, quæ in do-
 „ctissimi Cardinalis Quirini camelium perscripta sunt, mul-
 „ta congesti, quæ si dabit Deus, ut de antiquitate Figurata ali-
 „quando perficiatur opus, proferre non prætermittam.“ Pro-
 „dit etiam Epigr. ad Spectula pertineas, cuius initium est,
 „FACTIONIS VEN ab Ill. Auct. doctissimis Obfl. explicata,
 „a nobis minime præmittendis, nisi nos ad te vocaret ea inscri-
 „ptio, quæ omnium, quocunque in loco repertarum, æburis-
 „sima reparatur, & exiguo marmore, sed integro & optime
 „conservato, continetur.“ Ita vero illa:

Q. MAGURIUS. Q. F. FAB.

F E R O X

LVS. EPIDIXIB. ET. CAETAES. I. II. III. IN

GREG. VETVRIAN. QVAE. ET. IVNI

GRVM. A. A. DICAVIT. EVRAS. VIII

ET PERTIC. VNCINOR. XII. N. CCLIX.

„Reinesius (pag. 258) librum ferme elaboravit, ut eam ex-
 „plicaret, sed Apolline minime dextro. Inscriptionis sensum
 „optime patefecerat Hoffenius, quem Reinesius iniuria redar-
 „guit. Ad Aponi thermas erucam testatur Ursatus. Ad bal-
 „nea, ob vim medicam celebrata, ut hodie quoque usû venit,
 „circulatores quoque & ludicras atque histrionales artes ex-
 „ercentes confluebant, ut horis vacuis honoratiores personas,
 „morborum auxilium queritantes, oblectando, quæstum am-
 „pliozem facerent. Aponi quanta frequentia & gloria cele-
 „braretur fons, Claudianus declarat, a quo Epigr. 3.

*Publica morborum requies, commune malorum
 Auxilium, præfens numen, inempta salus,*

„appellari meruit. Propterea Magurius lusor in Epidixibus;
 „&

„& lufor diætæ primæ, & secundæ, & tertîæ, in grege Veturiana, dicavit Aquis Aponi curas octo, & perticas numero CCLIX. uncinorum XII. Tribus nominibus, ac tribu quaque scenicum hominem decoratum, ne miremur. Archimimum Gruterus profert, Acilium L. F. Pomptina Cutilam, & Moratorem Circensis Iudi, atque Agitatorem Q. Rapidium Q. F. Lemonia Malionem: neque alii defunt. Lufor hic idem est atque actor: agebat in epidixibus. Ἐπίδειξις ostentatio est ex Glossis, demonstratio, recitatio ad pompam. Plutarchus, de laude sui: Rhetores ἐν ταῖς ἐπίδειξι. Cicero in Oratore: eiusque totius generis, quod Græce ἐπίδειξις nominatur, quod quasi ad inspicendum, delectationis causa, comparatum est. Ψάλτης ἐπίδειξις apud Aelianum Var. Hist. l. IX. c. 36. idem est, ac, Πάλτης cythara ludens, artis suæ specimen edebat. Grex, ut paulo ante vidimus, Histriones connotat. Grex agit in scena, Petronius. Nomine suo designabantur, quippe plures habebantur greges. Urbanus in præcedenti (inscriptione) occurrit. Veturiana, (generis siquidem utriusque est,) Veturio denominatur; quem ludicri illius cætus dominum, vel conductorem arbitror fuisse. Credibile enim est, sub viri alicuius auctoritate, aut divitiis præstantis tutela & patrocinio, antiquitus quoque greges degisse. Docere etiam hoc Plautus videtur mihi, Alia. Prolog.

*Que quidem mihi, atque vobis, res vertat bene,
Gregique huius, & domino atque conductoribus.*

„Nam quod enarratores dominum interpretati sint, poetam esse, nihil quidem poterat minus commode dici. Hinc ergo nomen Gregi sæpe attributum iudico; noster alio quoque, nempe Iuniorum, denotabatur. In thermalibus locis, utpote ruralibus, theatra non erant, quapropter luforibus actoribusque, aulæ plures, sive Xystos dicamus, ubi agerent, assignabantur; priores melioribus: hinc Magurium


„in prima, & in secunda, & in tertia ludos suos ostentare
 „g'oriatur. Ampla ea cubicula dixtas appellat, usitato apud
 „veteres vocabulo, quod sæpe per Z scribebant. Lampridius
 „in Elagabalo: *hoc idem de domibus, de pratoris, de Ze-*
 „*tis fecisse dicitur.* Ad nos id manavit a Græcis. In præ-
 „fatione ad Veronensem S. Hilarii editionem memorare
 „contigit, quam frequenter in veteribus membranis, Za-
 „buli, pro Diaboli reperiatur, vocesque consimiles non Afri-
 „canas esse, quod Vir doctus, Guil. Cave, autumavit, sed ut
 „ita scriberentur, mollitiem quandam prolationis effecisse,
 „quam & in hodiernis Græcis animadverti pluries. *Ζα* pro
 „*δια* efferentibus. Philostorgum in Ecclesiastica H. it. non
 „*Ναζιανζόν* sed *Ναδιανδόν* scripsisse, animadvertit Pho-
 „tius. Sed nonne Plato, inter literarum mutationes, *αυτι δαλ-*
 „*τα* Z usurpari iam cœpisse, dicit in Cratylo?

„Lapis autem noster non *zetam*, sed *cetam* habet, in quo
 „regionum harum pronuntiationem iam noscis, e ante e &
 „i, tanquam z dulce hodie quoque efferentium. Cetariorum
 „nomen, quos enumerat Cicero Off. L. I. c. 44. inter artes,
 „quæ ministræ sunt voluptatum, hinc fortasse originem du-
 „xit: S. Augustinus cont. Iul. l. 2, 37. quoque: tabernarii,
 „cetarii, coqui. Digestorum libri Dixtarios & Zetarios me-
 „morant. Alia minus expertis oritur dubitatio, quod lusor
 „dicatur non *cetæ*, sed *cetæ*; at illis nulla, qui multoties, ad
 „Græcorum imitationem quandam, scribi *α* in lapidibus anim-
 „adverterunt genetivo casu, ut a dativo discerneretur. Au-
 „ctæ videbimus inter funebres nostras, pro *Auctæ*. Plurium
 „eiusmodi exemplorum seriem coacervavit Fabrettus. pag.
 „497. Aquis Aponi dicavit Magurinus; hoc est, in se exuen-
 „tium, ut fruerentur balneis, usum & commodum, curavit,
 „ut impensa sua perticæ CCLIX. infigerentur, quarum una
 „quæque uncinos haberet XII. Multitudo ad has aquas con-
 „fluentium hinc argui potest, & porticum, Xylorumque
 „longitudo. Hippias, quem Lucianus celebrat, quod bal-
 „neum egregium construxisset, speciatim studuerat, ut utrin-
 „que


„que sufficientia se exuentibus repositoria haberentur: *κα-
 τήρωθεν διαρκῆς τοῖς ἀποδυσμένοις ἀποθήσεις.* At no-
 „ller euras VIII. præterea dedit. Græcis dictionibus, apodixis
 „& Zeta tertia sociatur eura. Pollux ita appellari tradit fer-
 „reas laminas, rotarum axem tuentes. Hinc discimus Græ-
 „scam vocem esse, & ferrei quid significare; sed quænam
 „proprie hic instrumenta denotentur, me ignorare lateor.“
 Post hæc ergo insignia doctrinæ & diligentæ Maffeianæ specimi-
 na, quæ vel difficillimo cuique, ad Musei Veronensis præstantiam
 perspicendam, sufficere possunt, nemo a nobis plura expectet,
 quibus necesse foret totum opus describere, si memoratu di-
 gna omnia hic commemorare vellemus. Ostendisse ea &
 strictim enarrasse, æquo Lectori satis erit. Fuse ergo illum ali-
 quando de libertis plurium simul hominum, in marioribus
 obviis, disputaturum esse, eius promissis nisi, affirmamus; de
 ascia, & formula, sub ascia dedicare, fuse disseruisse monemus,
 multa denique eum, de multiplici significatione verbi *dedica-
 re*, collegisse, notamus. Subiunxit Illustris Auctor XI. Inscr. 175.
 spurias, unumque Anaglyphum, ut & tirones in hoc studio-
 rum genere haberent, quo se exercerent, & ipse expli-
 cando unum & alterum, specimen quoddam Artis criticæ la-
 pidariæ, nunquam forte, ut ipse ait, prodituræ, daret. Agmen 178. 188.
 claudunt Christianæ Inscr. quibus aliquot sequioris ævi Epigram-
 mata, qualiscunque literaturæ Seculorum X. & sequentium te-
 stes, cum una 1363, in vulgari Itatorum Idiomate scripta, duæ
 Hieroglyphicæ Aegyptiacæ, tria Hebræa Seculi XVIi, & IV
 tandem Arabica, quorum versio & explicatio a doctissimo Af-
 semanno confectæ, infra p. 488. exhibentur, accedunt. Ubi
 tamen a nobis illud minime silentio prætermittendum est,
 Maffieum aliam collectionem, ad eruditionem Veronensem
 pertinentem, nobis polliceri, in qua præter plura Anaglypha, 183.
 omnes, cuiuscunque generis, Urbis Veronæ aut agri inscriptiones,
 ab anno millesimo ad millesimum quadringentesimum
 exhibebit. Neque eum nonnisi optime de re literaria Sec.
 XIV. suisque concivibus meriturum esse existimamus, si, quem
 olim se in Inscr. ante annum 1400. Italice loquentes ador-
 nasse

- nasse ait Commentarium, publici aliquando iuris facere ipsi placuerit. In appendice Musei Veronensis, præter XXV. Inscr. Latinas, tres etiam insignes veterum ædificiorum reliquiæ, docti Segueri manu nunc tandem apprime & fidelissime depictæ, exhibentur, portæ scilicet Veronenses, & Gavorum arcus. Quibus addita est, de Veronæ dignitate, olim iam in Veronæ ill. P. I. ab Auctore vindicata, disputatio, de qua eo lubentius tacemus, quo magis virum alias humanissimum, (vid. pag. 239.) amore causæ abreptum, acerbius in dissentientes invecum esse dolemus. Tandem duo Christiana marmora, operarum negligentia prætermissa, cum tessellatis operibus, itidem a Christianis profectis, & in quorum altero ipsa vox *tessellavit* legitur, finem Museo Veronensi imponunt.
- 209 - 235. Sequitur Museum Taurinense, in quo præter XXVI. Anaglypha, insignes Epigraphæ, cura Illustr. Auct. iussu Augustissimi Regis in porticibus Academiæ Taurinensis collocatæ, spectantur. Adduntur in Appendice aliquot egregia monumenta, nuperius effossa, cum diligenti & accurata Secusini Fornicis descriptione & explicatione, in qua pristinorum huius monumenti editorum lapsus & errores notantur.
236. Succedit Museum Vindobonense, de quo, operæ pretium est, audire ipsum Auctorem, qui, postquam monumenta Vindobonæ servata, studio Comitis Iosephi Ariotti ut plurimum debere monuerat, „Augustus (Carolus VI. Imp.) ipse, inquit, „cum anno 1728. Tergestum peteret, secus itinera plures Epigraphas pæne latentes detexit, observavit, legit, atque earum „perpetuæ conservationi consulens, ut ad Imperatoriam sedem transmitterentur mandavit. Ex istis omnibus Museum „constat, quod hic exhibeo. Vulgavi eas quidem in Observationibus litterariis Tomo I, cum magnam partem ineditæ adhuc essent; sed in exiguo libello forte minus apte ac decore „tam eximia monumenta coarctavi. Id scilicet certo certius est, „numero quidem inscriptionum haud magnopere collectionem hanc eminere, sed earum pretio ac præstantia omnes „antecellere. Selectas data opera inter quamplurimas diceres, ut vel Deorum notitiam, vel Imperatorum historiam, „vel

„vel rei militaris scientiam, vel aliam quampiam eruditionis
 „partem, præcipuum in modum iuarent.“ Hæc præfando
 otium nobis fecit Ill. Auctor, huius Musei cimelia enume-
 randi, quippe qui neminem, ab his studiis non alienum, fo-
 re credamus, qui Maffei auctoritate adductus, sibi hoc Mu-
 seum diligentissime totum perlustrandum esse non existimet.
 Illud tamen non omittendum, ante appendicem Musei Vin-
 dobonensis, denuo hic, elegantissime ærea tabula expressum,
 vulgari, Cæsarei Theauri ocellum, (Auctoris verbis utimur,) Pag. 245.
 præcorum artis & industriz miraculum, gemmam omnino
 incomparabilem, Danielis Bertoli manu, qui tanto operi uai-
 ce par fuit, delineatam, & in obff. Litter. Tom. IV. olim a
 Maffeo illustratam. Prodeunt tandem INSCRIPTIONES VA- 251.
 RIAE, ex farragine amplissima, quam in regionibus variis, la-
 pides ipsos exscribens Illustris Auctor, cumulavit, eam ob
 causam selectæ, quod nondum prodierant, neque vel fragmen-
 ta lacera, vel nomina satis nota contineant; cuius generis se ul-
 tra ducentas reicere nunc, & suppressere, ait. Primum locum 322.
 obtinent Romanæ, post quas in variis Italiæ locis collectæ ex-
 hibentur, & quidem primo pereximæ tres, simul cum episto-
 lis, quibus olim expositæ atque illustratæ sunt, additis variis in
 locis pluribus, quibus iis, quæ postmodum a doctis viris op-
 posita fuerunt, Auctor satis faciat. Seorsim collectæ succe- 349 - 56.
 dunt Neapolitanæ, & inter eas XXVIII Herculaneses, una 355 - 56.
 cum cratere ex Achate sculpto, inter præcorum artis miracula
 computando, Farnesiani olim, nunc Neapolitani Regii Musei
 ornamento, ab Auctore quondam in Obff. Liter. Tom. II.
 p. 339. explicato. His vero, interiectis aliis Inscriptionibus Ita-
 licis, hinc illinc collectis, subiungitur ærea tabula, præstantis- 381. - 98.
 sime, Placentiæ, apud Costam & Roncoverium, Comitibus, Eccle-
 siæ Cathedralis ibidem Canonicos, asservata, A. 1747. in agro
 Placentino eruta. „Lata ea est pedes X cum dimidio, alta ve-
 „ro quinque & dimidium. Agricola, qui laminam ab averfa
 „parte detexere fodientes, magnum quid sub ea latere opi-
 „nati, ut celerius conspicerent, & explorarent, lignis
 „confregerunt, & in plures redegerunt partes, quas postea in-
 „ter



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

ter se partiti, hac illac vendiderunt. Qui ad rationem ponderis, tanquam inutile metallum coemerant, conflare aggrediebantur. Actum erat de monumento præstantissimo, nisi ex iis frustis unum Comiti Ioanni Roncoverio, ruri tunc degenti, ostensum fortuito fuisset. Agnovit is statim laminae vetustatem, ac pretium, & dare coepit operam, ut segmenta omnia ubicunque perquirerentur. In huius diligentiae atque expensi societatem Comitem Antonium Costam advocavit, qui libentissime in eam curam venit, cum prisca cinelia, & id genus litteras, omni tempore impense adamavit: quapropter in hanc etiam tabulam, valde eruditam ab ipso adornari, lucubrationem audio, & tot summarum rationem ac methodum egregie detexisse. Scriptura in columnas septem dispersita est, quarum ultima ad spatii dimidium subsistit. Versibus constat prælongis, numero DCLXX. Titulus maximis litteris superpositus, duabus primis lineis supra columnas omnes extenditur: Linea tertia incipit a verbo *summa* & IV. in medio columnis imponitur. En titulum integrum:

OBLIGATIO. PRAEDIORVM

OB. HS. DECIENS. QVADREAGINTA. QVATVOR
MILIA. VT. EX. INDVLGENTIA. OPTIMI. MAXI-
MIQVE. PRINCIPIS. IMP. CAES. NERVAE.

TRAIANI. AVG. GERMANICI. DACICI. PVERI. PVLLAEQVE. AR-
MENTA. ACCIPIANT. LEGITIMI. N. CCXLV. IN. SINGVLOS
HS. XVI. N. F. HS. XLVII. XL. N. LEGITIMAE. N. XXXIV
SING. HS. XII. N. F. HS. IV. DCCCXCVI. SPVRIVS. I. HS.
CXLIV. SPVRIA. I. HS. CXX. SVMMA. HS. LIICC.

 QVAE. TIT. VSVRA  SORTIS. SVFRA

SCRIBTAE 

Addi-

Addit Auctor doctissimus observationes haud vulgares, quod, importune urgentibus typographis, properanter faciendum fuisse, conqueritur. Omnes hic addere, longum; excerptas & mutilas afferre, ingratum foret: nihil ergo ex iis adiciemus, præcipue cum observationes non minus, quam ipsum monumentum, dignissimæ sint, quæ ab omnibus rerum antiquarum amatoribus legantur, expendantur, & illustrentur.

Italicas Inserr. sequuntur ex ex CL. olim vulgatis Gallicis, quæ non satis emendatæ in Novo Thesaurio prolatae sunt. Quibus eandem ob causam accedunt nonnullæ ex epistolis de iis agentibus, quæ suppleantur. Aliquoties & noviter obiectis respondetur; Nemaufensium etiam denique Inscriptionum Collectionem, a Seguierio expectare iubemur. Iis contra, qui Artem Criticam lapidariam a se promissam sollicitant, quamvis quid reponat se nescire A. profiteatur, addit tamen:

Tempora labuntur, tacitisque senescimus annis.


Gallicas XLV, nondum vulgatas, excipiunt Hispanienses, a Martino, Principis Methymnæ Cœlix antiquario, submissæ; has Anglicanæ, Anglicanas Hollandicæ & Germanicæ, Aegyptia, & hanc denique in Tunetano regno inventæ. Ad Anglicanarum primam, Græcam, a Io. Tayloro iam editam, & pererudito commentario instructam, multa se ab hoc monumento edoceri ait, quæ sibi maximo usui futura sint, si tractatum de Amphyctionibus perficeret, qui unquam detur, ac perficere. Eius vero Epigraphes, cui secundum locum in Anglicanis assignavit Auctor, litterarum nunc figuram hic adiicit; cum aspirationis nota, hoc est littera H dimidiata, eam præcipue memorabilem faciat.

Nova denique Musei Veron. Appendix sequitur, in qua præter alia, VII. Pelasgica monumenta, in Obs. Lit. iam vulgata, iterantur, & Comitum Moscardiorum Tabulæ, in

Diplomatum historia, aliisque in libris iam prostantes, ita exhibentur, ut fidelius repræsentari nequeant, cum prælo aera ipsa vetusta fuerint supposita. Accedunt Neapolitanæ 59. & 4 aliæ nuperrime submissæ; responsiones ad obiectiones quasdam Cel. Corfinii in Fallis Atticis, & Diss. Agonisticis propositas; & addenda demum atque corrigenda: in quibus non solum de Notis Romanorum Commentarium, quem ad calcem huius libri, uti constituerat Maffei, collocari Typographus vetuit, una cum Asiaticis Græcis Inferri plurimis, seorsim proditurum esse monemur; sed Sequitur etiam Indicem Inscriptionum editarum omnium construere; & Herculei huius operis partem maximam intrepide & egregie iam perfecisse, edocemur. „Ordinem, inquit Maffei, non ab unica incipiente dictione sumit, sed tota, affert verba, quot opus est, ut ab aliis omnibus quæcumque secernatur; vel duobus prioribus postrema duo subiungit. „Errores permultos corrigit, ob primam litteram in nominibus commutatam. Cuicumque autem inscriptioni, quotcumque ferme eam ediderint, servato temporis ordine, apponuntur“. XV Indices operi huic præstantissimo coronidem imponunt. Et sic quoque nos iucundissimo officio defuncti, nostræ enarrationi finem faceremus, nisi nobis necesse videretur, de dedicatione pauca dicere. Inscrisit librum Maffei Benedicto XIV. Pontifici Rom. & inter causas dedicationis eam esse præcipuam profitetur, ut opportuna hac occasione, precibus submississimis ab illo impetraret, ut post decantatas gentilium cimeliorum congeries, Museum Christianum, auctoritate ac sapientia sua, Romæ demum adornare atque extruere velit. Plurima inde commoda in Ecclesiam Romanam redundatura esse, non dubitat. „Dogmata ipsa catholica, inquit, incorruptamque disciplinam, mirum est, quantum contra veteres, recentisque oppugnatores monumenta antiqua confirmant, corroborant, patefaciant.“ Exempla testes sunt, Sarcophagus sub finem Musei in æs incisus est, in quo

N. T. & V. facta duplici imaginum ordine representari, Maffei ait. Nobis stupidioribus, illud ex figuris exculptis intelligere non licuit. Sed auctoritati intelligentis honos habebitur. Credemus ita se rem habere. Quid inde? Hinc docemur, ait, in idem conspirare utrumque, unumque ad aliud referri. Pergit Illustris Auctor: „Serpens (in isto Sarcaphago) ante aram ad dextram visitur, escas ab homine excipiens ore; quo fit, ut unica neutiquam haberi debeat huiusmodi representatio apud Arringhium (l. 2. c. 10.), qui ne Apollineum quidem quid significet divinaturum dixit: sed procul dubio Daniel exhibetur, qui massas dedit in os Draconis. (Dan. XIV, 26.)“ Etiam hic forte aliquis argumenta requirat, quibus hæc explicatio satis confirmari possit. Nobis autem, Viro in explicandis Anaglyphis solertissimo & exercitatissimo, assensum denegare religio est. Quid autem hæc figuræ, contra dissentientes a Romanensium dogmatibus, demonstrent, ne suspicari quidem possumus. Multum sane, iudice Maffei. „Hinc enim conicere, inquit, in promptu est, Danielis capita postrema duo, communiter tunc quoque pro authenticis habita, quamvis in Hebraico textu non appareant.“ Marmoreis testibus, ærea lucerna additur, Museum Medicæum condecorans, in navis speciem efficta, in cuius prora stat vir quidam, habitu concionantis, in puppi alius ad clavum sedet. „Navis specie, Maffei inquit, representatur Ecclesia. Paulus, qui Dux verbi in Actis (XIV, 11.) dicitur, e prora concionatur; Petrus in puppi sedet, & gubernaculum regit. Pergit Maffei: nonne facundo volumini, ad Pontificium asserendum Præmatum, antiquis temporibus elucubrato, vetusta hæc navicula æquivaleret?“ Ab æreis vasis ad inaurata transeamus. „Inauratam columbam aliquando inspexi, inquit, in qua antiquitus, velut in pyxide, Eucharistia servabatur. Eius divinitatis opinio, & custodiendi mos, inde apparent.“ Nostrumne de his rebus iudicium requiris, Lector? Maffei.

feianis verbis dabimus. „Hæc quidem ab erudito viro
„exarata nollemus, nollemus publici iuris facta: testantur
„scilicet, magna etiam ingenia quandoque decipi, & in
„his præcipue rebus, fortasse antiquitatis amore quodam,
„facillime abripi ac falli, præcipue cum, præiudicatarum
„opinionum, si quid videntur, auctoritate, abreptus sit is,
„cui in his studiis hæc ætate parem nemo agnoscit.“
Nos vero beneficium summum, rei litterariæ, ab Auctore
doctissimo, edendo hoc Museo præstitum, grati agnosci-
mus, nihil magis optantes, quam ut ea, quorum spem
nobis in hoc Volumine fecit, Deo favente, quamprimum
in lucem publicam emittere, plaususque adeo, or-
bis qua patet litterarii, denuo mereri sanus
salvusque possit.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCLV.

Pars I.

*DISSERTATIO HISTORICA CANONICA PUBLICA
de Pallio: una cum insertis vindiciis Pallii Herbipolen-
sis &c. Auctore IO. CASP. BARTHËL., S. S. Theol.
& V. I. D. Episcopi Herbipolensis Consiliario In-
timito & Ecclesiastico &c.*

Herbipoli, A. 1753. 4.

Alph. 1 plag. 5.

Cum Benedictus XIV Pont. M. qui nunc præest Ecclesiæ Romanæ, ante hos tres annos, Episcopum Herbipolensem Pallio ornasset, viri docti in eo cœperunt elaborare, ut hunc iuris canonici & publici locum, de Pallio, diligentius, quam ante factum esset, explicarent & illustrarent; propterea, quod Pallio Herbipolensi controversia videretur fieri debere, factaque esset ab Archiepiscopo Moguntino. Itaque illustris Barthelius suum esse putavit, ius Pallii, Domino suo tributi, adversus omnes adversariorum petitiones tueri, & quibus posset rationibus, defendere. Quod quidem ille consilium, edito hoc libro, perficere conatus est. Nos autem, iam nunc, quid traditum in eo sit & expositum, breviter, pro more nostro, quasi per indicem ostendemus.

Liber universus tribuitur in XI Capita: quorum *primum*
in eo versatur, ut notio, origo, forma, materia, color, con-
N filium.

filiumque Pallii, explicetur. In quo quod primum traditur, ecclesiam omni tempore & iam in primordiis, in sacris, imprimisque Missæ faciendis, certos quosdam propriosque vestitus, exemplo ipsorum Apostolorum, usurpasse; est illud quidem rationibus ecclesie Romanæ conveniens, idem tamen testimoniis sinceræ antiquitatis non consentaneum. vid. *Heinccc. Diss. de Habitu Apostolorum Sacerdotali, Opp. Tom. I. Num. 2.* Deinde tractatur, ut dignitas aliqua clericis in sacris faciendis accederet, Imperatorum beneficio splendidiora vestimenta data iis esse; imprimisque Pallium eam ob causam ab Imp. Orientalibus tributum Patriarchis Rom. & Constantinopolitanis: qua in re V. C. Petri de Marca sententiam, a Balamero etiam defensam, ceteris omnibus ea de re opinionibus reiectis, secutus est: sed cum Pallium illud totius corporis vestimentum fuisset, mutationem formæ factam esse seculo sexto, quo tempore Episcopi Romani, Vicariatus cuiusdam sui significandi gratia, Archiepiscopis & Vicariis quibusdam suis, pallium largiri cœperunt: quod magis vulgatum Seculo VIII & IX. quibus Romani Pontifices omnibus Archiepiscopis concedere, sive potius iniungere instituerunt. Tum ostenditur, quæ Pallio forma, temporibus primum Constantini, deinde sequentibus, fuerit, qua materia confectum, quomodo denique hodie confici, consecrari adservari que solear. Denique exponitur, quæ arcana huic pallio, eiusque materiæ, formæ, coloris, crucibus, confectioque insit. In quo *Nicolai de Braillon Diss. de Pallio* studiose usus est V. C.

Altero Capite ingreditur V. C. docere, ex prima institutione Pontifici ius non fuisse, sine consensu & auctoritate Imp. cuiquam largiri Pallium; hodie autem liberum id solumque esse Pontifici, non a. h. ab Imperatoris auctoritate. In quo tamen, quibus rationibus utitur, eas satis idoneas esse, non arbitrabitur quisquam, qui omnibus momentis eas ponderaverit, lectis imprimis *Pertschii* disputationibus, de quibus mox dicemus.

Tertii Capitis argumentum hoc est, ut demonstretur, Pallium primo Pontificibus Rom. & Patriarchis proprium fuisse,

fuisse, postea autem Legatis Vicariisque sedis Apostolicæ commu-
ne factum: Seculo demum VIII. etiam cum quibusdam Episco-
pis, bene meritis, communicari ceptum; nunquam id in usque
Metropolitani proprium fuisse, sed subinde traditum etiam,
vel cum exemptionis beneficio, vel sine eo, Episcopis; mox
illud personæ Episcopi, mox Ecclesiæ concessum; ita, ut
Episcopo tantum concessum, eo mortuo expiraret; datum au-
tem ecclesiæ, propagaretur ad successores: denique illum ho-
norem nunquam Abbatibus, aliisque monasteriorum Prælati-
bus habitum.

Quarto Capite explicatur, quibus de causis, quoque consi-
lio, Pontifex Pallium largiatur. In quo ille ita disputat, ut
causas, consiliumque variasse putet, prouti vel temporum, vel
personarum, vel aliarum rerum ratio suaderet; alias causas,
aliud consilium, in Archiepiscopis eo ornandis fuisse, alia in
Episcopis spectari solita, esseque adeo arbitrii Pontificis desi-
nere, quæ vis & potestas ei ornamento inesse debeat.

Quinto Capite id operam dat V. C. uti doceat, semper in
potestate Pontificis situm fuisse, ut etiam Suffraganeis Episcopis
Pallium tribuere posset; in eoque ex antiqua observatione Ec-
clesiæ semper clausulam sive exceptionem additam hanc, in
ornando Episcopo non exempto, fuisse, iuribus Metropoliti-
cis inde nihil decessurum esse: eamque adeo necessariam
esse: cum omiſſa ista exceptio sive clausula, hanc vim ha-
beat, ut Episcopus potestati & iurisdictioni Metropolitanæ
eximatur, & sedi Romanæ, nullo intermedio, subiciatur.
Hæc expressa clausula sive exceptio, Pallium, episcopo Her-
bipolitano datum esse, ut inde iuribus metropolitanis Archie-
piscopi Moguntini, veterique inter Episcopos Germanicos ob-
servato ordini, nihil detrahatur: eo fieri, ut iuribus Mogunti-
nis nullum illatum sit detrimentum hac Pontificis Rom. in
Episcopum Herbipol. benevolentia.

Sexto argumenta Moguntinorum, contra hanc Herbipolita-
ni honorem, publicis scriptis prolata, refutantur: in quo ta-
men, nos quidem non negamus, non videri dubitationibus
omnibus satis esse factum. Idem est *septimi Capitis* consi-
lium:

lium: quo in primis id agitur, ut efficiat, consensum Metropolitanum ea in re omnino non esse necessarium: neque unquam a Pontifice desideratum tum, cum Episcopo suffraganeo Pallium daretur. *Octavo*, in quo pergit V. C. refellere Moguntinorum rationes, ostenditur, Pontificem Pallium Herbipolitanum sua sponte & ultro, non rogatum, concessisse: ea concessione nihil novari in Ecclesie statu publico, nihil fieri adversus leges Imperii publicas, aut Concordata Nationis Germanicæ: nihilque adeo libertati Ecclesie Germanicæ detrahi: ut inde nulla causa sit, quare tantopere impugnetur. Ceterum vero, quid ad formulam, qua usus est Vicarius Herbipolitanus a *Gebattel*, sane satis argutam, dicat, non habet, nisi hoc, esse verba panegyrica, sine vi. Formula hæc erat: *Per pallium æquari Episcopum maioribus & distingui ab æqualibus*: qua sane videtur significatio fieri, Pallio vim exemptionis, dignitatisque ac loci maioris, inesse.

Nonum Caput exponit, quomodo Pallium a Pontifice peti, quomodo concedi, atque indui soleat: in quo solennitas auspiciandi Pallii Herbipolitani enarratur.

Decimo Capite, ex iuris Pontificii decretis, de usu, auctoritate, ac vi Pallii univèrse traditur: simulque demonstratur, quibus in sacris, & solennibus, Archiepiscopus Pallio uti possit, ac debeat.

Undecimo Capite, quo clausula imponitur huic disputationi, V. C. studium omne, omnemque laborem in eo consumit, ut consilium Pallii tribuendi, sincerum, æquum, utile, laudabile, omnique cupiditate vacuum, esse ostendat. Esse eam, ait, accommodatissimam rationem, devinciendi inter se membra & caput Ecclesie, Episcoposque obsequio obstringendi: denique etiam, pecunie, pro pallii impetratione, capiendæ consuetudinem, & a Simonie labe defendere conatur.

Hæc sunt, quæ in hoc libro traduntur: in quo quamvis multa & copiosa cernitur doctrina, tamen multa etiam inveniuntur, quæ reprehensionem non facile effugiant; ita disputata, ut loci sui ac temporis magis, quam veritatis rationem habuisse videatur, V. C. Neque adeo iniuria eum Perfschur,
VIT

Vir olim doctissimus, libro, iam a nobis indicando, adgressus est.

IO. GE. PERTSCH, ICTI, TRACTATIO CANONICA, de origine, usu, & auctoritate Pallii Archiepiscopalis, ubi simul iura sedis Moguntinae contra Herbipolensem, de collato huic nuper Pallii usu, vindicantur. & IO. CASP. BARTHEL Diss. de Pallio sub incudem revocatur. Accedit DAN. PAPEBROCHII Diss. de forma Pallii, cum quibusdam observationibus, & figuris aeri incisiss.

Helmstadii, apud Christ. Frid. Weygand, 1754, 4 mai.
Alph. 2. plag. 8.

Celeberrimus Pertschius cum locum Iuris Canonici, de Pallio, aliquot dissertationibus singularibus Academicis persecutus esset, isque labor tanto cum plausu esset exceptus, ut dissertationes brevi tempore in tabernis librariis desiderarentur: invitatus est eo doctorum hominum adfensu, ut, cum interim de Pallio Herbipolensi controversia orta esset, eas dissertationes recognitas, & auctas, uno iusto volumine amplectendas, & Barthelii dissertationem sub examen revocandam, existimaret. Eius viri doctrinae in ecclesiastici canonicique iuris scientia auctoritas, ita apud omnes eruditos, intelligentesque aestimatores constituta est, ut, quanta de hoc labore expectatio esse debeat, apud omnes, quantumque eius mortui nunc desiderium, satis intelligi possit. Nos quidem huius Tractationis potissima ac summa Capita cum Lectoribus nostris nunc communicabimus, ipsisque per se iudicandi potestatem faciemus.

Præmissa est præfatio longa & erudita; qua Dissertationem Barthelianam, cuius supra mentionem fecimus, sub examen iustum, magna cum diligentia & eruditione, interdum etiam, quod factum nollemus, magna cum acerbitate, revocat. Sane Barthelius ea, quæ tradidit, sæpenumero rationibus stabilivit nullis, in historicis narrationibus non semper fidem dili-

gentiamque præstitit, in origine Pallii tradenda, una cum P. de Marca Bæhmeroque erravit, ac deuique Pontifici Rom. potestatem iniuriam, eamque liberati ecclesie Germanicæ contrariam, attribuit. In quibus omnibus eum pressis quali pede persequitur; sed eam tamen rationem tenet, ut ubique Lectores ad Tractationis suæ capita ablegat, in quibus ita rem omnem explicavit, ut, iis lectis cognitisque, tradita a Barthelio sua sponte concidere videantur. Quamobrem, tædium repetitionis evitaturi, statim ingrediemur, ad recensendum ipsius Tractationis argumentum: quod XII. Capitibus absolvitur.

Primo igitur Capite diversi intellectus vocabuli *Pallii*, pro diversis Latinæ linguæ ætatibus, traduntur. Sed ea omnia si-ve vestimenta, si-ve amicula, nullam cum hodierno Pallio similitudinem habere, ostenditur. *Alio* vero variæ Pallii descriptiones exponuntur, cum hodierna etiam eius forma, cuius ratio figuris æri incisus expressa est. In tot tantisque descriptionum varietatibus id tamen omnino certum relinquitur, Pallium Ecclesiæ Latinæ semper in loris vinculisve quibusdam positum, nunquam autem totius corporis amictum fuisse. *Tertium Caput* agit de materia & colore Pallii. Intelligitur autem e testimoniis veterum, Pallium cum apud Græcos, tum apud Latinos, ex lana plerumque, admixto interdum etiam simul lino, contextum, adeoque non purpureo, sed albo colore fuisse. *Quarto Capite* omnes, quotquot unquam extiterunt, de origine Pallii, opiniones referuntur: in quibus ea, quam P. de Marca primus protulit, plerisque eruditus sese probavit. Quæ quidem a nobis iam supra, cum Barthelii Dissertationem recensereimus, breviter exposita, & fere in vulgus hodie nota est. Sed *quinto* omnes illæ opiniones iusta quasi rationum lance ponderantur; ita ut, quam procul unaquæque a veritate & historię fide absit, satis luculenter appareat. Itaque cum nulla earum viro historiarum scientissimo probari posset, *Sexto* suam sententiam, rationibus & argumentis firmatam, in medium affert. Summa huius sententiæ hæc est, Ante Seculum quartum Episcopi & Clerici vulga-

ri & civili vestitu usi sunt, cum vexationes Christianorum acerbissimæ non facile vestitus discrimen permitterent. Inducta demum provinciarum ecclesiasticarum divisione, invaluit usus Pallii: & primo quidem in ecclesia Alexandrina: cuius Episcopi primi Pallium gestarunt, hanc interferentes causam, quod D. Marcus, illius ecclesie auctor & conditor, eodem ornamento usus esset. Atque hoc luculentis testimoniis probatur, Alexandrinos Episcopos Pallio iam Seculo IV. usos esse; id propagatum atque transmissum ad successores; eoque denique non totum corpus, sed collum tantum, amicti solitum. In Ecclesia Latina vero demum Seculo V vestigia eius deprehenduntur: quamquam admodum probabile est, eius usum iam antea cognitum fuisse. Sexto denique seculo Archiepiscopi ecclesie Francicæ pallio usi leguntur. Quid? quod in *Concilio Matricenensi I, Canon. VI.* apud *Colletum Tom. VI. pag. 659.* præceptum est, ut nullus Archiepiscopus audeat, missæ sacra, sine pallii ornamento, facere. Atque hi Archiepiscopi eo Pallio usi sunt iure suo: quippe id pallium valde differebat ab eo, quod nonnulli Archiepiscopi a Pont. Rom. accipiebant. Bonifacius demum his Francorum Archiepiscopis persuadere conatus est, ut Pallium a Romano peterent & acciperent: in quo tamen ille non statim consilium suum adsecutus est.

Septimo Capite anquiritur, quomodo Pallii tribuendi potestas Papæ Romano adrogata, vel quæsitæ sit. Id factum esse, traditur, hoc modo. Archiepiscopi initio usi sunt Pallio, suo iure, & sine ulla obsequii, vel subiectionis nota. Cum vero omnes Archiepiscopi tolerent a Patriarchis confirmari, Pontifex autem in ecclesia occidentali unus esset Patriarcha; is omnes eius ecclesie Metropolitanos confirmabat, imprimis abolitis conciliis provincialibus. Id porro erat in more positum, ut Archiepiscopi, cum a Patriarchis confirmarentur & inaugurarentur sive consecrarentur, simul ab eodem ornarentur Pallio; id quod ex *Can. XVI. Concilii Constantinopolitani II,* seu Oecumenici VIII, apud *Collet. Tom. X. pag. 643.* intelligitur, ubi *Consecratio, munus imponitio, Pallii datio, Patriarchis adscribitur.* Qua quidem re factum est, ut in occidentali eccle-

ecclesia Romanus, unus utpote Patriarcha, dationem pallii haberet. Is primo quidem ecclesias tantum suburbicarias subiectas sibi tenuit: Italia reliqua, Gallia, aliaque regna, nondum ei obnoxia erant. Sed, quo etiam harum ecclesiarum Archiepiscopos sub suam potestatem redigeret, Vicariatus honore, & Pallii, cum eo coniuncti, ornamento, donabat. Non orientales, non Africani, sed soli occidentales Archiepiscopi id Pallium Romanum impetrabant: neque dum ulli horum illud, necessitatis alicuius vi, iniungebatur. In Germanicæ & Gallicæ Ecclesiæ Concilio aliquo, fertur Bonifacius, sive Winfridus, effecisse, ut canon iuberetur, quo præceptum sit, ut omnes Archiepiscopi pallium a Romano & peterent, & acciperent. Sed ista lex parum certe ab Archiepiscopis ab initio observata est, veritas scilicet, ne pallii honor sedi Romanæ se nimium subiiceret. Ergo Seculo VIII, Pont. Rom. solus pallii dationem sibi arrogaverat; ita tamen, ut Antislites ecclesiarum, nulli alii Archiepiscopo subiecti, id ferrent; essetque eo etiam tempore in arbitrio cuiusque situm, petere an contemnere mallet. Seculo vero XI. a Gregorio VII. conversum id est in necessitatem, cum ille præcepisset, ut omnes Archiepiscopales actus honoresque a Pallii impetratione penderent. Atque ab eo tempore Romani Pontifices id sibi sumserunt, ut, pro arbitrio suo, pallium, etiam Episcopis, nunc quoad viverent, nunc in perpetuum, largirentur. Quæ quidem omnia postquam Cel. Autor multis argumentis confirmavit, venit ad Pallium Herbipolense, nuper datum; & rationibus in utramque partem copiose collectis, tandem sic censet: Pallium semper præcipuum ac proprium Archiepiscoporum ornamentum fuisse: quod Pontifices nunquam sine idonea causa Episcopis, ac plerumque tantum, quoad viverent, concesserint: Pontificem porro, in largiendo usu Pallii, obstrictum esse legibus ecclesiasticis: quæ cum Pallium solis Archiepiscopis tributum velint; Pontifici ius non esse, hoc proprium Archiepiscoporum ornamentum vulgare, atque cum Episcopis suffraganeis communicare: Id agnitum esse a superioribus Pontificibus, qui eam ob causam nunquam a Canonibus

nibus Conciliorum in eâ re recesserint, nisi rogatu Imperatorum ac Regum & cum consensu Metropolitanarum: Itaque Archiepiscopum iure conqueri, si Suffraganeo suo, sine suo consensu, Pallium tribuatur: iustasque adeo Moguntini esse, de Pallio Herbipolensi, querelas: Plenitudinem potestatis, quæ iactetur, Pontifici quidem ius dare, ut suis legibus derogare possit, non autem ut possit etiam canonibus Ecclesiæ. Sub finem huius Capituli denique argumenta refutantur Cardinalis Albani, quibus Pallii Herbipolensis ius tueri conatus est.

Capite octavo agitur de Imperatorum Regumque auctoritate, in concedendo a Pont. Rom. Pallii usu. Exemplis ex superioris ætatis historia depromtis, e quibus, etiam olim Regum Imperatorumque auctoritatem in Pallio largiendo contentam non fuisse, perspiciatur. Vir Cel. docet, hodie Pontificem nulli Germanorum Antistiti Pallium dare posse, invito atque incio & Imperatore & Imperio: quod si faciat, libertati ecclesiæ Germ. multum decessurum esse; iura Metropolitanarum & Archiepiscoporum præcipua multum imminutum, ordinemque status publici Ecclesiæ immutatum iri: fore denique, ut Pontifex Principem Imperii Ecclesiasticum, contra ius ac leges, in maiori dignitate & honore collocet.

Cap. IX. diligenter exponitur, quomodo Pallium conficiatur. *Cap. X.* de petitione & impetratione Pallii, imprimisque de iureiurando fidei, illi adiuncto, ac redemptione Pallii denique, agitur. Olim quidem gratis, nullo pretio, datum est, vetantibus etiam canonibus, veluti Simoniam, eius redemptionem. Sed hos non curat Curia Romana. Iam aliquot abhinc seculis pretium eius tantopere incensum erat, ut populus Germ. in ceteris querimoniis, sive Gravaminibus, de eo sit, veluti de acerbissimo pecuniarum capiendarum modo, conquestus.

Cap. XI, & XII, ex præceptis iuris Pontificii & Canonici, itemque Cerimonialis Romani, usus & auctoritas Pallii Archiepiscopalis traditur. Finem imponit *Dan. Papebrochii* Diss. de forma Pallii, cum formis æri incisus: quæ, quia iam dudum nota est, a nobis hoc loco prætermittenda videtur.

Prodiit, nuper admodum, *Pallium Herbipolitanum impugnatum ac defensum, biga Opusculorum*, quo in opere, Editor anonymus Perfectum videtur confutare voluisse, Barthelio militaturus. Sed non sunt ea tanti, quæ opposuit, ut videantur nobis hic Lectori exponenda. Dicemus de ea opusculorum biga alio tempore.

DE STABIIS, STABIANA ECCLESIA ET EPISCOPIS eius, Auctore F. PIO-THOMA MILANTE, Episcopo Stabienfi &c.

Neapoli, 1750, in 4.

Alph. 1. plag. 15. & Tab. xn. 1.

Cum de Episcopis Stabienfibus scribere institisset Rev. Præfuit, animadversa brevitate & ieiunitate eorum, quæ de Stabienfi Ecclesia & eius Episcopis apud *Ughellum* aliosque reperirentur, non alienum videbatur, quædam præmittere de urbe Stabiana. Ea autem disputatio ita creverat, ut titulum operis mutare & talem ei præponere consentaneum videretur, qualem indicavimus. Descriptum est opus in quinque Dissertationes: 1) *de Antiquitate, Magnificentia & situ Stabiarum*; 2) *de Antiquitate & Præstantia Eccles. Stabiana*; 3) *de Monte aureo & templo ibi a S. Catello ædificato in memoriam Archang. Michaelis*; 4) *de Epocha S. Catelli*; 5) *de Episcopis Stabianis*.

Antiquitas Stabiarum indubia est, conditor incertus & originis ætas obscura. Claram, libera adhuc republ. Rom. urbem fuisse, veteres scriptores docent. Magnificentia & præstantia urbis veteris multis ex rebus intelligi potest. Eam Auctor primum declarat commemorandis vestigiis & reliquiis veterum ædificiorum, in quibus indagandis plurimum curæ consumpsit. A templis incipit. Ea quinque commemorantur.

Pag. 7. seq. Primum *Herculis*, in Petra Herculis, iam commemoratum *Capaccio*: alterum *Diana*, a quo nunc quoque locus *Fano* dicitur: quod cognitum est reperta Ara marmorea cum capite cervi redimitum corolla e variis fructibus & uvis, nunc quoque extans

extans & subiecta pro basi Cruci lignæ: cuius & forma ære expressa exhibetur: tertium *Iani*, a quo nunc quoque locus *Faiano* dicitur. Eius rudera detexit *Milantes* in vinea *Epi-* Pag. 10.
scopali, & diligenter describit, ut pavimentum tessellatum, columnas plures, sed truncatas lateritii operis, parietes incrustatos & opere Arabico pictos, coloribus adhuc vividis, expiatorium e pipernino lapide cum suis urnis & canalibus, positum circa tubulis plumbeis aquæ deducendæ, stanno colligatis, in quorum singulis arte fusoria expressum eminentibus literis auctoris templi nomen sic: P. SABIDI. POLLIONIS. PR. V. 12.
quod Vir Rev. interpretatur *Præfetti Urbis*. Id nomen non reperitur in Catalogis Præfectorum, nec cuiquam, quos super ea re consuluit, cognitum fuit. Ipsius coniectura est, istum Præfectum Urbis ante L. Syllæ tempora fuisse, qui *Stabias* vastavit: satis autem constare, Præfectos Urbis etiam extra Romanam aliis in urbibus ædificia publica ædificasse: quorum hoc, de Præfectis Urbis sub Cæsaribus verum est, non de prisca libera republica per ferias latinas creatis, quos hunc titulum in operibus exprimendum curasse, vix credibile est: nec *Sabidior* tam antiquos esse crediderimus. At potest etiam Prætor Urbis vel Præf. Vigil. fuisse ille *Sabidius*. Reperit etiam urnam marmoream duplici basi, ad victimas excoriandas & viscera inspicienda: item cacabum ad coquendas victimarum carnes, & in hoc libro spectari voluit. Quartum templum fuit *Cereris*, cuius indicium fecit lapis a *Capaccio* 13.
proditus in Append. Hist. Neap. Tom. I. pag. 900. Quintum *Plutonis* celeberrimum, in loco, qui nunc *Crypta S. Blasii* dicitur, cuius memoriæ destinatum est & inauguratum A. 1695. *Speleum* illud in saxo fuit subtus ripam & in ima valle supereminentis collis, ex quo per declivem & humilem portam super pectus repentes descendebant, per meridionalem portam ad latus antri (ut nunc quoque videre licet) & accepto oraculi responso, per aliam non sacram portam & subterraneam viam exibant: prorsus ad similitudinem antri *Trophonii* a *Pausania* descripti. Utraque porta nunc quoque visitur, & ære expressa hic exhibetur spectanda.

- Pag. 20. Posthæc Stabiarum præstantia firmatur amœnitate, salubritate, fertilitate regionis. Salubritatem aeris olim laudavit *Galenus* (Method. Medend. V, 12.) eamque ipse *Milantes* contra adversam famam defendit. Tum fontes salubres Stabiani ante multa secula celebres fuere, nunc quoque vim suam conservantes, (sunt autem quinque) quos diligenter describit Rev. Auctor. Veteres etiam *lac Stabianum* laudabant in sanandis ægrotis, phthisicis maxime, inprimis illud, quod in colle superiori Stabiarum (*Procopius γάλακτος ὄρος* vocat, *Cassiodorus montem lactarium*) mulgebatur, ubi hodie *Literarum* Urbs est.
27. Veterum Stabiarum situm hunc fuisse docet, ut ex *Petra Herculis*, e regione *Vesuvii* sita & contra *Pompeios*, initium urbis, a parte quidem terrestri, duceret, porrigereturque per viam, *Aquilonem* versus a latere *Pompeiorum* ad *Angarim*, complectens versus orientem *Literas*, seu *lactarium montem*, *Granianum*, & *Pedemontium*, excurrensque ad *Aureum montem* ad meridiem, declinaret ad *Vicum Surrentinum*, ubi finem litoralem seu maritimum habebat, complectens vicum *Aquensem*, *Aequum*, & alios montes, & *Castella* quædam: unde & maris ille sinus *Fretum Stabiense* (*Golfo di Castell' a mare*) vocatur. Atque hæc deinde argumentis idoneis e monumentis antiquis firmantur, inprimis *Galeno*, qui omnium maxime inter veteres distincte descripsit *Stabias* in *Meth. Medendi*, refellunturque, primum *Pbil. de Anastasis*, qui ex eodem *Galeno* *Oppidulum* fuisse collegerat in *Antiq. Surrent. Christ. deceptus* a *Cluverio*, deinde accurate & late *Ambrosius Leo*, qui in *Libro de Agro Nolano* cap. II. hoc egit, ut veteres *Stabias* collocet, ubi nunc est *Turris Nunciata*, adstipulante post etiam *Cluverio*, & aliis; (quem falsum esse etiam monuit *Holstenius* *Annot. ad Cluv. Ital. Ant. p. 243*) In aliis argumentis utitur & titulis antiquis, e quibus qui nondum editi sunt, commemorabuntur. Primus est e cenotaphio *pipernino* in *Sacello* *Ecclesiæ S. Salvatoris*, adhuc neglecto, sed ab *Rev. Milante* accurate descripto: DIS MAN. M. PEPPERNAE CHARITONI. quem titulum
51. seq. sus-

suspiciatur ad M. Perpernam vetustæ Consularis familiæ virum pertinere. Frustra. Cum *Charitonis* additum nomen, Græcum civitate Rom. donatum, aut libertum Græcum natione indicet. Alter est supra indicatus P. SABIDI POLLIONIS PR. V. Tertius a *Muratorio* Thes. Infer. p. MDCXCVIII, 13. & MCCXVI, 10. adeoque bis. a diversis missus, editus pro inedito, sed, ut hinc discimus, iam ante editus a P. *Seraphino Rugerio* Hist. di S. Maria a Puzano p. 9. Quartus est e tabula ænea, continente Privilegium Serg. Galbæ datum veteranis Leg. Adiutricis I. editum ab eodem *Muratorio* pag. CCVII, 1. sed ante ab eodem *Rugerio*, ut *Milanes* monet, cui *Muratoriana* editio ignota fuit: estque hodie in Museo Card. *Portocarero*. Quinto tres tituli descripti e tribus loculis a. 1729. e cameris subterraneis effossis. 1. PEREGRINVS TIBVRTI. V. A. XIII. 2. CARVLE MAETE. 3. NEPELE BIX. A. VIII: nondum alibi editi, quod sciamus. Denique a. 1747. repertum est cadaver viri in tumulo e tegulis compacto, in quibus singulis D. M. esset, præter unam, in qua esset delineata imago viri & in orbem circumscriptum DEVTIRICINI. Cum igitur certum sit, *Stabias* fuisse, ubi hodie est *Castellum maris* (*Castell' à mare*) hoc unde nomen & quo tempore natum sit, dubitatur. Reiectis aliorum coniecturis, ipse suspicatur Sec. XI. aut XII. novæ urbi ibi extructæ, ubi principem locum quondam *Stabiæ* tenuissent, nomen inditum *Castro maris Stabiarum*. Addit denique de Diœcesi, templis, monasteriis. 57. seq.

Cap. secundum constat disputatione cum *Capaccio*, & *Phil. de Anastasio*, ante Episcopo Surrentino, dehinc Patriarcha Antiocheno, quorum errores, parachronismos &c. castigat, primum in eo, quod de antiquitate Ecclesiæ *Stabianæ* detrahere videantur, cum ante Sec. VII. nihil certi de Episcopatu *Stabiano* reperiri dicant: deinde, quod hic etiam dignitatem Ecclesiæ *Stabianensis* imminutum ear, ut sũx, Surrentinæ, augeat, disputans in eam partem, ut *Stabias* s. Castrum maris Sec. XII. villam fuisse, in qua Episcopum constituere iuxta Eccl. Canones non liceret, porro Episcopum *Stabianensem* olim sub Metro-

Metropolita Surrentino fuisse, & ab eo inauguratum esse contendat, eumque Metropolitanam, sicuti ceteros, institutionis Apostolicæ esse. In qua disputatione res sane bene cessit Milanti; etiam in eo, cum refellit Anastasium, nasutos Criticos vocantem eos, qui epistolas decretales PP. ante Siricum spurias putent, Primate & Patriarchas eosdem facientes, item Archiepiscopos & Metropolitam antiquos. Ceterum concedit, primam Stabienfis Episcopi mentionem esse, si authentica monumenta quærantur, in subscriptione Synodi I. Rom. sub Symmacho P. R. h. a 499, sed diu ante Episcopos Stabii fuisse, & quidem, ab ipso Apostolorum ævo: quod non improbabili coniectura colligit ex eo, quod Stabii tum esset portus illustris, mercaturaque copiosa. Atqui satis constat, in talibus urbibus fere ludorum Synagogas fuisse, in eas Apostolos & Evangelistas maxime profectos, ibique Ecclesiis fundatis Episcopos constituisse. Adduntur deinde pauca de amplitudine Dioceseos Stabienfis pristina, & alia ad dignitatem istius Ecclesiæ pertinentia, quæ movisse videantur Bened. XIII. ut Canonicis Stabienfis, quamvis repugnantibus Surrentinis, insignia concesserit ea, quibus nobiliora Regni Neap. Capitulum prius honorarentur.

Cap. tertium agit de Monte aureo, in quo S. Michaelis religiosissimum sacellum est, demonstraturque, eum montem male confundi cum monte Gaurio, inter Baias & Puteolos situm: additis etiam alijs de ipso Sacello, fabulosa etiam, quæ quoniam paucorum interest scire, mittimus. Cap. IV. Epocha S. Cataldi, Sacelli illius conditoris finitur, refutatisque iis, qui initio Sec. VII. fuisse auctore Antonio Ebulensi statuunt, post Ballandos, Mabillonios, Ughellos aliosque, ipsorum adeo argumentis docetur ad Sec. IX. eius ætatem referendam esse. Ultima Dissertatio seriem Episcoporum Stabienfis inde ab Urso, qui Sec. V. fuit, proponit, eorum Acta enarrat. Ad extremum additur ipsius Milantis Vita, qui, dum Opus hoc typis exprimitur, mortuus est, auctore Fr. Maria Bisogni, ICo Neapolitano; itemque Iosephi Coppola, qui nunc ei Ecclesiæ præest, eodem auctore.

PETRI

PETRI LOTICHII SECUNDI SOLITARIENSIS
Poemata omnia, editis auctiora & longe emendatiora.
Acc. eiusdem Narratio de cæde Melchioris Kobelli Episc.
Herhipolensis: Epistolarum Libri II. Vita P. Lotichii a
diversis auctoribus descripta: Adoptivorum Lib. III, &c.
recensuit, notis & præfatione instruxit PETRUS
BURMANNUS SECUNDUS.

Tomus I. & II.

Amstelædami, ex officina Schouteniana, 1754. in 4.
 Tom. I. Alph. 4, plag. 3. Tom. II.
 Alph. 2. plag. 3.

Inter principes Germanicæ poetas, atque princeps adeo numeratur merito suo, *Petrus Lotichius* S. omnibus omnium aliarum nationum poetis præstantissimis, qui quidem a renatis litteris extiterint, vel par, vel superior, atque ipsis antiquis melioribus comparandus. Sed quo carior debet esse nobis, Germanis, Lotichii memoria, qui cum tot aliis istius ætatis viris, ingenii Germanici gloriam & decus ita nobilitavit, ut, sicut fortitudine, ita ingenio omnibus nationibus vel superiores, vel pares videri debeamus: hoc maiores Batavo debemus Germani gratias, qui tantum primum laudis, deinde curæ tribuere Lotichianis Carminibus voluit, quantum antiquorum optimis solet, effecitque, ut ornatum splendoremque & a charta & a typis acceperint, quem vix Germanorum quisquam populari suo tribuisset: præsertim cum Vir sit is, qui de ingenii poetarum, ipse optimus & eruditissimus poeta, optime & verissime iudicare possit.

Lotichiana Carmina primum edita sunt ab ipso, duo & viginti annos nato, *Parisiis* apud *Vascosanum* 1551 octonis, sed pauca, unus Elegiarum decem, & unus Carminum liber. Successit anno post Liber Carminum secundus, *Lugduni*. Post mortem Viri a. 1561. repetita sunt *Lipsiæ* apud *Ern. Vogelium*, hortante & curante magno *Camerario*, additis pluribus aliis carminibus, ut quinque libri fierent: quorum quartus

iam a vivo *Lotichio* Bononiæ editus fuerat. In ceteris editionibus Lipsicis, aliisque, quas vulgatas *Burmannus* V. C. vocat, ita vel corrigendo, vel addeendo, vel detrahendo mutata sunt carmina pleraque, ut eadem vix videantur: sed ea mutatio facta est in melius, atque adeo haud dubie ex auctoris scheda ducta est. *I. P. Lotichius*, *Petri* e fratre nepos, reliquerat Codicem, in quo essent Carmina *Petri*, plurimis accessionibus locupletata, eumque scriptum ipsius *Io. Petri* manu, ut nova inde Poematum *Lotichianorum* editio fieret. Is e *Bibliotheca Uffenbachiana* emtus a *I. P. Dorvillio* venit in manus *Burmanni* V. C. Cui cum *Lotichiana* Carmina semper unice amata fuissent, cepit consilium, novæ *Lotichianorum* Carminum editionis curandæ. Qua in re hac ratione usus est, ut primum varietates edd. principum subnotaret, deinde verba *Lotichii*, cum locis similibus vel veterum, unde profecisset, vel recentiorum, qui inde profecissent, compararet, secutus, præclarum exemplum *Broukhusii* in *Comment. ad Tibullum & Propertium*: quæ res valde prodesse studiosis artis poeticæ potest ad imitandi rationem, cognoscendumque variandi artificium: quanquam etiam interdum lætinitatem exquisitiorum, aut sententiam acutiorem vel explicavit, vel illustravit: denique etiam de viris iis, ad quos scripta sunt carmina, notioribus tum, quam nunc sunt, multa scitu & digna & iucunda proferret, unde lucem interdum ipsa carmina accipiunt: verbo, omnia faceret, quæ in vetere poeta facere editores hodie solent. Qui est magnus sane *Lotichii*, sed non immeritus honos, quem prædixit ei eventurum *I. Petrus Lotichius* in *Prom. fid. Crit. c. 13. extr.* Neque id sine exemplo instituit *Burmannus*: quippe idem fere *Muretus* fecit *Ronsardi Amoris*, *Brascanus Nutricii Politiani*, *Menagius Malherbe Tasso & Casa*, *Broukhusius Sannazario*, idem præstiturus *Flaminio*, si vita mansisset diutius, aliique plurimi aliis. Accessere etiam notulæ quædam *Hoogstratani* ex eius Codice, in quo Carmina *Lotichii*, edendi causa digesserat. Hic ordinem Carminum instituerat eum, quem sibi servandum putaret *Burmannus*, insertis ineditis, e Cod. MSr. depromptis vel aliunde,
per

per amicos acceptis. Sunt ergo *Libri Elegiarum V. Carminum III. Ecloga V. Epithalamium in Nuptias Ulr. Sitzingeri* descriptum ex Archetypo, quod est in Bibliotheca Vitebergensi publica, inter perinulta alia Lotichiana Carmina, quæ, an edita essent, inquirere tum non vacavit: denique Phaleucium, quo *Lotichius* Elegiam de Natali Christi dedicavit *Friederico a Folkersum*, Livonienti, sumtum ex editione istius elegiæ Viteb. 1550. Carminibus subiiciuntur ea, quæ in titulo libri indicavimus: & *Adoptivorum Libri III.* quorum *primus* amicorum salutaciones, *secundus* Funeralia, *tertius* defuncti elogia continet, collecti a *J. P. Lotichio* cum aliis excerptis ad *Lotichium* pertinentibus. His annumerandum & ipsius *P. Burmanni* Carmen ad Manes Lotichianos, poetici spiritus plenum & elegans. Neque silentio prætereunda est præfatio *Viri egregii*, in cuius posteriori parte de instituto suo, in prima autem multa lectu dignissima disputat ad rem poeticam pertinentia, iis pericunda futura, qui harum elegantiarum sensum habent: qui sunt hodie perpauca, culpa fere magistrorum scholasticorum & academicorum: quorum plerique cum sint expertes omnis talis elegantix atque adeo eius inimici, alios sensu eius imbuere non possunt.

*IO INNIS GEORGII ROEDFRER, MEDICINAE
Doctores, eiusdemque Professoris & Societatis regie
Scientiarum Gœttingensis Socii extraordinarii, Elementa
artis obstetriciæ in usum prælectionum
Academicarum.*

Gœttingæ, 1752. 8.

Plag. 21.

Immanem quotidie cladem respublica patitur, cum nascens sua germina, rudibus imperitarum muliercularum manibus relicta videt, quibus integrum est, impune vellicare uteros, fœtusque lacerare miserrime; id quod aliter fieri nequit, cum obstetrices, præter vulgarem aliquam normam, secundum quam artem exercere ulu utcumque, nulla autem un-

P

quam

quam ratione didicerunt, parum sciunt, atque vel audire magistros, nolunt, vel eosdem ipsos habent omnium rerum ad uterum gravidum pertinentium ignaros. Igitur instruendi ante omnia sunt medici, quo obstetrices instruere possint, formandique in ipsa sunt vitæ academicæ infantia: *Præclarus Auctor*, cum hoc sibi etiam datum esse intellexisset, brevi quidem, at in se contracto valdeque utili libello, totius artis obstetricæ ambitum complexus est. Primo quidem loco sedem uteri gravidæ explicat, & *pelvim* describit *muliebrem*, cuius peculiaris aliqua, si viri pelvim simul respicias, momenta sunt. Est enim femineæ pelvis apertura superior latior, & symphysis ossium pubis illi in arcum ampliorem excavatur, quo ad latera spatium iustum supersit, quod humeros fœtus recipiat, eosque, quo minus adherere facile possint, impediat. Proinde vitium est, si femineæ pelvis, ossa pubis ad *sacrum os* propius accedunt, maxime cum illud, simulque *os coccygis* inarctum, plus iusto vergit. Hinc uteri virginæ examen instituitur, cuius consideratio aliquando necessaria est: quare, cum tactu exploratur eius ostium, compactum illud, firmum, idque cartilagineum est, versus os sacrum paulo magis ascendit, & rimam transversam habet rectilineam. Uterus gravidus, varia sua, quam patitur, mutatione, fœtus præsentiam ostendit. At, primo post conceptionem tempore, orificium eius orificio uteri vacui est simillimum, acuminatum, durum, digito facile circumscribendum, rima transversa æquali notatum; deinde, cum uteri volumen, simul cum embryonis involucris, seu ovo, augetur, cervix eius in vaginam magis protruditur. Igitur tangenti, aliquot, post conceptionem, septimanis, longius offertur uteri orificium, quod tertio mense ita descendit, ut digito ad alterum usque phalangem immisso, attingi possit. Sed tertio mense elapso, cum uterus plenus ultra pelvis marginem elevatur, orificium eius retrahitur, & eo usque ascendit, ut, proximo a partu tempore, digito attingi vix possit, crassius tamen est, molliusque deprehenditur: ultimis septimanis, rimæ loco, tubus apparet, cuius sectiones sunt ellipticæ, & tunc uteri cavea figuram habet spheroidæam. Fœ-

tus in utero, caput, quod hactenus illi ad perpendicularum cum axi longitudinali uteri situm fuit, sensum propendet, & in partu naturali inum, qui orificio matricis proximus est, locum occupat, facie versus *os sacrum* conversa. Uterus gravidus in perpetuo sese contrahendi nisu est, eumque nitum exercebat, nisi ab ipsa causa extendente, foetu scilicet, impediretur. Cedit autem isthæc resistentia tandem, quo plus accedit stimuli, quo contractio uteri augetur. Igitur ab actione fibrarum uteri, orificium eius, hactenus in vaginam adhuc prominens, magis dilatatur, tandemque diducitur, ipsiusque matricis contenta deorsum urgentur, cumque liquor amnii circa foetum fusus, ipso foetu sit mobilior, ante eius caput pellitur, imo intra ipsam vaginam protruditur, atque eius dilatandæ instrumentum fit primum. Accedit musculorum & diaphragmatis actio mechanica, a consensu cum utero dolente orta, suffulta actione aliqua arbitraria matris, spiritus scilicet retentione, quæ conatum pariendi reddit quam efficacissimum. Quibus omnibus id efficitur, ut, si pelvis probe constituta est, foetus caput ad aperturam uteri sese recte habet, foetus & uterus in axi pelvis sistuntur, partus naturalis facile sequatur. Præcedit mucus albus, doloresque partum præfagientes, qui a veris non nisi gradu differunt, his leniores sunt, parumper durant, omnino negligendi, donec accedant veri, qui cum ostii uterini apertura coincidunt; tunc proxima partus signa accedunt alia, urinæ incontinentia, aliquando effluxus eius involuntarius, & irritus desidendi stimulus. Hinc uteri orificium magis magisque dilatatur, alterna dolorum & quietis est permutatio, minimis intervallis dolores distant, quo propior partus est; descendit, eminentque extra pudenda hæud raro bulla aquea, qua sponte rupta, si naturalis partus est, continuis nunc nixibus partus fit, atque a continuata uteri contractione, secundinæ ipsæ solvantur & impelluntur. Deinde cum omnis partus absolutus est, per hiantia in uteri cavum, vasorum, quæ hactenus placenti respondebant, lumina, sanguis, cui Lochiis nomen est, effluit, & a contractis iterum in se & quietem affectantibus fibris orbicularibus matricis, peni-

tus expellitur. Sed varia est partus ratio: veluti ille naturalis est, qui sub conditionibus foetus sani, vivi, & uteri recte siti, subque legitimo tempore celebratur; ita præternaturalis partus est abortientis feminæ, utpote, qui maturo semper est difficilior, tam propter cervicis uterine maiorem utero factam resistentiam, quam propter hæmorrhagiam, quæ matris vires frangit. Deinde, etiamsi foetus terminum legitimum natiuitatis suæ attigit, sunt tamen nihilo secius, quæ partum præternaturalem & laboriosum reddere possunt, momenta, tam quæ ad matrem, quam quæ ad foetum, quam etiam, quæ ad secundinas revertuntur: si ossa pelvis resiliunt, atque eius apertura inferior angusta maleque conformata est; si extra axin uteri foetus sistitur nucha, membra eius instam proportionem haud habent; si, cum caput imminet, alia simul embryonis pars propendet, quæ viam transitus angustare possit, sique funiculus umbilicalis simul adest atque propendet; etiamsi enim ille capitis exitum haud moretur, fieri tamen aliter nequit, quam ut vita, ob interceptum sanguinis circulum, foetus privetur celeriter. Nihilo his secius partus laboriosus redditur, cum mater infirma est ætate provecior, pinguis vel gibberosa, intra vaginam tubercula habens, herniosa, sique placenta uteri ostio præfixa est, vel etiamsi recte ponitur, cohæret fortius. Quod foetum attinet, potest ille vario modo partus leges invertere. Equidem inter difficiliores partus numerari *agrippinus*, cum pedes foetus primi procedunt, haud debet, utpote, qui arte absolvi possit. Neque tamen ideo maxime naturalis est; namque rarius tunc ostium uteri a doloribus sufficienter aperitur, caput, nisi illud recte vertatur, facile hæret, ipseque funiculus umbilicalis inter caput foetus comprimitur quam periculosissime. Natura partus omni sic exposita, enchirefos, quibus ad naturalem laboriosumque partum utendum sit, erudite exponuntur & fideliter. Optimus sæpe partus, præternaturalis sit, si obstetrix peccat. Igitur, alvo ante per clysterem purgata, ad labores adstringenda mulier præcocius haud est, vagos illos & præfagientes dolores, lumbis ad parietem fixis, stando præterlabi sinat,

manu-


manuque corpus resistensprehendat. Deinde cum res serio agitur, manus atque lumbi obstaculo cuidam firmo innitantur, & stabilem ubique situm corporis paritura fervet, sique diuturnus labor est, ipsa mulier interquiescat; in quorum oportunitatem vel *sedile* vel *lectulus* recte instruuntur. Placentam autem solvit obsestrix, cum sinistra manu funiculum leniter tendit, dextræ autem pollicem in medio placentæ, ubi funiculus adhæret, loco figit, & reliquis digitis circumferentiam molliter investigat. Parum refert, vivusne, an mortuus fœtus sit, ut partus sit facilis; redditur autem difficilis mortui partus, cum cadaver in utero a putredine intumescit. Igitur multum interfit, scire, an fœtus in utero defunctus sit, nec ignoranda sunt mortis eius signa, quæ primaria in pulsus arteriosi *corda* defectione, atque in cuticulæ secessu ponuntur. Hinc manuum operæ, quibus obstetricans in variis situs præternaturalis schematibus uti debeat, exponuntur; quid agendum sit, cum hydrocephalus est, cum vertex pubis maternæ ossibus inclavatur, cum nucha fœtus occurrit, si brachium propendet; utpote quæ potiora partus sunt offendicula. Si quid enim reliqui est, cum infans dorso, ventre, clunibus, imminet, id omne sub una idea, quærendorum pedum, eorundemque extrahendorum, sistitur. Cum autem immanis istarum positionum sit differentia, uniuscuiusque corrigendæ, singulare manuum exercitium describitur. Etiam si autem plures iam existunt variorum auctorum libri, qui artificium partum expediendi, aliquanto prolixius quam utilius exposuerunt, superflua tamen dici nequit *Clarissimi Auctoris* cura, qua universam hanc artem, parvo schemate amplexus est, & si de multis aliquis, ad usus scholasticos seligendus liber est, hunc potissimum docentibus & discenibus utilem esse, arbitramur.

IO. HENR. WINKLERI. IN ACAD. LIPS. PHYSI-
ces Prof. Publ. de avertendi fulminis artificio, se-
cundum Electricitatis doctrinam,
Commentatio.

Lipsiæ, ex officina Breitkopfii, 1753. in 4.
Plag. 3.

Fulmen atque tonitru tanquam effecta materiæ electricæ in atmosphæra agitæ considerari posse, ostendit V. Cl. 1746. in Ser. pro germanico: Die Stärke der electrischen Kraft des Wassers in gläsernen Gefäßen. In exquirenda electricitate curiosissimus *Benjamin Franklin* in observationibus atque cogitationibus suis, quæ 1747. 1748. & 1749. ad amicum suum *Collinsonum*, qui Londini commoratur, ex Philadelphia perscripsit, rationem monstravit atque viam, qua certius explorari posse putat cognationem, quam cum materia electrica habeat materia fulminis. Epistolas *Franklini* complectitur liber, qui inscribitur: *Experiments and Observations on Electricity, made at Philadelphia in America, by Mr. Benjamin Franklin, and communicated in several Letters to Mr. Collinson of London, F. R. S. London. printed and sold by E. Cave, at St. John's Gate 1751 in Quart.* Ex quarta epistola, in qua *Franklin* de electricitate fulminis cælestis agit, summam sententiæ exposuit, scrutandarum & colligendarum rerum naturalium causa iter nuper ingressus, sed in Anglia fato functus, *Mylius*, in Parte decima septima Commentariorum, qui vocantur *Physikalische Belustigungen*. Consilium *Franklini* anno superiori executi Galli quidam, rei investigandæ miratione commoti, primo cognoverunt, in aeris tractu, in quo materia fulminis cietur, ab eadem homines & metalla, quando in pice aut retibus sericis locum habent, electricam vim nancisci æque ac a sphaeris atque cylindris vitreis, in quibus electricitas frictione excitatur. Quæ id manifestarunt, tentamina scite descripsit, cum universæ Physicæ gloria, tum electricitatis doctrina clarissimus *Nolletius*, in libello: *Lettres sur l'Electricité, dans lesquelles on examine les derniers Découvertes, qui ont été faites sur cette Matière, & les conséquences, que l'on en peut tirer.* Inopinatæ huius experientie dissipata per terras Europæas fama, incitabat illico complures ex una Galliam viros, ad similia capiendâ experimenta, quæ ex

litte-



litteris publicis enarravit attentissimus ad res novas *Mylius* l. c. parte decima septima.

Inter hos investigatores eximiam sibi laudem comparavit Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Professor, *Georgius Wilhelm Richmannus*, qui in observanda fulminis electricitate multoties occupatus, phaenomena conspexit apprime digna notatu, & ad explicandam naturam ignis fulminei utilia. Paravit *Gnomonem Electricitatis*, cuius formam & descriptionem cum amico suo, *Heinsio*, Collega Nostro, Mathef. in Acad. nostra Prof. communicavit. Ad gnomonis huius constructionem adhibuit regulam sive pernicam metallicam, vasculum vitreum, filum lineum, unum pedem anglicanum cum dimidio longum, pondusque habens dimidii grani, & quadrantem, *Fig. 1.* Regula metallica *CD* in vasculo *E*, in quo ramenta metallica continentur, insistit. Filum lineum *CG* in loco *C* regulae annexum est, & quando electricitate caret, ad perpendicularum dependet. Quadrantis *EG* in gradus divisi radius duabus lineis longior est, quam sesquipes anglicanus. Describit deinceps Auctor apparatus, quo *Richmannus* effecit, ut tempestas fulminea cum gnomone illo communicare potuerit electricitatem. Per lagenam vitream, cuius fundus perforatus fuit, baculum ferreum traiecit in collo firmatum subere. Ex culmine tecti tegulam eruit. Tegulis conterminis imposuit lagenam, ita ut baculus ferreus non solum ex collo lagenae, quatuor aut quinque pedes super tecti culmen, emereret, sed neque regulas fundum lagenae sustinentes attingeret. Ex fundo lagenae eminenti baculo catenam adiunxit, deductam in conclave quatuor passus latam & fedecim longam, adhibita cautione hac, ne catena usquam tangeretur a corpore, cuius contactu excitata electricitas desinit. Introitus huius conclavis in septentriones spectat. E regione, qua conclave ad meridiem vergit, fenestra est, prope quam locum habet scrinium quatuor pedes altum. In huius parte suprema *Richmannus Gnomonem Electricitatis* posuit, & cum catena per conclave sub eius lacunari protensa coniunxit opes filii metallici *BC* dependentis, catenae *AB* annulo *B* & pernicæ
seu

TAB. I.
Fig. 1.

feu regulæ *DC* in loco *C* adiuncti. Quando baculum ferreum per tectum domus prominentem afficit tempestas fulminea: in *Gnomone Electricitatis* filum *CG* attolli vidit *Richmannus*. Ex quo cognovit, æteri materiam quandam electricam in atmosphæra, in qua fulmen paratur. Similiter enim ascendere vidit filum, quando machina excitatam electricitatem cum regula communicavit. Altiozem vero fili adfensionem observavit in electricitate artificiali, quam in fulminea. Illa quidem ultra gradum quinquagesimum quintum filum attolli non vidit, hæc autem eveli non conspexit ultra trigefimum. Anno 1752. die 9. Augusti ex materia fulminea atmosphære catena & regula tantam electricitatem noctæ sunt, ut ex apice regulæ radii electrici emanarint cum strepitu, qui per intervallum aliquot pedum audiri potuit. Qui regulam attingere ausi sunt, hi manu & brachio concussionem senserunt. Apposuit interdum *Richmannus* lagenam vitream *HL*, quæ Mülchenbrœkiana vocatur, eamque collocavit in vase metallico *IK*, cui bafis vitrea *NO* subiecta fuit. Eminens ex lagena filum metallicum *HL* cum *BC* tempore tempestatis fulmineæ coniunxit. In hac confociatione multo vehementiorem animadvertit electricitatem fulmineam, quam cum gnomon hac societate lagenæ vacavit. Quod imprimis anno 1753 die 31. Maii expertus est. Ignis electricus tanta vi erupit, ut editus a scintillis sonitus per tria conclavia audiretur. Ex parte sinistra lagenæ alter *Gnomon Electricitatis* conspicitur. Hunc quando adhibuit, filum metallicum *BC* & filum *HL* adnexuit filo horizontali *MBL*, quocum communicare potuit electricitatem artificialem. Simul etiam ex catena *AB* catenam aut filum metallicum *BK* demisit in vasculum *IK*. Hac facta coniunctione, quando agitari curavit machinam electricam, ambo gnomones electricitatem adepti sunt. Postquam machina agitari, adeoque electricitas excitari desit: *Richmannus* certam effectuum electricorum instituire potuit reciprocationem. Primo enim, exorta electricitate, ambo fila linea *CG* & *CG* per quadrantes ascenderunt. Deinde, si tetigit *Richmannus* in gnomone dextro filum

lum metallicum *BC*, filum lineum *CG* ad regulam *CD* dextri gnomonis relapsum est; filum autem lineum finitum in sua altitudine perleveravit. Tum, si tetigit sinistri gnomonis filum metallicum *BC*, filum lineum *CG* sinistri gnomonis relapsum est ad regulam suam; filum autem lineum dextri gnomonis rursus adscendit. Hanc reciprocationem adscensus & descensus sepius bis, ter & quater reperere potuit, antequam opus fuit nova agitatione machinae ad suscitandam novam electricitatem. Navus hic & ad menturandam vim electricam fulminis attentus contemplator, sexto Augusti 1753. fulminis ictu interit, nascitura in *Gnomone Electricitatis* phaenomena, cum aeris exaltatore Academico *Sokolowio*, consideraturus. Quod cum in litteris publicis breviter narratum legeretur, illico movebat suspicionem, forte accitum esse fulmen illud ex atmosphaera in *Richmanni* conclave, ope & ductu catenae metallicae. Neque a vero alienam omnino fuisse coniecturam istam, ostendit paulo post divulgata omnium, quae ad rem pertinent, copiosior expositio. Vidit enim *Sokolowio* ex pertica seu regula Gnomonis dextri *CD* prodire globum igneum subaeruleum, pugno aequalem, frontem versus *Richmanni*, unius pedis intervallo a pertica illa disiuncti, oculisque contemplantis indicem electricitatis. Qui *Richmannum* percussit ictus, comitem habuit sonitum, qualem edit minus tormentum militare. Filum metallicum *BC* disruptum est, eiusque partes in *Sokolowii* vestem laneam projectae aestu concepto strigas inollerunt, crassitudinem sili metallici indicantes. Ex vasculo vitreo *F* dimidium abruptum est, & ramenta metallica partim dispersa sunt. Ex his planum est, collectam fuisse fulminis vim in pertica dextra *CD*, quae in vasculo vitreo *F* ramenta metallica attigit. Qui fulminis in conclavi effecta perquisiverunt, hi introitus patentis postem desuper dimidia ex parte distillum, & cum ianua in conclave projectum invenerunt. Fulmen igitur secundum catenam sub lacunari conclavis extensam, cursum continuasse videtur. Illud vero per tectam domus ductu baculi atque catenae ad ostium conclavis iter instituisse, ex iis, quae adhuc narrata legimus,

gimus, non apparet. Si pro certo poni posset, fulmen, quod *Richmanno* exitiale fuit, in catena & pertica hac ex causa collectum esse, quod ista corpora eo, quo ad catenam fulmen accessit, tempore & capere potuerint, & continere electricitatem: potestatem nobis in posterum fore intelligeremus fulminis interdum arcendi. Quam opinionem primo concepit *Franklinus*. Istud igitur an & quomodo fieri possit, hac commentatione *Winklerus* V. Cl. investigat. Nos pleraque eius verbis dabimus, quod dici distinctius non videntur nobis posse. Sic igitur ille.

Suspensa filis sericis catena metallica, si nihil attingit, quod, quemadmodum dici solet, propagare potest electricitatem, hac penitus completur, simul ac tangitur a corpore, in quo electrica virtus viget. Ex quo patet, fieri non posse, quin idem accidat catenæ huic, accedente ad alterutram eius extremitatem atmospheræ certa portione electrica. Experientia cognovi, in tempestate fulminea perticas metallicas ex filis sericis pendentes, electricitate affici, guttarum ex nube decidentium contactu. Quo fortior est electricitas corporis ali cuius, eo fortio rem ex eius contactu contrahit catena, ita pendula, ut ex ea electricitas transire non possit in materiam, quæ facit, ut evanescat. Quo maior igitur virium electricarum copia in aere versatur, eo maiorem electricitatem nanciscatur necesse est res, quæ ab isto aere attingitur, & quæ *capax & tenax est electricitatis*. Hoc vocabulo utar brevitate causa ad significandum corpus positum in materia, qua fit, ut communicata cum corpore electricitas sentiri possit, & per certum tempus perduret. Itaque effici posse intelligimus, ut electricitas fulminea ex atmosphaera descendat in locum designatum. *Fig. 13.* In ædificio verbi causa *ABCD* positam esse cogitemus perticam metallicam, electricitatis capacem & tenacem *EF*; ex ea vero catenam *Fm* locum versus ab ædificio remotum *g* extensam; in eoque fili serici ope alligatam statumini sub casa *hihi*, quæ pluviam a filo serico arceat; atque in disiuncto ab illa loco terræ infixum baculum metallicum *no*, cuius caput *n* a corpore rotundo ex catenæ annulo *m* pen-

pendente aliquantum distet. Iam si aer in loco *F* succedet materia fulminea: e momento electricitas universam catenam pervagabitur *Fm*, ita ut ex corpore rotundo *m* & baculi capite *n* scintillæ emanaturæ sint, si intervallum inter hæc duo permittat, ut incitatur in utroque materia electricæ commisceantur. Ignis enim electricus oritur, cum, quod excitatam in se electricitatem conservat, corpus alii eiusdem quidem capaci, sed non tenaci, ita vicinum est, ut utriusque materia electricæ inter se confundantur. Sic regula *Gnomonis Richmanniani* accessu, fulminis electricitatem copiosissimam accepit, quam, quia a rebus eidem propagandæ aptis admodum distabat, per tempus quoddam conservare poterat. *Richmannus* vero, quia in materia stabat electricitatem propagante, tenax eius non erat. Ita ex regula seu pertica *Richmannum* versus, qui ipsi admodum propinquus erat, erupit materia electrica, & ex *Richmanno* alia perticam versus. His igitur materiis commixtis, ortum est fulmen perniciosum. At vero sæpius animadvertit *Richmannus* in conclavi suo vim electricam atmospheræ, sine socio fulmine. Similiter in Anglia, Gallia & Germania observata est vis electrica tempestatis fulmineæ sine ictu exitioso. Qua igitur conditione opus est ad fulmen ex atmosphaera electrica in rem electricitatis capacem & tenacem derivandum? Primo nubes aut regio fulminea rem istam, ut catenam *Fm* (*Fig. 13.*) contingens, circumdata sit necesse est aere puriori, in quo materiæ, quæ electricitatem concipere possunt, paucitas est. Aeris enim purioris contactu corpus electricitate sua parum privari, notum est omnibus, qui electricitatem excitatam perdurare viderunt in corpore, quod in libero aere vel filis sericis pependit, vel in reti serico collocatum fuit. Longo etiam usu didicerunt electricitatis indagatores, valentiorē hanc esse atque diutius durare in aere siccō, quam in humido. Positæ in tabula particulæ ex tenuissimis bracteis aureis subsiliunt, cum tubus frictus vitreus admovetur, eumque advolantes attingunt. Facto tactu, confestim electricitate donantur. Resiliunt hac de causa, Quædam in aërem subvolant. Has si persequamur

tubo fricto: haud statim assequimur. Fugiant tubum & altius ascendunt. Quæ fuga, quamdiu durat, indicio est, per tempus istud permanisse electricitatem in his minutis metallicis, quamvis per aerem agitata fuerint. Primo necesse esse dixi, ut nubes, ex qua in rem electricitatis capacem pariter ac tenacem, ut catenam *Fm*, fulmen migrare debet, circumcincta sit aere puriori, qui electricitatis parum capax est. Deinde vero nubis huius fulmineæ ea pars, in qua maxima electricitatis copia versatur, attingere debet rem, quæ capere potest electricitatem & continere, ut catenam *Fm*. Copiosa enim ista electricitas, in qua fulminis potentia continetur, catenam istam plane atque omnino occupat, ut primum eam contingit. Addam exemplum fulminis artificialis, quod anno 1747 parare cœpi. Vitrea sphaera *A*, (*Fig. 6.*) cuius diameter quinque & plures pollices complecti potest, ramentis orichalci aut ferri confertim impletur. Ne ramenta inter & latera sphaeræ aut concussu aut ramentorum subsidentium pondere cavernulæ exstant, in collum sphaeræ subter intruditur. Loco ramentorum metallicorum sphaera impleri potest aqua & aliis materiis fluidis. Ex orichalco paratur vasculum concavum *B* (*Fig. 7.*) ad instar poculi, cuius cavatio dimidium sphaeræ descriptæ *A* capit, eamque arcu attingit. Huius vasculi sphaeræque coniunctio *AB* & *D* *Figura 5.* designatur. Eminens ex dicto vasculo sphaera collocatur sub sphaera metallica *C*. (*Fig. 4.*) vel cava, vel solida, quæ ex tubo aut baculo metallico pender, alligato filis sericis, quo communicata cum eo electricitas perdurare valeat. In aqua vasis cuiusdam ingentis metallici statuuntur complures, v. c. decem aut viginti lagenæ vitreæ maiores, quæ singulæ aquam in eaque quatuor libras nitri soluti continent. Ex singulis lagenis fila metallica prominent adiuncta catenæ, quæ tubo aut baculo applicatur, ex quo sphaera metallica *C* pender. Ex vase, in quo lagenæ locum habent, alia catena protenditur coniuncta cum vasculo *AB* (*Fig. 5.*). His omnibus rite dispositis, in machina electricitatis duæ sphaeræ vitreæ simul rotantur, quæ applicatis manibus frictæ electricitatem edunt,

quæ

quæ ductu catenæ ad tubum aut baculum metallicum, ex quo sphaera *C* pendet, (*Fig. 4.*) propagata, aquæ in lagenis contentæ materiam electricam excitat. Hæc, quando rota machinæ ducentes circumversata est, tantam nanciscitur vim, ut inter superiorem sphaeram metallicam *C*, (*Fig. 4.*) & inferiore vitream *D*, (*Fig. 5.*) fulmen aliquod prorumpat, quod oram vasculi sphaeram vitream complexi lambit, quod lumine cæruleo coruscet, in ipsa luce solari conspicuo, quod in conclavi tenebroso homines & parietes ita collustrat, ut bene internosci possint, quodque sonitu suo aures spectatorum percutit, sonitumque seloperi minoris imitatur. Via, quam perrexit hoc fulmen artificiale, in sphaera vitrea *D* alba linea signatur, quæ frictione panni aut velamenti sericei deleri potest. Sequens fulmen, quod raro viam ante signatam percurrit, aliam signat. Eiusmodi autem vestigia, per series punctorum in sphaera vitrea *D* expressa, non relinquuntur, si lagenis vitreis aqua pura inest, nitro omni destituta. Fulmen istud artificiale ex ingenti atque condensâ copia minutissimarum partium electricarum exillit, quæ per aquam & nitrum in lagenis dispersæ concitantur. Idem igitur fieri necesse est in atmosphæra ea regione, in qua vapores humidi aliæque materię pendulæ satis habent partium, quibus multifariam inter se commotis & tritis, vires electricæ eliciuntur & congregantur, atque rem electricitatis capacem atque tenacem contingunt. Idem etiam fiet, si ad rem eiusmodi ex longinquo nubes fulminea veniat. Quod ex sequenti experimento intelligitur. *Fig. 12.* Suspendatur filis sericis baculus metallicus *AB* super sphaeram vitream *CD* ramentis metallicis expletam. Hic baculus iam nihil habeat electricitatis. Ex filis sericis alius *EF* suspendatur tanto intervallo distans ab *AB*, ut *EF*, licet electricitatis compos sit, nihil tamen valeat communicare cum baculo *AB*. Demittatur baculus *EF*, quando electricitate abundat, in baculum *AB*. Vix facta contactu, inter baculum *AB* & oram vasculi, in quo sphaera vitrea *CD* posita est, fulmen erumpit luce sonituque inlignæ. Sive igitur in atmosphæra catenam in loco *F* (*Fig. 13.*) ambiente vi-

rium electricarum ubertas primitus oriatur, sive certa aeris portio viribus electricis abundans, ad locum *F* aliunde adveniat: tota arena tantam vim electricitatis acquirat, ut baculus ferreus *on* fulmine ex cælo percutiatur. Quoniam electricitas per univertum corpus, quod eius capax est atque tenax, cum incredibili celeritate diffunditur: fieri posse videmus, ut fulmen per longissimum aeris tractum subito pervolet ad locum, *v. c. m* (*Fig. 13.*) ubi corpori *n* occurrit, quod electricitatis tenax non est. Quod *Richmanno* accidisse videtur; siquidem nubes fulminea amplius sex gradus ab eius vertice absuit. Esto, quemadmodum fieri solet, series certa nubium intervallicis aeris purioris disiunctarum, quæ singulæ contineant materiam fulmineam feruentem. Ponamus, intervalla hæc tanta esse, ut inter nubes nulla sit, ex qua in finitimam vis fulminis pertineat. Ita tot in cælo versabuntur tempestates tonitruales, quot nubes sunt eius, quam dixi, conditionis. Si autem adeo angusta sint intervalla, ut ex nube in nubem permittatur vis fulminis: ex pluribus tempestatibus fulmineis una exisset, quæ tanto vehementior erit, quanto plures coniungentur. Fingamus, ex nubibus istis unam contiguam fieri partem *EF*. (*Fig. 13.*) Sic per seriem nubium oriunda fulmina in catenam confluent, & exitum reperient ex annulo *m* prope caput baculi *n*. Huiusmodi fulminum imaginem ac similitudinem arte formare ceppi anno 1749. (*Fig. 10.*) In bene polita tabula vitrea *ABCD* linea sive striga *efgb* ducitur humore, qui ex electro confectus, lacca vocatur. Madida ista liaca tenuissimis bracteis aureis vel argenteis tegitur. Striga aurata, quando induruit, cultero dissectatur, ita ut parvula parallelogramma existant, disiuncta sectionibus subtilissimis. Paratur tabula metallica, cuius oræ *G* & *H* ita incurvatae sunt, ut vitrea tabula in eas commode immitti possit. Metallica tabula vitream complexa ope anularum, quas in superficie postica habet, ex tubo aut baculo metallico suspenditur, cui vis electrica tradi potest. Huic aperitur via in strigam auratam, dum hæc striga uno termino *eg* ad oram tabulæ metallicæ superiorem continuatur, vel fascia ex charta aurata stri-

gæ auratæ superiori termino *i* & oræ tabulæ metallicæ agglutinatur. Reliquæ partes strigæ auratæ ab oris tabulæ metallicæ tantum distare debent, ut ex ea vis electrica in strigam auratam pertingere nequeat. In hac striga excitari potest fulmen artificiale ingens, dispersum per universam strigam. Quo longior hæc est, eo longius fulmen existet. Hinc fulmina excitavi, quorum longitudo duos, quatuor, sex, octo & decem pedes æquavit. Quo longior vero striga est, eo diutius agitanda est machina electricitatis, eoque plures adhibendæ sunt lagenæ vitreæ, aqua & nitro contrito completæ. Ad excitandum fulmen vehementius in striga duos longa pedes, usurpo novem lagenas, quarum conditionem supra descripsi, & rotam machinæ duabus spheris vitreis instructæ circumversari curo ducenties aut trecenties. Connexam cum vase maiore, in quo lagenæ positæ sunt, cateram adiungo clavi *AB* (Fig. 8.), clavisque cavitati *C* infigo lignum rotundum *DE*. Hoc dextra apprehendo, clavemque ea ratione dirigo, ut eius pars rotunda *A*, quæ annulus vocatur, ad strigæ auratæ terminum inferiorem *fb* accedat. Hoc lignum rotundum cum clavi, cui infixum est, voco *instrumentum brontopæum*. Hoc ad strigam auratam adinveo, postquam ducenties aut trecenties, ut dixi, circumversata fuit rota machinæ. Dum vero instrumenti huius annulus prope abest ab aurata striga, per eam universam derepente fulmen exoritur, sonitu aures percussiente. Loco restarum simpliciumque strigarum litteras Alphabeti maiores auratas in tabula vitrea figuravi, v. c. *AR* (Fig. 11.), quæ fulmine artificiali conspicuè redduntur. Hæc fulmina arte adornata satis potentia sunt. Non solum enim oculos & aures luce & sonitu percussunt, sed etiam corium & res metallicas perforant. Corium perforari, casu comperi hoc anno, die 14. Aprilis. (Fig. 9.) In campana vitrea *AB* eo, quem explicui, modo, lineam sive strigam auratam duxeram, ad intimam usque oram campanæ ita continuatam, ut ipsam hanc oram tegetet, ipsique adhereret. Hanc campanam mactido corio in orbe antix pneumaticæ *EGF* imponebam. Aerem educebam, ut corium inter lamel-

lum

Iam auream oræ campanæ adiunctam *D* & orbem antliæ quam validissime comprimeretur. Orbi antliæ annectebatur catena, tangens aquam vasis maioris metallici. In *Instrumento brontopæo* clavis cavitati pro ligno os balænz infigebam, utpote quod electricitatem parum præpagat. Clavis vero *AB* pendebat ex catena adiuncta baculo metallico, quocum vis electrica in lagenis vitreis excitata communicatur. Postquam rota machinæ quadringentes circumversata erat, visque adeo electrica satis commota: infixum cavitati clavis os balænz manu capiebam, *instrumentumque* hoc *brontopæum* strigæ auratæ locum superiorem *C* versus in campana dirigebam. Confestim existerat fulminis ictus, qui corium in loco *D*, ubi inter orbem antliæ & oram campanæ lamella aurata obductam premebatur, præter opinionem perforabat, & foramen faciebat satis apertum. Ora foraminis atrata videbatur quasique ambusta. Animadvertebant hoc primo iuvenes quidam, quibus vim & rationem electricam experimentis declarabam. Mirati hoc, quod nobis inopinatum erat, continuo instituebamus repetitionem. Idem vero reperiebamus. Sæpe multumque postea hoc experimentum instauravi cogniturus, quid accideret materiæ, qua, antequam ictus fulminis exisset, locus foraminum, quorum alia maiora, alia minora sunt, oppletur. Sed nihil unquam reliquum inveni. Sæpius in vitrea campana fissuræ exortæ sunt, iam breviores, iam longiores. Rem tentavi corio sicco & duris membranis pergamentis tenuioribus, quibus libri velluntur. Corium vero aut membranam expando in lævigata tabula metallica. Corio aut membranz huic impono solidum & bene politum cylindrum vitreum. Ex basi cylindri ad dimidiam altitudinem aurea striga in parallelogramma dissecta adscendit. Adhibeo prelum, quo, quantum per cylindrum fieri potest, expansum inter cylindri basin & tabulam metallicam corium comprimo. Tabulæ metallicæ adiungo catenam, ad aquam vasis maioris protensam. Excitari curo virtutem electricam validam & copiosam. Tandem ad strigæ auræ locum, ubi incipere debet fulmen, dirigo *instrumentum brontopæum*.

topæum. Continuo perforat ictus fulminis corium, aut membranam; & in lateribus foraminis signa adustionis relinquit. Ad huius rei experientiam perveni ignarus methodi, qua rerum physicarum doctrina spectatissimus *Nolletius* iam anno superiori usus, effecit experimentis, ut vis electrica chartam perforaverit. *Nolletii* etiam methodus, quam in quinta de Electricitate epistola, pag. 125. descripsit, a mea, quam hic exposui, ratione multum differt. Die 16 Iulii vim fulminis artificialis in foliis seu laminis tenuibus orichalci tentavi. Corium imposui tabulæ metallicæ, corio laminam orichalci, atque huic folium chartaceum. Uno fulminis artificialis ictu, & corium, & lamina, & charta perforata sunt. Quatuordecim orichalci laminas & quidecim folia chartæ ita coaggaavi, ut inter duo quævis folia chartæ interposita esset una lamina orichalci. Huic æggeri cylindrum metallicum seilibræ pondus habentem imposui. Fulmen immissi cylindro. Unica percussione, in singulis orichalci æque ac chartæ foliis, facta sunt quatuor foramina. Vis fulminea, quæ ex nube in pertica *FE* & catena *Fm* oritur *Fig. 13.* inter *m* & *n* erumpet, si vel perticæ vel catenæ nihil sit æque propinquum, ut baculus metallicus *on*. Quod ex doctrina electricitatis manifestum est. Esto enim ditatum electricitate corpus aliquod. Ponamus, adeo validam esse vim eius electricam, ut, si per intervallum unius digiti a corpore electricitatis haud tenace *A* distet, scintillæ prodeant. Ponamus, simile corpus *B* propius admove-ri, ita ut absit per intervallum semidigitale. In hoc intervallo minori scintillæ orientur, quamdiu corpus electricitatis tenax viribus vigeat: in illo autem maiori, aut nullæ existent, aut raro multoque debiliores. Sæpius ex tubo metallico duas sphaeras metallicas suspendi, iisque duas vitreas eius generis, cuius est sphaera, quæ figura 6. exhibetur, supposui, a metallicis æqualibus intervallis distantes. Excitari curavi electricitatem more *Musschenbræckiano*. Prorumpere vidi fulmina, sed alterna. Distantias sphaerarum vitrearum a metallicis inæquales feci. Sed tantum in superficie vicinioris vitreæ fulmina artificialia prodierunt. Ex his sequitur, ut, si averti de-

R

beat

beat fulmen cæleste a loco, ad quem pertinet, in alium definitum, res electricitatis tenax, v. c. pertica & catena *Fm* (*Fig. 13.*) viam fulmini monstrans, uni tantum rei electricitatis non tenaci, quamquam capaci, ut baculo metallico *no*, proxima sit, a ceteris omnibus, quæ in vicinia sunt, longe remotior. Cum ex hoc simul pateat, periculum esse, ne tempestatis fulminæ vim exploraturis ea ratione, qua usi sunt *Richmannus* aliique, similis mors afferatur, excogitavi construique mihi curavi instrumentum *Figura II.* depictum, in quo fulminum cælestium electricitatem extra iactum eorumdem contemplari licet. *AB* & *CD* sunt duo vasa rotunda ex laminis metallicis composita, quæ tympana voco. Operculis superioribus ferrumine adiunctæ sunt columellæ ferreæ, annexæ iugamento metallico *IK*, in cuius medio *H* brachium incurvatum *HG* est, quod columellæ *FE* infigi potest. Media pars tympani est cylindrus cavus, utriusque apertus, qualis in *Figura III.* exhibetur. In hoc cylindro baculus ex osse balænz, ope filorum sericeorum ita suspensus est, ut nusquam cylindrum attingat. Ambo cylindri operimentis adhibito ferrumine ita vestiti sunt, ut, quando in aere pluvio pendent, nihil aquæ nec per operimenta, nec per latera penetrare filaque sericea madefacere valeat. Alteri extremitati cylindrorum itidem ferrumine adiunctum est operculum, quod vero in medio foramen rotundum habet cum affixo annulo *ef*, per quem baculus *ab* prominet. Iste baculus abest a lateribus annuli duos digitos. Ideo adiunctus est annulus, ne vento agitata guttæ pluviales in cylindrum ad fila sericea pertingant. Baculi *ab* parti *b* præfixa est lamina. Tantum autem pars ista prominet, ut hæc lamina, quando electricitatem adipiscitur, eam cum annulo *ef* communicare haud valeat. Præfixis illis in utroque baculo laminis, adiunctæ sunt perforatæ columellæ cum cochleis. Per foramina columellarum traiectus est baculus metallicus *LM*, (*Fig. 2.*) qui ope cochlearum firmatur. In extremitate *L* est tabula metallica ad excipiendas guttas pluviales. In extremitate *M* locum habet columella *po*, quæ huc atque illuc moveri & cochlea firmari potest. Habet hæc columella *po*
cavi-

cavitatem, in qua inest bacillum metallicum cum capite rotundo, quod sursum & deorsum moveri potest, similiterque cochlea firmari. Tympano *CD* bacillum metallicum incurvatum cum rotundo capite *Dn* in situ horizontali affixum est, sub quo columella *po* locum nanciscitur, certo intervallo disiuncta. Hoc instrumentum, cuius constructionem Figura II. significat, si ad fulminis cœlestis observandam electricitatem adhiberi debeat sine periculo, necesse est, ut positum sit sub cœlo, in loco hominibus vacuo, & ab ædificiis satis remoto, sed ita patente, ut spectator e longinquo oculos, vel nudos, vel tubo armatos, ad intervallum inter *n* & *o* convertere valeat. In hoc enim in conspectum prodit ignis electricus, quando baculus *LM* a dispersa per aerem materia fulminis contingitur. Itaque fieri posse intelligimus, ut fulminea vis ab eo, quem contingit, loco avertatur in alium, qui ipsi assignatur. Exploratum enim habemus, vim fulminis esse vim electricam. Qua ratione igitur hæc agit, eadem illam agere patet. Agit vero ea lege vis electrica, ut, si rem ipsius capacem pariter ac tenacem tangat uno termino, protinus ex altero eius prorumpat, si huic ex intervallo certo adsit res electricitatis exfors. Ponamus, per compluria milliaria a loco *F* ad *m* (Fig. 13.) protensam esse catenam suspensamque filis ferreis. Si quis termino *F* admoveat vim electricam: actutum emicabit ignis ex termino *m* ad baculum *n*. Quo fortior est vis electrica, quæ terminum *F* afficit, eo valentior ignis est, quem terminus *m* eiaculatur. Itaque nihil esse videtur, cur dubitemus, fulmen, si catenam eiusmodi ex culmine ædificii protensam contingat, derivatum iri in locum ab ædificio remotum atque paratum. Ex his vero non sequitur hoc, ut ad omnes ictus fulminis tutum sit ædificium, ex quo pertica electricitatis tenax eminet, cui adiuncta est eiusdem conditionis catena. Fulminea vis tantummodo persequitur viam catenæ, si eandem solam contingat. Attamen cum ista pertica & catena illud, quo continguntur, fulmen excipiant atque avertant: animo facile comprehendimus, avertendi fulminis ab universa aliqua domo artificium, poni non debere in iis, quæ

fieri prorsus nequeunt. Fingamus cogitatione, eminere supra ædificii tectum columnas aliquot firmatas in materia, quæ facit, ut positum in ea corpus electricitatem acceptam per aliquod tempus conservare possit. Fingamus porro, istis columnis sustentari tegmen certum, quod ex materia constet electricitatis capace. Tegmen hoc, dum illis columnis innitur, tenax simul est electricitatis. Experimentis abunde cognitum est, huius generis corpus, si uno in loco afficiatur a suscitata aliqua materia electrica, e vestigio penitusque impleri electricitate, quamquam ingentis sit magnitudinis. Idem fieri necesse est in illo tegmine, si uno in loco contingatur a materia fulminea, propterea quod hæc ex lege electricitatis agit. Itaque si eo modo, quem paulo ante descripsi, applicata sit tegmini catena: ex hac eo in loco erumpet ignis fulmineus, ubi offendet corpus electricitatis capax, quale est baculus metallicus *no* (Fig. 13.). Ita patet ratio, qua defendi possit ædificium a fulminibus, quæ tectum eius ex alto petunt. Sed fulmina existunt, quæ oblique lata parietes & fenestras ædificiorum feriunt. Qua ratione hæc avertantur? Haud equidem nego, operosum atque incommodum fore apparatus, quo ista fulmina arceri & deflecti queant in locum definitum. Sed licet in quam plurimis ædificiis applicatu difficillimum esse videatur avertendi fulminis declaratum artificium: nihilominus tamen, cum dentur ædificia, ut habitationes in hortis & tabernacula castrensia, in quibus artificium illud non adeo difficulter adhiberi posset, operæ pretium foret, huius rei experimentum capere. Quod commode fieret, si in loco aliquo inhospito, quem a fulminibus sæpe petitam esse constet, casa exstruatur, & eiusmodi tegumine circumdatur, quod illabenti materię fulmineæ viam monstrat; aut si idem fiat in quercu aliqua, cuius arboris ingenium hoc est, ut præ aliis arboribus fulmine percuti soleat. In loco enim, in quem fulmen deduci debet ex isto tegumine, facile fieri potest eiusmodi apparatus, ut fulmen signa relinquat, ex quibus vim eius tegumen attigisse, ex eoque derivatam esse cognoscatur. Ex his omnibus, facile, quam sit in perve-

stigau-

stigandis rebus Physicis, atque Electricis potissimum, assiduus atque indefessus *Winklerus* V. Cl. Lectores intelligent. Nos ei hanc gloriam, etiam nostræ inprimis Studiorum Universitati honorificam, ex animo gratulamur.

**PHILIPPI BONAMICI DE CLARIS PONTIFICIA-
rum epistolarum scriptoribus, ad Benedictum XIV.
Pont. Max. liber.**

Romæ, ex typographia Palladis. Excudebat Nicolaus & Marcus Palcarini, Præsidum permisso, 1753. 8 mai.

Plag. 21.

Ipsius Pontificis auctoritate labor hicce susceptus fuit. Ra- Pag. 2. 6.
tio proponendi primum est dialogica, inde historica. Indu- 7.
xit autem *Io. Vincentium Lucchesevium* civem suum colloquen-
tem, quem & publica mortuum oratione laudarat, quique De-
mosthenis orationes quasdam e Græco vertit, & historiam ea- 8.
rum scripsit rerum, ætate sua quæ contigerunt. Iunxit illi
Alexandrum Furiettium, & *Caictanum Fortium*, seque; suavio-
res omnino collocutores, ni, rem omnem fictam esse, præ se
ferret auctor. Præcepta epistolis pontificum scribendis, egre-
gia sunt, & magno cum iudicio exposita. Considerantur 47.
in primis propriæ pontificum, quas, antea dispersas, collegit
primus omnium *Dionysius Exiguus*, hinc *Antonius* purpura- 48.
tus *Caraffa*, tum *Antonius Aquinas*, cui se debere plurimum
Baronius profitetur, postremo *Petrus Constantius*, Benedicti-
nus, qui producere laboravit ad *Innocentium* usque III. Ta-
les epistolæ sunt duplicis generis, aliæ *bullatæ*, *breves* aliæ.
Brevium aliæ, summis de rebus, a pontifice scribuntur ad
reges & principes, aliæ veluti *diplomata* sunt, quibus con-
signantur beneficia pontificum. Illæ quidem elegantius
quoddam scribendi genus retinuerunt, hæ minus cultum,
immo horridum: propterea, quod certis quibusdam formulis
continentur, quas conditio temporum invexit, & consuetudo 49.
sic amplectitur, ut iam, nec improbari sine quadam temerita- 52.
tia nota, nec mutari sine multorum querela, possint. Latinus
autem

- autem sermo tam est ibi necessarius, ut pontifex Romanus oratores aliam principum, nisi Latine loquentes, non audiret, & episcoporum epistolas non Latine scriptas repudiaret. Sed hic adfectatio cavenda. Ineptus enim *Aonius Palearius*, cetera luculentus Latinitatis auctor, qui, quo numerosior caderet oratio, invocandos esse Deos immortales, non Deum censuit. Copiosissimi Ciceronis ieiunus imitator, *Longolius*, qui, dum colorem quaerit alienum, sanguineum etiam, si quem habet, deperdit suum. *Iulius vero Scaliger* perridiculus, qui totis concidit voluminibus *Erasmum*, hominem non iaelegantem optimeque meritum de litteris, hanc unam ob causam, quod servilem *Ciceronis* imitationem irriserit facete. *Bembi* quidem miratur noster elegantiam & eloquentiam principe dignam: improbat autem errorem, quo de *diis immortalibus deve Lauretana dea* loquatur. Commendatas autem videmus *Leonis I. Felicis III. Gelasii I. Symmaci*, & reliquorum eius aetatis pontificum epistolas, in quibus multa de religionis mysteriis, de legibus divinis, de moribus, conscripta sunt apte, subtiliter, dilucide. Quem etiam ad modum epistolae *Gregorii I.* magna & admirabili refertae sint varietate copiarum rerum: qui quidem primus fuerit epistolarum pontificiarum, *Pelagio II. sedente*, scriptor. *Hieronymum & Prosperum Aquitanicum* eiusmodi munere functos esse, suspicari magis possumus, quam confirmare. In epistolis *Damasci* nihil inelle videtur impetus illius concitatoris, eminentis in *Hieronymo*: nec idem est *Prosperi* filius & *Leonis I.* Nam *Prosper* utitur oratione tenui pressaque; satis tamen virium habens ad discernendum: *Leonis* sermo grandis est & explicatus late, quaesitaque verborum collocatione numerosus, & ob eam ipsam causam nimis interdum redundans. Solus ergo mentionem *Gregorius* meretur, qui Christianae publicaeque rei peritissimus, scribendi gravitatem & moralium sententiarum crebritatem adhibuit. Lucet eadem in epistolis maxime, quas tenuissima valetudine, amplius octingentas scripsit. Nullus tamen apud hunc flos sinceræ latinitatis, nec lumen ullum artis reconditioris, quam vel contemnitur, sprete veterum lectione,
- vel

vel non potuisse consequi, vitio temporum impeditus. Multae translationes & longae, eoque minus aptae; verborum item ambitus, non delectus, ut cum legas, numerus quidam Latinus non desit, sed certe elegantia. Diu post ab *Urbano V.* scriptor epistolarum evocabatur *Colutus Sahuatus*, cuius a scriptis quamquam absit perfecta veterum imitatio, quae multis annis post increbuit, non tamen abest perspicuitas, non eruditio, non conatus etiam quidam elegantiae. *Theodorus Nipponus Bonifacii IX.* familiaris & scriptor epistolarum, durus fuit, incultus, horridus, verbis atque sententiis, acerbis praeterea, criminosis, & in illo pontificum dissidio, partibus iratus etiam iis, quas sequebatur. *Poggius Bracciolinus* genus scribendi suum, in quo satis est vitium & facetiarum, verbis interdum non satis Latinis, neque splendidis, infuscare videtur. *Leonardus Aretinus* scriptor fuit temporibus illis sat bonus & copiosus, quamquam eo, quo ceteri illius aetatis, vitio, ut fueret interdum lutulentus. *Aeneas Sylvius* ita scripsit, ut appareat eruditio summa, mediocri elegantia. Temporibus iisdem in *Petro Candido Decembrio*, maior elegantia fortasse, certe vis minor, numerus nullus, scribendi labor infinitus, cum Libros CXXVII. aut ipse scriptitaverit, aut e Graeco transtulerit. *Georgius Trapezuntius*, de quo tam praclare, quadam in epistola, *Franciscus Barbarus* scribit, in quo laudatur a *Barbaro*, verius a *Petavio* vituperatur: Graecos, quos Latinos reddidit, mire depravavit, & fuit, ut vita, sic oratione turbulentus. *Iacobus Ammanatus*, Lucensis, scripsit epistolas sane plurimas, commentarios temporum suorum, nonnulla quoque carmina, quamquam in his plus est argutiarum quam elegantiae. Nostro maxime placet, vel minime displicet, eius in epistolis oratio plena senatoriae libertatis, quae toto fere genere verborum Latina, sed fractis & sententiosis adstricta circuitionibus, nervis abundat, mollitudine caret. *Iacobus Sadoletus*, collega *Bembi* & amicus, plurimam exhibet doctrinam, vim ingenii summam, scribendi vero modum, si non ita limatum & nitidum, amplum satis & copiosum, in soluto ligatoque sermone non mediocri. Etiam aliqua laus utriusque fuit

Pag. 73.

81.

82.

83.

84.

86.

91.

92.

93.

97.

108.

114.

- fuit in *Bernardino Maffeo*, cuius carmina sunt aliquot & epistolæ, pari elegantia conscripta. Fuit præterea rei publicæ guarus, antiquitatis peritus, optunis quibusque studiis deditus, in epistolis *Pauli III* conscribendis versatus, purpuram accepit.
120. *Antonius Buccapadulus*, vir integer, sed non tam ingeniosus scriptor, quam industrius imitator. Quas enim nomine pontificum scripsit, epistolæ, formam aliquam imitationis perfectioris, & quædam optimorum auctorum tamquam lineamenta servant. *Silvius Antonianus* Clementis VIII. scripsit epistolas sic, ut *Bembis* & *Sadoletis* par dignitate fieret, neque scribendi laude videretur inferior. In epistolis pontificiis nec sic adscivit orationis ornatum, ut *Bembus*; sed medium quoddam tenuit felix. *Lanfrancus Margottius*, *Paulo V.* carus, solers magis in agendo, quam in scribendo præstans, dilucidus tamen, & cum Italico scriberet, etiam probatus. *Scripto Cobellatius*, bene Latine scribens, amicus *Sirmondi*, a quo per litteras non inelegantes flagitat, ut scribat aliquid de formulis epistolarum pontificiarum. *Robertus Ubaldinus* Leonis XI. sororis filius, in cuius epistolis elegantia, gravitas, & pontificia quædam auctoritas. Maiestatem eiusmodi pervertere, furiosa quadam loquacitate fuit aulus *Io. Ciampolus*, scriptor ventosissimus, *Lipfi* limia. *Franciscus Herrera*, *Ligur*, & *Decius Azzolinus*, *Picenus*, saniores fuerunt & antiquorum similes. Alter elegantior, placidus, ut moribus erat, oratione fluit: alter callidior in eo scribendi genere laboravit, quod est prudens, acutum, & accommodatius aulæ. Sed *Innocentius XI.* scriptorum horum collegium antiquissimum sustulit. Nec omnino tamen defuerunt singulares eiusmodi scriptores. Restat in iis *Carolus Maiella*, *Neapolitanus*, quem *Clemens XI.* Romam invitavit, & *Benedictus XIII.* epistolis scribendis adhibuit. Stilus ei rotundus, splendidus, perfacile currens, nec aberat gravitas, vis, succus. Sunt qui maiorem in verbis Latinitatis diligentiam requirant; nam multa neglecta, sive potius consilio quodam adhibita, quod iis ferviret, quibus nullâ satis sacra videretur oratio, ni barbara simul & abiecta foret. Nihilominus quidam ipsi vitio dedere, quod nimis
- Latine

Latine scriberet. Nec tacendus est, qui primariam in hoc dialogo personam sustinet, *Io. Vincentius*. Hic ob assiduam historię tractationem, in qua sibi *Thucydidem* ad imitandum proposuerat, genere fuit imbutus aspero, compresso, & quo vix in epistolis uti liceret: sed tunc Ciceroni se dedit totum, unde genus arripiebat grave, perspicuum, sedatum, quod in *Ciceronianis* illis epistolis dominatur. Criticam eam tractationem, dialogo finita, sequitur historica, secundum ordinem temporum, omnes pontificiarum epistolarum scriptores enarrans; & vel epistolas quasdam inferens speciminis ergo, vel ipsorum scriptorum sepulcralia monumenta confirmationis gratia. Incipit ab *Hieronymo*, finit in *Lucchesino*. Sub finem index necitur pontificum, & quos habuerunt, secretariorum, perquam accuratus. Inter epistolas insertas, sunt *Leonardi Aretini* ad *Martinum V.* *Ubalдини Bandinellii* ad *Petrum Bembum*; *Jacobi Sadoleti*, *Pauli Sadoleti* ad *Dandinum* purpuratum, Italico sermone; *Io. Fr. Bini* ad *Trivuleium* purpuratum, eodem; *Iulii Pogiani* ad *Paul. Manutium*, aliterque. Liber in universum bonę frugis plenissimus est, quem nos a capite ad calcem ea aviditate, ea cum voluptate pellegimus, qua omnes eos solemus, qui sunt magno ingenio & iudicio, & quidem latinissime, scripti. Equis autem credat, hunc librum, tam elegantem, tam ipsis Pontificibus honorificum, tamen *Bened. XIV.* displicuisse? quod omnino accidisse scimus, propterea, quod pag. 147. de S. Hieronymo ita scripsit Bonamicus: „*Damasi Pontificis Secretarium fuisse Hieronymum, plerique existimant; idque maxime conficiunt ex Epistola II. in qua scriptum reliquit: ante annos plurimos, quum in chartis Ecclesiasticis iuvarem Damasum, Romanae urbis Episcopum, & Orientis & Occidentis consultationibus responderem. Hoc autem ad aliquam coniecturam faciendam pertinere, non ad perspicuitatem vel evidentiam rei, dicimus. Tanta enim est inscribendo dissimilitudo Hieronymi cum Damaso, ut huius illum studiorum adiutorem potius, quam scriptorem epistolarum fuisse arguamus. Charta enim Ecclesiastica significare videntur divinas literas, quum Hieronymum peritissimum fuisse nemo ignorat.*“

Pag. 139.

142.

143.

160. 201.

225. 242.

246.

258.

10. IACOBI REISKE AD EURIPIDAM ET ARISTOPHANEM, *Animadversiones.*

Lipsiæ, in officina Gleditschiana, 1754. 8.

plag. 14.

Pergit, qua coepit, Cl. Auctor de Græcis scriptoribus, si quisquam alius, bene mereri. Quibus cum studiis ipsa natura conuinctus, existimat præclare posse agi, si quibus multum adolescens tribuisset, mediam ætatem fere totam tradidisset, sua disciplina doctrinaque culta litteris mandata quotannis redderet. Atque his quidem commentariis, perpetua aliqua & superioribus consentanea ratione effictis, quæ olim stilo præceperat, complexus est. Et veri profecto simile videtur, nostro par poetarum satius componi non potuisse. Atticum comicum illum quidem, ab omnibus pæne gratis obsessum non dubitat confirmare, quin, si quid sentiamus, honestissime ineunte ætate non leclitarit, sed totum fere imbiberit. In quo quamvis non nunc inuis atque olim, ingenium ad iocos facetissimos, non edendos, neque effundendos, sed fulmine rapidius vibrandos, erectum suspiciat, quod tantum ipsi videtur, quantum in homine nato unquam fuit aut futurum est; eo tamen in genere nunc tandem verum intelligit, ingenii perpetuam comitem iudicium non esse. Quis enim paulo est humanior, quin fere ubivis aculeos illos tam gratos requirat? quis, quem ieiuni & frigidi ludi, & puerilis levitatis indignæve censoria gravitate, haud pigeat? Euripidæ æque minus censemus obscuras laudes alibi ab Auctore illustratas ac similitates, quæ comicum & tragicum intercesserunt, ut ille alterum per omnes pæne fabulas exagitaret. Est enim peccati eius descriptio duplex, quarum altera eo pertinet, quod decorum illud personarum, cuius unicuique partes natura imponit, fortuito inconsiderateque omittat. Altera ex rerum gestarum confusione proficiscitur, quas locis & temporibus longe distas, eandem in scenam eiiciat, in fabulis autem collocandis a subtili illo & circumsperto iudicio, quod Aristoteles a dramatica oratione abesse posse negat, longe abhorreat. Quam
ip̄

ipsi Auctor causam dudum iam est, quod publice dixerit, declaratis in Hecuba sola, adversus præcepta Aristotelica, decem peccatis. Neque una est fabularum Euripidæ, cuius hæc eo in genere non sint vitia, quæ quidem culpa neque Sophoclez, neque Aristophanez, neque omnium omnino veterum dramatici liberantur. Accedit in Euripide oratio ad obscuritatem brevis, abrupta, solæca, dura, interdum ad nauseam eadem inculcans. Chori aliena & ampullas iactitant, aut Loxia digna vaticinantur, quæ certissimum est, neque scriptorem, neque veteres ipsos, satius atque nos intellexisse. Ex quo Euripidam constat numeros perfecti tragici non absolvere, quam in rem ne operam quidem dedisse, sed satis cum suæ voluntati, tum seculi sui studiis & moribus fecisse, quod ab illa Aristotelici dramatis severitate valde alienum fuerit, auctor est Cl. Reiske. Quocirca nemini censemus fore dubium, quin quæ grandi sæpe & liberali natura sinu effudit, habeant in se quidquam admistum, dispar sui & dissimile. Sed hæc hominis vitia sunt, non tragici, quæ habent tamen aliquid exultationis, non illius quidem nullæ, sed quæ probari posse videatur. Veniant, cedimus, irrisores Euripidæ orationis, & iam vel ipsi iudicent, utrum se huius aliquo lumine, imo tonitru & flumine orationis, sui que amore & admiratione, magna cum voluptate non impletos, sed abreptos pati malint; an quæ tandem spe freti obsistere illi possint. Contra multa arte quæsitæ, si præclare cum iis agitur, ad se convertunt & rapiunt, consequi non valent. Quodli denique æquo consentaneum est, malitiosus illos officiorum esse ratiocinatores, qui si digitum obtuleris, manum malint: Euripidæ iniuriam inferunt, quem quod unice voluerit cæcus suos sapientiæ præceptis emollire & honesto acroamate oblectare, nihil habent, quod incuseat, præter unum, quod si dedisset, cuncti confessus plausus resonasset nullus. Sed quorsum hæc? & quid nos veteres? ad nos ipsos revertamur, si forte aliquando tandem intellegatur, intra illum & extra peccari, atque si non tollendæ culpæ, verum minuendæ venia digna esse, quæ hæc in causa Cl. Auctor acute & eleganter disputavit. Usus autem est in recensendis Euripideis

libris editione Brubachiana vel Seceriana: nam eadem est. Cuius etsi fontes nesciat, an exacte ad Aldinam, quæ in pronuntio non fuit, expressa sit, lectionum tamen præstantiam celebrat, quas recentiores editores omisisse, satis mirari non potest. Animadversionum vis & ratio in eo cernitur, quod lecta, a Barnesio illo vel aliis temere negligenterque sollicitas, vitia orationis vel vulgatæ lectionis, sæpe ficta, vindicent, violatam lect. *περὶ βελήμων, ἀπερὸ δίουσα*, & denique orationem ubivis contortam, abruptam & ambiguam *ἐβελίζωσι*, ad veteres, eosque probatos libros, ceterisque criticæ artis opibus sanent & interpretentur, ac tandem duriorum loquendi formarum & vocum rationem explicent. Atque ut brevi præcidamus, ipse prodeat Cl. Auctor, causamque honestissimam oret. Lumbos porrigite & extollite, spectatores. Ad Eurip. Hecub. v. 518 *περὶ βελήμων δάκρυα* hic loci est *prostrare, allicere*; non quod alias vi linguæ Græcæ deberet significare, *compendisfacere lacrymas*, superfedere lacrymis. Respondet Arabicum *ΠΡΩΞΗΝ & ΔΩΞΗΝ comparare, producere*, proprie *unguibus ad se trahere*; deinde ampliatio usu, *lucrifacere*; ad Alcest. v. 259. *Φυλλάδας καὶ αἰσιφῶς folia*, quibus caput cingitur & tegitur. Inter v. 262. & 263. interferendi sunt tres versus, qui ex editione Herwagiana prima, puto, deinde e Canteriana exciderunt, & ad illarum exemplum a reliquis deinceps omnibus exulant. Habeo illos ex editione Brubachiana, quam comicio ad Aldinam (ea enim careo) expressam fuisse. Mireris igitur, qui errorem non animadverterit Barnesius, qui tamen Aldinam passim a se inspectam citat. Sunt autem illi, quos dixi, versus hi tres:

*Τῶν συγγενῶν δ' αἰδῆσθαι δάκρυα χρεῖν.
Τοῖς δ' παθῶσιν ἀξί' ἀμύμην εἰσεθεῖς.
Ἢ γὰρ τεκῶσα σ' εἰς μητῆρ Πυθίως.*

Sic iacent hi versus in edit. Brubach, sed transponendi hunc in modum: *ὡς ἄδὲν ἡμῖν — τοῖς δ' παθῶσιν — τῶν συγγενῶν — ἢ γὰρ τεκῶσα — ὅς Πύλοπος —*. Ultima syllaba in *αἰδῆσθαι* corripitur, quia *αι* & *ει* ancipites sunt. Ad Aristoph. Nub.

Nub. v. 276. *δρῶσθαι* & *ἐναίγηται*, nisi malis *Φανερὰ* sumere pro *Φαινῶσθαι*, *ἐκΦαινῶσθαι*, *δουκῶσθαι*. Possit huc trahi illud Aelian. H. A. I, 24. de vipera: *τίμη ἢ κῶα, ἀλλὰ βρέφη, καὶ ἐστὶν ἔνεργα*, (id est, *ἐνεργῆσα, ἐς ἔργον καθιστάσα, vel ἄγοῖσα*.) ἤδη τ. α. Φ τ. κ. Quamvis obloqui nolim, si quis κατὰ subintellegere velit.

DISSERTATION SUR LES PRINCIPALES TRAGÉDIES, &c.

i. e.

DISSERTATIO IN PRIMARIAS TRAGOEDIAS antiquiores ac recentiores, *Electrae* titulum habentes; ac singulatim in *Sophocleam*. Auctore DU MOLARD.

Londini, 1750, 8. min.

Plag. 34.

Præclarissimus *Molardus*, diversis Societatibus litterariis apud Gallos, ut & regis Berolinensium, adscriptus, eximium eruditionis suæ specimen, istas observationes poeticas & criticas, publicæ donavit luci. Non solum Græci, sed etiam Latini, celebre tragœdiarum argumentum habuerunt, *Electram*. Ostendit illud *Virgilius: Aut Agamemnonius*, canens, *scenis agitatus Orestes*. In lingua Gallica *Baifus* sibi primus eandem materiam legit; aut potius *Sophoclis Electram* convertit. *Electra Longopetri* anno seculari scripta, non ante seculi duodevicesimum publice edita fuit. Interea *Crebillontus* quoque suam edidit *Electram*. In Belgio *L. B. de Walef* *Electra* comparuit, donec tandem *Orestem* publicavit *Voltaire*. Inter Italos *Erasmo di Valuasone* convertit *Electram Sophocleam*, *Ruscellai* vero tragœdiam *Orestis* nomine consignavit, quam theatrum Italicum *Marchionis Maffei* continet, editum Veronæ 1723. Tales elaborationes examinans noster, opus suum tres in partes divisit. In prima rationes perquirat, cur *Electra Sophocleæ* similis argumenti præ tragœdiis *Euripidis* & *Aeschylis* prærogativa debeat, in altera partium a studiis

Pag. 2.

3.

- liberum examen Orestis recentioris proficitur, in extrema difficultates ostendit, prout iam sunt temporum conditiones, virtutem semper quam accuratissime, quod ad illud argumentum sistendum attinet, servandi. Nobis quidem primaria pars est, qua Sophoclis *Electra* iustis evehitur laudibus, animosque movere, lacrimas excitare, totius posteritatis consensu prerogativam mereri, non tam dicitur, quam probatur. Celebrantur fabula bene constituta, expositio clara, nobilis, plena, loci, temporis, actionis unitas, sapiens versandi ratio, mores aut characteres veri ac semper æquales. *Electrae* furor & constantia, *Chrysothemidos* amabilitas, *Orestis* sapientia, *Clitemnestrae* verlutia, manent semper ac perseverant eodem loco. Nodum ipsum simplicem inter artificia lucubrationis maxima refert *Molardus*. Nec movet ipsum obiectio, quod gustus ille delicatus ac tener, quem deinceps obtinuerit tragœdia, desideretur apud Sophoclem: cum delicias istas minutas haud curarit animus eminentis & ad finem semper accelerans suum. Ludorum Pythicorum, quibus *Orestes* dicitur necatus, fufior illa descriptio, potius heroicum carmen, quam tragœdiam spirans, pariter non tam excusationes quam laudem meretur, si, quam infano propemodum amore, tales ad ludos natio Græca ferebatur, consideres. Crimen Orestis ad Deos refertur, qui nos homines quasi pilas habent. Quodsi etiam condemnassent *Orestem* Græci, laudibus nihilo minus cumulassent poetam. Ceterum omnes tragicos ad modum philosophiæ Stoicæ locutos fuisse patebit. Non autem per se modo laudari meretur illa tragœdia: sed etiam cum Euripidis & Aeschyli, re vera plenis elegantiarum, si comparaveris, cum & calliditas & institutio tragœdiæ Sophocleæ sint meliores, & rationi convenientiores, quam illorum. Apud Euripidem *Electra* fingitur homini nupta vilioris conditionis, cuius in suburbio domus fortunæ conveniens ad quam panditur scena, vel inde non magnifica satis. Hicce maritus *Electrae* tragœdiam aperit longiore *μολογία*, proponens argumentum quasi prologum, quod vitium omnibus propemodum in scenis primis tragœdiarum *Euripidis* offensum, eius expositiones plerumque frigidas efficit ac parum colligatas cum ipsa tractatione. Ser-

mones etiam Electrae fratrisque de ratione matris occisae, quae fere non procedit in scenam, quam ut ibi necetur, nostro si- Pag. 16. seq.
 militer multo videtur atrocior, quam scena *Sophoclis*, ante lau-
 data. Simili iudicio subiicitur Aeschyli fabula. Primarium 18.
 autem meritum Sophoclis, quod cultum & laudes æqualium
 atque posteritatis illi comparavit, inque posterum, donec suis
 litteris Græcis erit honos, vindicabit, est nobilitas & harmo-
 nia dictionis. Licet Euripides aliquanto sit eminentior me-
 ditationibus & pulcritudine: Sophocles nihilo minus grandita-
 te, maiestate, stili puritate harmoniaque præstat. Hoc ipsum
 est, quod sapiens atque iudicii plenus Abbas *du Bos* poësin sti- 19.
 li nominat. Eadem *Sophocli* cognomen *apis* dedit, ac vicies
 ter victoriam de sui temporis poetis attribuit. Ipsius victoria-
 rum ultima, vita stetit, per stuporem & improvisum gaudium
 indidem haustum: sic ut dici queat, in sinu victoriarum ipsum
 obiisse. Profecto picturae, præstansque facultas imagines for-
 mendi, stilo significata, sine quibus in languorem decidit versus,
 sustinebunt *Homerum* ac *Sophoclem* omnia per tempora, sem-
 perque deliciis cumulabunt amatores linguæ, qua lucubrati-
 ones suas summi illi viri lucubrarunt: prout contrarium vi-
 tium puellam *Capellani* & *Clodovæum Desmaretsii*, generali 20.
 consensu, reiecit. Illa duo sunt epica poemata, inquit Abbas
du Bos, quorum constitutio moresque incomparabilem emi-
 nentiam habent præ duabus tragiæ, *le Cid*, & *Pompeii*;
 neque minus historiarum Gallicarum momenta plus attrahunt Gallos,
 quam Hispanicæ vel Aegyptiacæ: soli dictionis poeticæ defe-
 ctui contentus ille tribuendus est. Altera parte demonstratur, 21.
 quod Auctor tragiæ Orestis, imitatus sit eatenus *Sophoclem*,
 quatenus recentiorum consuetudines ac mores permittunt, &
 quatenus imitatio sana progredi debet. Eodem pertinet, quod 24.
 Clytemnestrae characterem, *Euripideæ* Clytemnestrae genio
 temperavit: & Agamemnonis mortem narrans, *Aeschylum* sit 28.
 imitatus. Ipsa expositio tragiæ tam est plena, quam id
 quidem desiderari potest: in primis ubi consideramus, veram 35.
 tragiæ non consistere in sententiis, aut disputationibus
 amœnis, sed in actione *παθητικῆ, δραματικῆ, φοβερῆ*. Conclu- 37.
 dit

- dit inde noster, quod res publica litteraria multum debeat Auctori, qui resuscitet antiquitatem, omni nobilitate, magnitudine, robore, instinctu naturæ, sine levitatum, miserorum
- Pag. 39. stratagematum & amatoriorum admittione. Tertia pars maxime sistit defectus, quibus implicantur, qui non accurate premunt antiquiorum vestigia. Occasionem Electra Crebilloniana dedit, cuius Auctor iniuriis in præfatione cum veteres omnes, tum Sophoclem singulatim; se quoslibet antiquiorum superasse iudicans, hinc optimo iure vituperatus a *Molardo*.
41. Nimirum is sapius est frigidior, absurdus, harmoniam negligens, quæ *Homeri* ac *Sophoclis* exemplo, veram poësis naturam fere constituit: ut adeo sui contemptum quam maxime vindicet
48. antiquitas. Accusat noster eiusmodi vitia plurimis in Gallorum tragicis; ubi rarius aliquot versus consequantur, quibus non
49. stili aut rerum aliquod vitium insit. Secus ill. *Racinius*; qui ad operam, cui leviores illi poëtae temerariis ausibus parcent, immensam, adiunxit insignem cognitionem tragædiæ Græcæ, studium perpetuum elegantiarum illius, ut & patriæ linguæ: præterea consulebat iudices præsertim severos, sapientes, celebres, sinceros: denique spoliis antiquitatis æque ac *Despauterius* superbiebat, & ad eorum normam dictionem accommodabat suam. Illi sunt gradus, quibus hic adscendit, quibus & alii enitentur, ad immortalitatem.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno MDCCLV.

Pars II.

HISTORIA REI LITTERARIÆ ORDINIS S. BENEDICTI, in IV Partes distributa. Opus eruditorum votis diu expetitum, ad perfectam Historiæ Benedictinæ cognitionem summe necessarium, & universim omnibus bonarum artium cultoribus non utile minus, quam scitu lætæque iucundum, a R. P. MAGNOALDO ZIEGELBAUER, Ord. S. Bened. Presbytero, Theologo & Historiographo, ichnographice adumbratum, recensuit, auxit, iurisque publici fecit R. P. OLIVERIUS LEGIPONTIUS, eiusdem instituti ad S. Martin. Cœnobita, SS. Theol. Licentiat. & Profess. emeritus, Societ. Litterar. Germ. Bened. Promotor & Secretarius.

Aug. Vindel. & Herbipoli, sumtibus Mart. Veith, Bibliopolæ, 1754. in folio.

Pars I. Alph. 8. Pars II. Alph. 6 $\frac{1}{2}$. Pars III. Alph. 8.
Pars IV. Alph. 8. plag. 8.

Est omnino, cur sibi impense de hoc opere gratuletur D. Benedicti familia. Nam, cum illa iam diu, nemine refragante, hominum sanctorum atque divinorum, (quos quidem tales pronuntiarunt Romani Pontifices,) copia, ceteras omnes sacras Ecclesiæ suæ societates vicisse cen-
T lea-

featur: tum, hac imprimis *Historia*, clarissimum efficitur, Benedictinos eruditionis etiam laude, doctorumque virorum, qui ex sinu suo prodire, numero, tantum reliquos inter Ordines, si ab uno Iesuitarum discesseris, eminere,

quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Quamvis enim id nemini adhuc obscurum esse potuerit, in eoque declarando Benedictini ipsi non illaudabilem posuerint operam: tamen, qui res eorum litterarias, observato temporis ordine, habitaque scientiarum ratione, plene atque accurate describere esset aggressus, nullus ad hæc usque tempora existit. Quo magis opportunum & eruditorum calculo dignum, subierunt laborem diligentissimi operis istius, quod Lecturis inspiciendum damus, architecti. Horum alter (*Legipontium* volumus) superest adhuc, & Augustæ Vindelicorum spontaneum, nisi fallimur, agit exulem; eiusdemque honestissimæ machinationes, optima quæque litteris pollicentur; alter, *Ziegelbauerus*, rebus nuper humanis, immatura morte, ereptus est: cuius memoriam conservari par est in republica litteraria, ob prolixam illam, efficacem etiam, quæ in Viro fuit, bene de Ordine suo atque adeo de doctis omnibus, merendi voluntatem. Faciemus itaque & operæ pretium, & rem lectoribus gratam, si de vita eius & scriptis, quæ memoranda videntur, strictim exposuerimus. Præterea respici hæc narratio, tamquam historię litterarię Benedictinę, de qua mox edidderimus, particula poterit. Ac in eo adiuvamur *Elogio Magnoladi Ziegelbaueri*, quod Cl. *Legipontius* in limine operis collocavit, eoque maiori fide contextum credimus, quo arctiorem Duumviri isti, dum fata sinebant, amicitiam fovērunt & familiaritatem. Editus igitur in hanc lucem fuit *Ziegelbauerus* noster A. 1689. in Elwangenſi, Sœvię & Diœceſeos Auguſtanę, oppido. Anno Seculi, quod vivimus, septimo, nomen Ordini S. Benedicti dedit; idque actum est in Imperiali ad duplex aquas, *Zwiefalt* vulgo, monasterio. Tum A. 1713. presbyter, sacro ritu, Constantiæ constitutus est: quo in oppido, primum quoque ingenii ac doctrinę fructum, honori

B. V.

B. V. Mariæ dicatum, A. 1720. typis exscriptum, vulgavit. Verum, quo minus diutius ibidem commoraretur, domesticæ obliterunt similitudines. Itaque in Divitem Augiam se contulit, totusque vacavit studiis & occupationibus litterariis. Non multo post Vindobonam delatus, summa cura atque solertia, præstantissimis illis usus est bibliothecis, quibus urbs, toto orbe celebrata, exsplendescit. His fultus adminiculis, commentationem de vexillo S. Georgii Equitis, Acta item S. Stephani Protomartyris, edidit. Atque heic loci primam etiam scribendæ historiæ litterariæ Benedictinæ cogitationem & consilium suscepit. Cui molimini, at quam arduo, quam vasto! cum se parem exsequendo non futurum cerneret, adscivit, sapienti delectu, in societatem laboris Cl. Legipontium. Egit etiam cum eruditis aliis, (in quibus Calmetus præcipue commemorandus est,) ut sibi suppetias, si quas ferre possent, ne denegarent. Sed plerorumque auxilium, præpottero imploravit successu. Nihilo tamen lægnius ipse proposito suo instat; ac A. 1737. *Conspectum operis* publico doctorum submitit iudicio, quem A. 1738. *Pars prima* consequuta est. Ita dum universi Ordinis sui famæ consultum ir, insignem vias est sibi adeptus esse occasionem, omnibus testatum faciendi, quæquam existimatio singulorum Benedictinorum sibi curæ cordique sit. Recudi tum, egregio instituto curaverat, *Adami Adami*, hominis Benedictini, relationem de Pace Westphalica, Illustris G. de Meyern: quæ editio cum Ziegelbaucro non uno ex capite, displiceret, nata hinc sunt *Emblemata Meyeri*, quæ ille A. 1739. luci exposuit. Ex hoc autem tempore non cognita tantum est, sed agnita etiam Nostri doctrina, assiduitas ac prudentia, a viris eximia in dignitate constitutis. Nam A. 1740. Reverendissimus Brzeunoviensis, quod est in Bohemia, *Monasterii Benedictini Abbas*, ad se illum accivit, cuius opera in pertexenda dicti cœnobii historia uteretur. Quo munere quam præclare sit defunctus, docuimus alibi, cum eius *Epitomen historicam regis, liberi, exenti, in regno Bobemia, antiquissimi Monasterii Breunoviensis, commendare-*

mus. * Sed noster non satis habuit, scriptis ornare Ordinem suum ac prodesse eruditis: ore etiam & institutione docta voluit. Itaque eidem, quem modo diximus, Præsuli, simul & Illustrissimo Comiti Kinskyo, Bohemiae Cancellario, consilia & operas suas in constituendo Prægæ Collegio Academico, nobilium iuvenum commodis destinato, & PP. Benedictinorum cura regendo, offert. Quod illis ita exoptatum accidit, ut sine mora, de convocandis ex laudata societate doctoribus, essent solliciti. Erat in his, præter *Ziegelbauerum*, *Legipontius*, *Weissus*, alii; iam consultationes ea de re instituerant; fueratque hoc propositum felices sortituros successus; ni bellum intercessisset, quod cum omnem Germaniam nostram conturbaret, & in herba, ut aiunt, consilium istud suffocavit: forte, quia invita susceptum erat Minerva. Non multo post Societas Incognitorum Olo-mucii coaluit, auctore & præside Illustri Viro, *L. B. de Petrasch*, multo excepta orbis eruditi plausa. Quæ cum *Ziegelbaueri* nostri doctrinam atque diligentiam intueretur, non vidit, cui maiori iure Secretarii sui munus deferret. Itaque hoc illi delatum est A. 1747. & summa postea integritate studioque ab eo gestum. Proficiscenti ad Academiam illam laudato Ill. *de Petrasch*, comitem se iunxit; cuius favorem & munificentiam, multis, sequenti tempore, documentis expertus est. Certe illo procurante A. 1750. *Centifolium Camaldulense* Nostri Venetiis excusum est: a quo opere recensendo recentes adeo sumus. ** Verum hic finis, hæc meta laborum *Ziegelbaueri* fuit: non quod ipse, quo nemo unquam laboriosior, illos refugeret; sed quia homines, quorum intererat, calamo illius otium fieri, omni cura providerunt, ne improbo voto exciderent. Summa rei hæc est: Meditabatur noster scriptiunculam quamdam, quæ, si in lucem publi-

* Vid. Supplementa ad Nova Acta Erudit. Tom. VII. Sect. XI. pag. 481. seqq.

** Vide hæc nostra Acta A. 1754. pag. 639. seqq.

blicam evasisset, omnium ipsius operum (ita nos quidem arbitramur) futurum erat utilissimum. Iudicamus istud ex inscriptione libelli, quam nobis servavit Cl. *Legipontius*; estque, quæ sequitur: *Febris Ambrosiana Cleri Olomucensis, huiusque curanda necessitas maxima, summo Pontifici proposita, additis quibusdam abusus in eadem diœcesi grassantibus.* Digorri, quod ab aliis alibi quoque tractetur, argumentum! Sed *Ziegelbauerus* ipse, contra votum & meritum, huic *Febrî* mortem suam debuit. Nam cum, suadente medico, pulvere quodam, sanitatis causa, uteretur; hic ipsi usque adeo existit lethalis, ut sequenti statim die, (qui fuit XIV. Junii, A. 1750.) violentis correptus doloribus, supremam auram expiraret. Scripta viri potiora tantum nominavimus: omissis præcipue iis, quæ non ab homine docto, sed a monacho profecta videntur. Reliquit tamen, pro indefesso, quo excellibat, litteras iuvandi studio, opera nonnulla, ad umbilicum fere perducta, magnæ molis, nec minoris utilitatis. Horum præcipua sunt: *Olomucium sacrum, Bibliotheca Bobemica, Rabani Mauri Anecdota.* Nihil hic, præter votum, addimus, ut plures *Ziegelbaueri* pares, ordini Benedictino sodales contingant!

Iam de operis ipsius, quod est ante oculos, illustris profecto & luculenti, structura ac materia dicemus. Perplacet hoc in eo, quod omne illius argumentum, quatuor in partes sit ab auctoribus tributum. *Prima* Historiam litterariam Ord. S. Benedicti in genere tradit; *Secunda* Historiam Artium & Scientiarum in eodem tractatarum, exhibet; *Tertia*, de Viris laudatæ societati adscriptis disserit, qui aliquam nominis celebritatem sunt adepti; *Quarta* tandem Benedictinorum eruditorum scripta, iusto dispersita ordine, complectitur. Ita nihil prætermitti potuit, quod ad rem litterariam Benedictinam quoque modo spectat: certe, si quid prætermisum est, non ex loci, in quo collocaretur, defectu, id accidit. Age vero penitus Partes singulas scrutemur.

PARS PRIMA, *preliminaris seu generalis, studiorum in Ordine S. Benedicti Origines, Progressus, Fata, Instaurationes, Mæcenates & Promotores, nec non celebriores Scholas, Bibliothecas,*

- Archiva ac rei litterariæ cimelia, horumque custodes & alia memoratu digna repræsentat. CAP. I. historia studiorum litterariorum apud Benedictinos, a condito inde Ordine, ad nostram usque ætatem, compendiose enarratur. Facile apparet, Caput hoc & ordine & dignitate esse primum; quod solum fere sufficiat rei litterariæ Benedictinæ cognoscendæ cupido. Igitur, per secula eundo, ex unoquoque potiora delibabimus, quo facto, quasi in tabula, delineabuntur fata eruditionis omnis in familia D. Benedicti. *Seculum p. C. N. Sextum; Ordinis Benedictini Primum.* Initium capit ab A. 529. qui Ordinis est natalitius; quemadmodum A. 480. ipsius Benedicti. Hic primum in eo totus est A. ut evincat, S. Benedictum studiis promovendis operam dedisse, atque hunc finem spectatum etiam ab eo fuisse in condenda Regula sua; imo litteras tutissimum, ea ætate, apud Benedictinos invenisse refugium: quæ omnia, quam feliciter, contra Naudæum & Conringium, probaverit, nostrum non est disquirere. Pergamus potius in percensendis reliquis, quæ huc spectant capitibus. Exemplo S. Benedicti, S. Maurus in Gallia, Cassiodorus & Dionysius Exiguus in Italia, docendo ac scribendo, studiis labentibus opem ferunt. Præcipue in monasterio D. Gregorii strenue excoluntur litteræ. De quo viro cum abiecius senserit Cel. *Heumannus*, opponitur ipsi testimonium Io. Diaconi in vita Gregor. M. Lib. 2. n. 13. *Seculum VII. Aera Bened. II.* In Italia prolabantur litterarum studia apud Benedictinos; sed in Anglia exsurgunt. Hic Theodorus Archiepiscopus, & Adrianus Abbas, Cantuarienses, imprimis commemorandi sunt. Adde Ceolfridum, Huctbertum, & Venerabilem Bedam, Divum item Aldhelmum, institutum ab Adriano in Grammatica, Rhetorica, Dialectica, (quas tunc *Trivium* adpellabant,) & in Arithmetica, Geometria, Astrologia, Musica, (quæ communi nomine *Quadrivium* dicebantur.) Ipse postea Aldhelmus, frequentes habuit discipulos. Excitantur eadem ætate scholæ in monasteriis Benedictinis, e. g. Iuvaviz, hodie Salisburgum dicunt, & Treviri. *Seculum VIII. Aera Bened. III.* Apud Anglos, Albinus, seu Alcuinus, de litteris bene meretur. Vindicatur S. Bonifacius

contra *Heumannum*, qui de eo (vere quidem, quantum nos videmus,) indicavit: *non eum eruditio, sed religio nobilem fecit.* Misera litterarum in Hispaniæ monasteriis conditio. Nec lætior in Gallia. S. Benedictus Abbas Ananiæ, de restituendis litteris sollicitus. Eodem ex capite laudantur Sinaragus, Abbas monasterii S. Michaelis ad Mosam in pago Virdunensi, & Alcuinus, Eboracensis monasterii Diaconus; in Italia S. Ambrosius Autpertus, S. Vincentii ad Vulturum fluvium in Benevento Abbas, & Paulus Diaconus Casinensis. *Seculum IX. Bened. IV.* Academia Parisiensis a Benedictinis Angliæ conditur. Dungalus monachus S. Dionysii Paris. Ticini litteras docet. Scholæ Benedictinæ in Germania constituuntur; v. c. Præmianensis. Docent quoque Benedictini in scholis cathedralibus. Lupus, Abbas Ferrariensis, celebratur. Litteræ in Angliâ a Gallis Benedictinis restaurantur. Eadem societas Academiæ Oxoniensis genitrix dicitur, quod fuisse delectant AA. ex *Woodii Hist. Univ. Oxoniensis.* Carolus Calvus, & Fulco, Rheimensis Archiepiscopus, Benedictinis ad promovendas litteras utuntur. *Seculum X. Aera Bened. V.* (In removenda ab hoc ævo barbariei nota frustra sunt Nostri.) Celebris scholæ Rheimensis, a Gerbergo, postea Sylvestro II. Pont. Max. illi conciliata; item Floriacensis. Apud Anglos, Dunstanus & Ethelwoldus, Benedictini, resuscitant litteras; quæ in Germaniæ etiam monasteriis a multis coluntur. *Seculum XI. Benedictinum VI.* Adferuntur septem Pontifices Romani ex ordine Benedictino. Commendatur in primis Hildesienſe monasterium S. Michaelis a floreatibus ibi litteris. Scientiarum omnium disciplinas, hæc ætate, docent Benedictini. Præcipui ex his doctoribus: Sigebertus, Gemblacensis Abbas, Lanfrancus, & Itnerius, Benedictinos fere solos, multis seculis, scientiarum disciplinas sustentasse, docetur. Notatur iterum *Heumannus*; sed ita, ut modestiam, quam se in eo nonnumquam desiderare supra dixerant Auctores, hic in ipsis desideremus. Ceterum Benedictini mysterium S. Eucharistiæ, hoc tempore, acriter propugnant. *Seculum XII. Bened. VII.* Sat magna copia doctorum Benedictinorum, quos inter emiaent: Rupertus Tuitientis.

Pag. 25.

36.

45.

55.

Bey.

- Bernardus Claraualensis, Petrus Abalardus, Gratianus, alii. Academia Cantabrigieensis Benedictinis originem suam debet. Eorundem vero diligentia in institutione scholastica, nobilium præsertim iuvenum, refrigescit. *Seculum XIII. Bened. VIII.* Collegia pro studiosis Benedictinis excitantur Parisiis. In Germaniæ, imo & reliquarum regionum monasteriis, studia doctrinarum pereunt: cuius rei causa ad scholasticos istius temporis devolvitur. *Seculum XIV. Bened. IX.* Neque hac periodo felicitiora litteris fata eveniunt. Excitantur monachi Conciliorum & Pontificum decretis, ad tractanda studia. In Anglia strenue Wiclefo resistunt Benedictini, (quod nos non eruditionis, sed torpentis ignorantie, doceri nescie, argumentum interpretamur.) Habet & Bohemia atque Gallia doctos aliquot Benedictinos. *Seculum XV. Bened. X.* Doct. Abbates Benedictini interfunt Concilio Basileensi, sed cum his etiam Abbas quidam Monast. S. Michael. Hildeshem. qui se alteri assentiri, his verbis edixit: *Sto cum hic.* (Narrationem hanc A. pro fabula reputat; sed talem esse non evincit.) Capitulum in Anglia habetur, in quo sancitur, ut Benedictini ipsi doceant, iisque minerval assignatur. Ceterum neglectæ adhuc, inter eos, iacent litteræ, si paucas eximas. Academiam Parisiensem instaurat Benedictinus. Ars typographica, hac ætate, inventa, egregie a Benedictinis in Germania, Anglia, Italia, promovetur. In congregatione S. Iustiniæ & Bursfeldensi, litterarum status in melius vertitur. Visio cuiusdam monachi febricitantis in monasterio S. Iustiniæ, multos a litteris deterret. Trithemius, litterarum eximius instaurator, Abbatibus, ignorantie patronis, resistit; sed parum apud plerosque proficit. *Seculum XVI. Bened. XI.* Cantus figuræ, in cœnobio illatus, magno studiorum malo. Ex monachis rudibus electi Abbates idiotæ. Ioannes, Abbas Schyrensis, studiis, apud suos, opem fert. Leonardus, Otteburani in Suevia cœnobii Abbas, typographiam constituit. Ibidem Collegium studiorum excitatur. Bella, hoc tempore gesta, litterarum in cœnobiis culturam turbant: quædam tamen horum eruditionis laude inclarescunt. Concilii Colonienfis decretis de studiis

studiis Monachorum, Benedictini obsequuntur. Congregatio Casinensis de studiis litterarum quædam præcipit, eorumque rationes diligenter curat. Interfuit Concilio Tridentino Theologi Casinenses. Contra Cluniacenses Monachi turpi defidia lquallent. *Seculum XVII. Bened. XII.* Congregatio- nes, ætate ista, fundatæ, studiis opitulantur; eaque inprimis, quæ a S. Mauro nomen habet. Illius merita amplissime prædicantur, quorum non postremum est, quod in erudiendis iuvenibus, illustri stirpe natis, diligenter sit occupata. Dissertitur de nobili illa, Mabillonium inter & Abbatem Trappensem, concertatione, studiorum monasticorum causa, suscepta. Academia Salisburgensis Benedictinis committitur. Exeunte seculo, congregatio Bavarica & Commune Studium in ea instituitur: cuius hic statuta legas. Corbinianus, Schyrensis Abbas, litteris est adminiculo. In Austria, Suevia, Belgio, alibi quoque terrarum, studiis incumbere videas monachos Benedictinos. *Seculum XVIII. Bened. XIII.* Statuta congregationis Vallisoletanæ de studiis. Iosephi Perezi elogium. De Benedictinis Hispanis optima quæque sperat Auctor: nam compertum nihil habet. Scripta tamen Benedicti Hieronymi Freyioo, qui ex illis est, enarrat; verum illa, si quid iudicamus, magis opportunum, Tomo III. operis, locum sortita fuissent. In Italia omnium scientiarum disciplinæ a Benedictinis hodiernum coluntur: quamquam & illi suos patiantur manes. Utrumque exemplis confirmatum hic habes. Cardinalis Quirini laudes. De Congregatione S. Mauri nonnulla; sed pauciora, quam expectaverint lectores. Benedictinorum, qui in Bohemia degunt, conatus litterarii. Studia Bavaricæ Congregationis. Abbatis Gengenbacensis consilium de collegio Germanico, Parisiis erigendo. Amusorum Abbatum inertia notatur. Alia. Insigne autem huic Seculo decus accedit ex systemate instruendæ Societatis Litterariæ Germano-Benedictinæ, a Cl. Legipontio A. 1752. publice proposito; quod totum hic insertum legitur: addito felici consilii successu, aliisque eo pertinentibus. Digna legi relatio, nostrisque Benedictinis Germanis, certe quibusdam

Pag. 108.

127.

140-187.

ex illorum numero, perhonorifica. Nunc, absoluta narratione de studiorum, in Ordine Benedictino, fatis, reliqua strictim persequemur, indicando duntaxat ea, quorum notitia, quantulacumque demum illa sit, ex hoc opere peti potest.

Pag. 188.
189.

- Igitur *CAP. II. praeipua Ord. S. Bened. monasteria, studiorum gloria superiori aeo, vel nostra aetate, nobilitata*, lectoribus listuntur. §. 1. Schola Casinensis omnium antiquissima; §. 2. de Fuldensi Schola, virtutum ac litterarum officina; §. 3. Scholae San-Gallenses; §. 4. Augustae Divitis gymnasium; §. 5. de Corbeiensis in Saxonia lyceum; §. 6. de schola Hirsaugiensi; §. 7. de Floriacensi ad Ligerim palladio; §. 8. de Becensis in Neustria paedagogio; §. 9. de Oxoniensi Academia & Glocestrensi collegio; §. 10. de Cluniacensi seminario Parisiis; §. 11. de Collegio Gregoriano, Romae 1621. erecto; §. 12. de Collegio Anselmiano, Romae 1687. fundato; §. 13. de Ettalensi apud Boios Academia; §. 14. de Cremitanensi in Austria nobilium palaestra; §. 15. de erigendo communi per Germaniam Seminario Benedictino ad excolendas solidiores scientias; (est hoc votum anonymi nuper admodum promulgatum;) §. 16. Methodus studiorum, tum humaniorum, tum severiorum, prout ea deinceps in scholis & Gymnasiis Benedictinis per Germaniam tradenda, Superiorum nutu praescribuntur; auctore, credimus, *Oliverio Legipontio*. Nova vero decora Ord. Benedictini ostentantur *CAPITE III. Apparent namque in illo Viri illustres, qui e Scholis & Magisterio Benedictinorum prodierunt*. Adscribamus nonnullorum nomina. Gelasius II. Leo IV. Alexander VI. &c. Pontifices Maximi; Fulbertus & Ivo, Carnotenses Episcopi &c. Carolus M. Antiperti & Alcuini discipulus; Ludovicus Pius, ab eodem institutus Alcuino; Lotharius, Carolus Calvus, Imperatores; Robertus, Hugonis regis filius, Gerberti discipulus; Franciscus I. Galliae, & Aelfredus Angliae, reges; Ioachimus, Marchio Brandenburgensis, discipulus Trithemii, cuius ad illum, illiusque ad hunc hic exhibentur epistolae. Ut omittamus alios. Nec *Mecenatibus caruisse rem litterariam Benedictinam, CAP. IV.* edocemur. Ponitur primo loco, Gregorius M. Pont. Rom. eique numerosum iungitur Successorum illu-

illustrium agmen; ex quo Sergium II. Gregorium VII. Clementem VI. Gregorium XI. Urbanum V. Bonifacium IX. Alexandrum VIII. Innocentium XII. produxisse satis habemus. Eadem occasione Pontificum illorum, quos Eminent. Quirinus propensos atque beneficos expertus est, mentio cum laude iniicitur. Ab his ad *Seculi principes* (fas sit, Auctoris insistere verbis,) deducimur. Itaque Carolus M. Ludovicus Pius, Carolus Calvus, Conradus I. Otto M. & III. Fridericus I. Lotharius II. Maximilianus I. Leopoldus I. & Carolus VI. Ludovicus XIV. Rex Galliarum, Ioachimus, Marchio Brandeb. alique proferuntur, qui gratiosos se erga Societatem Benedictinam demonstrarunt. Longa illi serie & amplissimis grati animi significationibus commemorantur: imprimisque Card. Quirino debitum hoc eius virtutibus officium persolvitur. Iam CAPUT V. quod est ex lectu amoenissimis, succedit. Describuntur illo, *Itinera literaria Benedictinorum*. 1) Io. Trithemii; 2) Pauli Langii, Zwickaviensis Monachi; 3) Claudii Etienneot, Congreg. S. Mauri; 4) Io. Mabillonii; 5) B. Montfaucon; 6) A. M. Quirini; 7) Edm. Martene & Ursini Durand; 8) Bern. & Hieron. Pezii, fratrum; 9) Calmeti & Fangæi iter Helveticum. CAP. denique VI. *Bibliotheca, Archiva & Cimelia Ord. S. Bened. eorumque custodes*, enarrantur, quod ut apto fieret ordine, in tres hoc Caput est tributum Sectiones. *Sectio I.* de Bibliothecis celebrioribus, quas, diversis regionibus, Benedictini tenent, disserit; earumque thesauros, Codices imprimis MStos, diligenter enumerat. Sub finem vero narrationis, notantur tenaces MStorum possessores, & ut illa publici iuris faciant, monentur. Conquerentibus hac de re præcipue illis, qui otio & incuriæ monachorum multorum, bonis litteris iniuriæ, irascuntur, hoc est Protestantibus, oggerit Auctor *Weislöngeri* quoddam testimonium: cuius impudentissimi hominis & nulla est, apud bonos & eruditos viros, auctoritas, & fama pessima, & verba ipsa, quæ hic producentur, ridicula. *Sectio II.* de Archivis tradit; quorum XLII. afferuntur. *Sectio III.* Bibliothecarum præfectos & illustra-

Pag. 486.

452.

591.

610.

lustratores, custodesque archivorum spectandos proponit. Est in his & litteratissimus *Lacrozius*.

PARS SECUNDA *specialis seu principalis* dicitur, in qua textur *Historia Artium & Scientiarum, inde ab ævo S. Benedicti ad nostra usque tempora, per tredecim seculorum seriem, apud Benedictinos excultarum.* Non refringit in hac parte operis, Clarissimorum Auctorum diligentia; & qui potuisset, cum in ea docendum erat, quantas Benedictinis orbis litteratus gratias debeat, quod omne fere scientiarum genus, ingenio & industria sua locupletaverint partim, partim emendaverint. At nos respicientes ea, quæ iam protulimus, & eorum, quæ dicenda adhuc restant, copiam prospicientes, summa tantum capita argumenti apponemus, reliqua Lectoribus evolventa commendantes. Caput I. *Historia Theologiae, cum positiva, tum scholastica, polemica, moralis & mystica.* Caput II. *Historia Iurisprudentiæ ecclesiastica, civilis & publicæ, præsertim Imperii Romano-Germanici.* Caput III. *Historia Philosophiæ, Ethicæ, Medicinæ, Chymicæ, Mathematicæ & aliarum artium.* Caput IV. *Historia studii sacri iuxta ac profanæ Historiæ, nec non Monastico-Benedictinæ.* Caput V. *Historia studii Diplomatici, Critici & Antiquarii.* Hæc loci accurate inprimis describitur bellum illud diplomaticum, recentiori ætate gestum, in quo præcipuè fuerunt Mabillonii partes. Caput VI. *Historia polioris litteraturæ & Philologiæ, quatenus a Benedictinis exculta.*

Diutius nos merito suo tenebit PARS Operis TERTIA. Ea *biographica* adpellatur, *virorumque illustrium, ac eorum præcipue, qui ingenio, virtute, doctrina & lucubrationibus, orbi universo inclaruerunt, vitas, res gestas & scripta, aliæque memoranda exhibet.* Dabimus ergo, prout nobis illa suppeditabit Conspectus, huic Parti præfixus, nomina, munus, & annum emortualem eorum omnium, quos uberiore commemoratione dignos iudicarunt Auctores nostri; quo fiet, ut uno quasi obtutu pateat Lectoribus illustrium & celeberrimorum hominum, qui in familia D. Benedicti caput extulerunt, numerosa series. CAPUT I. *Vita Fundatoris, sanctissimi Patris Benedicti,*
cum

cum eiusdem S. Regula. m. 543. *Sectio I.* de Regula S. Benedicti: eius autographa & apographa, versiones, editiones, declarationes, variz lectiones, notz & observationes, commentatores, aliaque huc spectantia. *Sectio II.* Alia opuscula S. Benedicto adscripta. CAPVT II. Sanctorum P. P. Ord. S. Bened. corona, eorumque vitz ac scripta: 1) *S. Gregorius I.* Pont. Max. m. 604. 2) *S. Ildephonsus*, Archiepisc. Toletanus. m. 669. 3) *S. Adhelmus*, Episcopus Schirburnensis. m. 709. 4) *Venerabilis Beda*, presbyter. m. 735. 5) *S. Bonifacius*, Archiepisc. Moguntinus, Germaniz Apostolus. m. 754. 6) *Ambrosius Aupertus*, Abbas in monasterio S. Vincentii ad Vulturum in Italia. m. 778. 7) *B. Alcuinus*, præceptor Caroli M. m. 804. 8) *B. Rabanus Maurus*, Archiep. Mogunt. m. 856. 9) *S. Paschasius Radbertus*, Abbas Corbeiz veteris. m. 860. 10) *B. Servatus Lupus*, Abbas Ferrariensis. m. 860. 11) *S. Ado*, Archiepisc. Viennensis m. 875. 12) *Petrus Damiani*, S. R. E. Cardinalis. m. 1072. 13) *Albericus*, Casinensis Monachus, S. R. E. Cardinalis. m. 1089. 14) *B. Lanfrancus*, Archiepisc. Cantuariensis, m. 1089. 15) *S. Anselmus*, Archiep. Cantuar. m. 1109. Appendix, de *Gothescalco*, Orbacensi Monacho Seculi IX. Cilone, qui nostra ætate etiam suos habet & adversarios & patronos. Eius vindiciz per Em. Card. Henr. Norisum. Ludovici du Mesnil, Soc. Jes. in eum criminationes. CAPVT III. Vitæ virorum doctrina illustrium O. S. B. medii ævi, inde a Seculo XII: 1) *Odo*, Abbas S. Martini Tornacensis atque Episcopus Cameracensis. m. 1113. 2) *S. Bruno*, Episcop. Signientis, S. R. E. Cardin. m. 1125. 3) *Herueus*, Burgidolensis Asceta. Cl. 1130. 4) *Godefridus*, Abbas Vindocinensis, S. R. E. Cardinal. 1131. 5) *Venerabilis Hildebertus*, m. 1134. 6) *Drogo*, S. R. E. Cardin. & Episc. Oltienis, m. 1136. 7) *Eadmerus*, Episc. S. Andree in Scotia m. 1137. 8) *Petrus Diaconus Casinensis*. m. 1140. 9) *Sugerius*, Abbas S. Dionysii & Regens Franciz. m. 1152. 10) *Petrus Mauritius*, cognomento Venerabilis, Abbas Cluniacensis, m. 1156. 11) *Wibaldus*, Abbas Stabulensis & Corbeiensis. m. 1158. 12) *Godefridus*, Abbas Admontensis, m. 1165.

Pag. 2.

32.

34.

126. seq.

1165. 13) *Petrus*, Cellensis Abbas, ac postea Episcopus Carnotensis. m. 1187. 14) *Reinerus*, monachus S. Laurentii Leodiensis. Claruit 1182. 15) *Casarius* Prumiensis, postea Heisterbacensis monachus, Cl. 1222. 16) *Matthæus Parisius*, Regis Angliæ Historiographus. m. 1259. 17) *Bernardus*, Abbas Casini & S. R. E. Cardiu. m. 1282. 18) *Engelbertus*, Abbas Admontensis, m. 1331. 19) *Clemens VI.* Pont. Max. m. 1352. 20) *Petrus Berchorius*, Prior Collegii S. Eligii. m. 1362. 21) *Adamus Eston*, S. R. E. Cardiu. m. 1397. 22) *Basil. Valentinus*. a. 1413. 23) *Venerabilis Nicolaus de Muzen*, Abbas Mellicensis, m. 1425. 24) *Ioannes Lidgatus*, m. 1440. 25) *Ioannes Weshamstedus*, Abbas S. Albani in Anglia. m. 1440. 26) *Nicolaus Tedescus*, Abbas Panormitanus. m. 1445. 27) *Martinus*, Abbas Scotorum Viennæ Austriæ. m. 1470. 28) *Carol. Fernandus*, Professor regius in Universitate Parisiensi, m. 1496. 29) *Adamus Villicus*, Abbas S. Martini Mai. Coloniz. m. 1499. 30) *Ioannes Raulinus*, Regii Navarræ Gymnasii Magnus Magister. m. 1514. 31) *Io. Trithemius*, Abbas Spanheimensis. m. 1516. de quo singulari cum cura & longiuscula narratione commentati sunt Auctores; idque summo eius merito. 32) *Ioann. de Marre*, Episc. Condomensis, m. 1521; 33) *Io. Piemontanus*, cognomento *Bouzbachius* Lacedæsis. m. 1526. 34) *Nicol. Ellenbogius*. m. 1543. 35) *Gregorius Cortesius*, S. R. E. Cardiu. m. 1548. 36) *Isidorus Clarius*, Fulginæ Episc. m. 1555. 37) *Ioach. Perionius*, Theologus Universit. Paris. m. 1559. 38) *Dionys. Faucherius*, Prior Lerinensis. m. 1562. 39) *Florianus Tresterus*. m. 1565. 40) *Iac. Billius*, Abbas S. Michael. in Eremo. m. 1581. 41) *Io. Feckenamus*, Abbas ultimus Westmonasteriensis in Anglia. 42) *Ninianus Winzetus*, m. 1592. 43) *Gilbertus Genebrardus*, Archiep. Aquensis. m. 1597. 44) *Io. de Castanniza*, m. 1599. CAPVT IV. Vitæ varorum illustrium recentioris ævi: 1) *Leonard. Rubemus*, Abbas Abdingkofensis. m. 1609. 2) *Iac. Breulius*, Prior S. Germani a Pratis. m. 1614. 3) *Iac. Bossutus*, Consultor Congregationis de Auxiliis. m. 1626. 4) *Gulielm. Gifford*, Archiep. Rheimens. m. 1629.

1629. 5) *Antonius Perezus*, Archiepisc. Tarraconenf. m. 1637. 6) *David Gregorius Cornerus*, Gottwicensis in Austria monasterii Abbas, m. 1648. 7) *Benedict. Hæsternus*, Præpositus Affligemensis, m. 1648. 8) *Constantinus Caietanus*, Abbas S. Baronti, m. 1650. 9) *Clemens Regnerus*, Abbas Lamspringensis, m. 1651. 10) *Placidus Vigellius*, Abbas Maioris Augiæ Brigantinx, m. 1651. 11) *Carol. Stengelius*, Abbas Anhulanus, m. 1663. 12) *Adamus Adami*, Episc. Hieropolitanus & Hildesienfis Suffraganeus, m. 1663. 13) *D. Franc. Deifau*, m. 1670. 14) *Ludov. Engel*, S. S. Canon, D. & Profess. m. 1674. 15) *Gregorius Geißerus*, Abbas ad S. Georgium in Silva nigra, m. 1690. 16) *Angelus de Nuce*, Archiepisc. Rossanensis, m. 1691. 17) *Vitalis Terra Rubra*, e Congregat. Casinenfi, m. 1692. 18) *Augustin. Rbeding*, Abbas & Princeps Einsidlenfis, m. 1692. 19) *Cælestinus Sfondratus*, Princeps & Abbas San- Gallensis, S. R. E. Cardin. m. 1696. 20) *Iosephus Senz de Aquirre*, S. R. E. Cardin. m. 1699. 21) *Claudius Stephanotius*, m. 1699. 22) *Ignat. Clavenau*, m. 1701. 23) *Oderisus Pierius*, m. 1702. 24) *Otto Aicherus*, Professor Universit. Salisburgens. m. 1705. 25) *Ioan. Mabillonius*, m. 1707. 26) *Claudius de Vert*, Prior S. Petri Abbatis- Villæ, m. 1708. 27) *Paulus Rabuffon*, Superior Generalis, Congregat. Cluniacensis, m. 1717. 28) *Anton. Augustin. Touste*, e Congreg. S. Mauri, m. 1718. 29) *Ludovic. Babenshuber*, Theologus Ettalensis, m. 1726. 30) *Benedictus Bacchinus*, Abbas Congregat. Casinenfis, m. 1721. 31) *Dionys. de Sainte Marthe*, m. 1725. 32) *Matthæus Petitdidier*, m. 1728. 33) *Corbinianus Khamm*, m. 1730. 34) *Carol. Meichelbeck*, Benedicto Buranus in Bavaria Monachus, m. 1734. 35) *Bern. Pezius*, Bibliothecarius Mellicensis, m. 1735. 36) *Marianus Armellinus*, e Congreg. Casinenfi, m. 1737. 37) *Bern. de Montfaucon*, Congreg. S. Mauri decus insignis, m. 1741. 38) *Godefridus Besselius*, Gottwicensis in Austria Monasterii Abbas, m. 1749. 39) *Placidus Bæckbr.*, m. 1752. CAPITE V. exstant vitæ auctorum feminei sexus Ord. S. Bened. doctrina, eruditione, ac scriptis illustriums: seq.

- 1) *Roswitha*, Monialis Gandersheimensis, clar. 980. 2) *Diemudis*, Sanctimonialis Wessofontana, cl. 1073. 3) *Bertrada* Vilecensis Sanctimonialis, clar. 1030. 4) *Adla*, Monialis Marcianensis, m. 1110. 5) *S. Elisabetha*, Schœnaugix Abbatisa, m. 1160. 6) *Heloissa*, Paracletensis Abbatisa, m. 1163. 7) *S. Hildegardis*, Abbatisa in monte S. Ruperti prope Bingos, m. 1178. 8) *Rilindis*, *S. Regilindis*, Abbatisa Hohenburgensis, m. 1169. 9) *Herradis*, Hohenburgensis Abbatisa, Sec. 12. 10) *SS. Gertrudis & Mechtildis*, Sorores, Cl. Sec. 13. 11) *Angelica Baitelli*, cl. 1657. 12) *Helena Lucretia Cornelia Piscopia*, m. 1684. 13) *Regina Iurata*, m. 1685. 14) *Maria Crucifixa a Concept*, m. 1699. 15) *Maria de Blennur*, Sanctimonialis e Congregat. perpetuæ adorationis SS. Sacramenti m. 1696. 16) *Maria Stella Scutella*, m. 1702. 17) *Maria Magdalena Gabriels de Roebecbouart*, Abb. Fontbraldensis, m. 1704.

Pag. 535. CAP. VI. recensentur nomina aliorum utriusque sexus scriptorum, qui variis ingenii sui monumentis reipublicam litterariam locupletarunt. *Appendix I.* Scriptores anonymos & pseudonymos; *II.* Scriptores omissos, complectitur.

639. *QUARTA*, quæ eadem & ultima, operis *PARS Bibliographica* inscribitur, *Bibliothecam* referens *Benedictinam Historico-Critico- Realem*, quæ libros iuxta materiarum series digestos repræsentat, uniuscuiusque *Scriptoris genio & meritis ad æquitatis lancem perpensis*. Nostrum est, quia hunc campum pervagari non licet, prætereaque lectores scire confidimus, summa esse Benedictinorum in omnem eruditionem merita, ordinem solum indicare, qui in concinnanda hac Bibliotheca observatus est. En illum. *Caput I.* Bibliothecam Benedictinam Theologicam continet. *Sectio I.* de Theologia positiva disserit; *II.* de Patribus & Scriptoribus Ecclesiasticis; *III.* Theologix Scholasticæ Scriptores enumerat; *IV.* Polemicæ; *V.* Moralæ cet. *VI.* Mysticæ; *VII.* qui de doctrina Christiana scripserunt; *VIII.* qui homilias & conciones composuerunt; *IX.* qui de Deo ac sanctissima Trinitate scripserunt; *X.* de Christo; *XI.* de Virgine Maria; *XII.* de Angelis, & Sanctis. *Capite II.* Biblio-

Bibliotheca Iurisprudentiæ Ecclesiasticæ colligitur : 1) Con- Pag. 193. seq.
 ditores, Collectores atque Editores Iuris Canonici; 2) Eluci-
 dadores Iuris Canonici; 3) Scriptores Appendicum Iuris Ec- 287. seq.
 clestici. *Caput III.* Scriptores de Medicina, Philosophia 319. seq.
 & Mathematica, tradit. *Capite IV* leguntur Scriptores Hi-
 storici. *Sectio I.* Scriptores Itagogici & de Chronologia &
 Geographia. *II.* Scriptores Historiæ universalis. *III.* Histo-
 riæ Sacræ & Ecclesiasticæ. *IV.* Historiæ Ecclesiasticæ parti-
 cularis scriptores. *V.* Scriptores Historiæ Sanctorum.
VI. Scriptores Historiæ profanæ. *VII.* Scriptores quina-
 rum Historiæ in communi Appendicum. *VIII.* Scriptores
 Historiæ Benedictinæ. *IX.* Scriptores elegantioris litteratu-
 ræ. *X.* Scriptores miscellanei.

Hæc de argumento Operis dicenda habuimus, cuius Au-
 ctoribus Clarissimis, diligentiam eximiam, eruditionem non
 proletariam, ac sinceram litteras iuvandi voluntatem, nemo
 facile abiudicaverit. Legentibus illud, hoc imprimis appare-
 bit, nihil in eo prætermisum esse, quod ad exornandum Ordine
 nem Benedictinum, quoquomodo facere poterat. Ac manet hæc
 laus Benedictinis propria, quod illis temporibus, quibus
 meliorum litterarum studia pessime ab Europæis habebantur,
 soli propemodum in iis excolendis, ore, manu, scriptis de-
 nique, laboraverint. Quamquam & hoc addamus necesse est,
 libellorum confarcinatores, quales inter præcos Benedictinos
 fuere permulti, a viris vere doctis toto cælo discrepare. Quam
 sedulo autem providerint Nostri, ne Societatis suæ existima-
 tio aliquid detrimenti caperet, aut sinistrum de rebus Bene-
 dictinis ferretur iudicium, uno specimine docebimus. Scri-
 pserat Vir magni in republica litteraria nominis, *Heumannus*,
 Benedictinos atque Iesuitas, recentiori ævo, de eruditionis pal-
 ma inter se certasse: ita utrosque strenue litteris esse operatos.
 Quid hic *Ziegelbauerus*? Numquam, inquit, in mentem ve-
 nit Benedictinis, ut de consequendo eruditionis principatu cum
 Iesuitis contenderent. Nec illos, si vellent, posse. Quod
 ut evincat, ampla oratione docet, ipsos subsidiis illis, quæ
 litterarum studia deposcunt, parcius multo, quam Soc. Iesu

Tom. I.
 pag. 133.

adscriptos, gaudere. Superfedere hoc labore potuisse putamus Auctorem, si cogitasset, Heumanni verba laxiorem admittere interpretationem: gratias tamen ipsi debemus ob indicatas studiorum opportunitates, quæ utroque in Ordine obtinent. Ceterum modeste suo hoc de opere sentiunt Nostri. Illud vero indigne ferent multi, Cl. *Legipontium* habuisse, cur in præfatione quereretur, *se steriles expertum esse Meccnates & inhospitales caucatos*; maioremque se operi perfectionem conciliaturum fuisse, nisi ii, qui illud iuvare symbolis suis, consilio, auctoritate vel amicitia, potuissent, hoc est, multi ex sodalibus ipsius, turpiter his conatibus maluissent resistere. Mirabantur hoc eo magis Lectores, quod tota hæc destinatio condecorandi Ordinis Benedictini gratia suscepta fuit; & omnino ad amplificandam illius gloriam egregia multa contulit. Iure itaque *Legipontio* absolutum hunc colosseum, post iacta a *Ziegelbauero* fundamenta, gratulamur, utroque & lubentes fatemur, tantum in extruendo, amplificando & digerendo illo, comparere laborem, qui duorum hominum, plura etiam molientium, & a nemine adiutorum, pene vires superet. Sane, quæcumque in tanta Scriptorum farragine, proposito suo idonea reperire poterant, summa industria conquiritæ, in rem suam verterunt; relationibus etiam interdum usi manu exaratis: rerum in Ordine suo gestarum fidem prudenter examinarunt, nec creduli nimis, nec præter rem scrupulosi: & ut paucis multa complectamur, ita vertati sunt in plerisque Operis partibus conuiuandis, ut non mediocris inde ad viros doctos *meditas*, insigne vero ad familiam D. Benedicti decus atque emolumentum sit redundaturum. Sed hæc non prohibent, quo minus naves in eodem Opere insidentes videamus. Asperiores forte nonnullis audiremur, si hoc opus ex iis esse affirmaremus, *quæ nec multa dies, nec multa litura coeruit*. Neque id iudicii, salva veritate, de singulis eius partibus ferri posset. Attamen complura nobis loca nonnisi tumultuariam visa sunt prodere diligentiam. Collecta oppido multa videas; sed in his, quæ tuto abesse possent: alia omissa, commemoratione longe digniora; atque adeo mancam & hiulcam
sæpius

sæpius deprehendas narrationem. Probe quidem memini-
 mus, cum vastum operis ambitum, tum istud, quod per-
 exilem ac fere nullam Auctoribus opem illi tulerint, qui
 multarum rerum historiam melius & plenius perspe-
 ctam habere poterant; hæc, inquam, velle, ut labes eius-
 modi placido feramus animo. Verum in his non pau-
 cæ sunt, quibus mederi, dummodo voluissent, facile po-
 tuerant Nostri. Huc primo neglectum sæpius in dicendo
 ordinem referimus: cuius rei culpa accidit, ut multa alienissi-
 mo loco sint collocata; contra ibi desiderentur, ubi, suaden-
 te ratione, ponenda fuissent. Mirari deinde sibi, quod in
 præstantissimorum librorum argumento enarrando segnes
 nonnunquam fuerint Auctores. Certe nobilissimi illius Ma-
 billoniani operis de Re Diplomatica ne Sciagraphiam qui-
 dem legimus: nisi forte eo loco occurrat, ubi nemo quæsi-
 verit. Quæ vero de SS. Patrum Editionibus, quas Benedictini
 tanto orbis eruditi plausu curarunt, adferuntur, ea satis ieiuna
 sunt. Licet enim enumeratæ diligenter fuerint, quædam etiam
 adspersa, non prorsus contemnenda: tamen, quod caput est, ac-
 curatum de singulis iudicium, historiam controversiarum, quas
 illæ pepererunt, & alia huius commatis, prætermissa hic doleas.
 Nec movent nos magnopere, quæ ad retundendam hanc que-
 relam, prævisam quippe, Auctores proferunt. *Erunt, inquit, P. IV. p. 106.*
lectores, qui notas, in eadem Editione, criticas, & observationes
a nobis exposcant. Sed brevitatis causa, ad aliorum libros, qui
 hæc tractarunt, nos ablegant. Nos vero in Opere tantæ mo-
 lis istud quoque, præsertim, cum sit ex utilissimis, inesse imo
 postulamus; neque videmus, quomodo se *brevitate* tueri po-
 tuerint Nostri. Quod ad vitas excellentium Benedictinorum, quæ
 Parti III. insunt, attinet, earum permultæ a perfectione cum
 historica, tum critica, longe absunt: id quod demonstrari a
 nobis, propositis exemplis, iam non potest, nec attentos facile
 fugiet lectores. In indice ipso celebrium Virorum, quorum l. c.
 exstant biographiæ, præclari multi desiderantur Benedictini, e. g.
Renatus Massuetus, Theodoricus Ruinartus, alii. Sed hos in il-
 lam colluviam scriptorum, quæ *Capite VI.* cernitur, coniecerunt
 Nostri, appositis *Cersii, Pezii*, aliorumque locis, qui de illorum
 vita

vita commentantur. Falluntur profecto Auctt. quando sibi persuadent, ea sicco pede a se transiri potuisse, quæ ab aliis copiose iam sunt in litteras relata. Est enim hoc Opus ipsorum tale, ut vicem complurium minorum librorum expleat, eaque omnia lectoribus pandere debeat, quæ ad rem litterariam Benedictinam quavis ratione pertinent. Itaque ex probatissimis biographis inferere illi decuerat potiora, si non omnia; quamvis illi eruditorum manibus communiter tenerentur. Plura in hanc rem non addimus. Neque styllum accusamus, qui maximam partem subhorridus est hoc in Opere. Unum adhuc monemus; Indicem scilicet generalem, omnes operis Partes complexum, non levi lectorum incommodo, abesse. Ab his, quos modo diximus, nævis, si discesseris, commendabile omnino est opus; ampliorem adhuc sparsurum utilitatem, si, quod sperare nos iubet Cl. *Legipontii* assiduitas, supplementa accesserint, & curæ posteriores. Ceterum commemorandum illud a nobis vel hoc nomine fasset, ut habeant in Operis Auctoribus, Benedictini reliqui, Germani imprimis nostri, atque adeo Monachi ceteri omnes, domesticum eruditionis, diligentiae, candoris etiam & modestiae, exemplum, quod imitentur.

*IOANNIS RUDOLPHI KIESLINGII, SS THEOL.
Doct. Profess. Publ. Ordin. Historia Concertationis Græcorum,
Latinorumque, de Transsubstantiatione,
in S. Eucharistia Sacramento.*

Lipsiæ, sumptibus Lanckisianis, 1754. in 8.
Alph. 1. plag. 12.

Nobile, quod hætenus eruditi intentatum reliquerunt, Plur. Rev. Auctor adgressus est argumentum. Complures quidem viri, de disciplina sanctiore & Historia Ecclesiastica bene meriti, calanum adversus Transsubstantiationem, quam Romæ profitetur societas, acuerunt, eamque controversiam ad umbilicum deduxerunt; at nullus Historiam huius concertationis, Græcos inter & Latinos acrius agitata, ex instituto tracta-

tractavit, eandemque e tenebris, multisque, quibus premitur, difficultatibus, produxit in lucem. Eam autem agendi sibi præscripsit Auctor rationem, ut non tam argumenta theologica denuo contra transubstantiationem colligeret, inque aciem sifteret, quam potius historiam huius controversiæ solidius delinearet. Constat hoc elegantissimum opus *XII. Capitibus*, quorum summam recitabimus ac nervum. *Caput I.* agit de recentioris Ecclesiæ Græcæ, circa religionem, facie. *pag. 1 - 20.* Brevis exhibetur Ecclesiæ Græcæ, eiusdemque recentioris delineatio, doceturque, eam, expugnata Constantinopoli, eo esse deductam, ut diviniore liberalioresque disciplinæ, intermortuæ in ea extinctæque videantur. Durum, quod sustinent Græci, Turcarum iugum, eos bonarum artium privavit cultura, quam *Metrophanes Critopulus* maxime doler. Bene multi, illique rariore, adferuntur auctores, qui res Græcorum ad religionem spectantes tradiderunt. Exponitur autem, plus auctoritatis vindicandum esse Reformatis atque Lutheranis, quam Romanensibus, qui cum *Leone Allatio, Goaro, Affemiano, & Quirinio*, id agunt, ut Ecclesiam Græcam suis adiungant partibus. Acu quoque opus est in legendis diiudicandisque recentiorum Græcorum libris, *Gabriels* imprimis *Philadelphiensis, Arondii Catmofyri*, aliorum, quia illi magis ad palatum Romanæ Ecclesiæ, quam Græcæ indolem scripserunt. *Caput II.* disserit de Græcorum studiis, & intestinis dissidiis. *pag. 21 - 48.* Curta est Græcis rei literariæ suppellex, eorumque studium in lectione quorundam Patrum, *Chryso-stomi* potissimum, *Basilii M & Theophylacti*, nec non Liturgiærum declamatione, subsistit. Qui vero inter Græcos eruditionis laude nitescunt, sunt Curia Romanæ alumni, in seminariis Pontificiorum nutriti, illorumque doctrinis adeo imbuti, ut ab antiquiore fide recedant longius. Enata inde sunt inter ipsos Græcos dissidia. Alii quippe castiorem Ecclesiæ Græcæ antiquioris tuerentur doctrinam; alii vero Romanensium favent partibus, qui uno nomine Latino-Græci seu *Λατινο-Φρονες*, nec non Uniti, ob factam in Polonia unionem, appellantur. Ruthenica vero Ecclesia nunquam eo adigi potuit.

ut unionis cum Romana stabiliret vincula, sed suæ doctrinæ & rituum perstitit tenacissima. *Caput III.* veteris Ecclesiæ Græcæ, in Transsubstantiationis articulo, vindicat integritatem. *pag. 49-99.* Producentur antiquissima Patrum Græcorum, S. *Ignatii, Irenæi, Theodoretii, Chrysostomi,* aliorumque Præfulum documenta in scenam, Pontificiorum Transsubstantiationi e diametro adversæ. Vindicantur hæc Patrum testimonia a frivolis *Lequieni, Harduini, Maffei,* aliorumque interpretationibus. Explicantur Græcorum verba, de symbolorum sacrorum consecratione, usitata, qualia sunt *μεταποιήσεις, μεταβολή, μεταμόρφωσις,* atque demonstratur, illa nullam indicare conversionem substantiæ, seu Transsubstantiationem, sed accidentalem mutationem, qua illa symbola ad meliorem evehuntur conditionem. Convertuntur porro ad salutem dubia *Ioannis Damasceni, & Theophylacti* effata, de re Eucharistica, usurpata. *Caput IV.* commentatur in niivium dictionum typicarum, in re Eucharistica, apud Græcos, Latinesque usum. *pag. 100-127.* Græcorum Liturgiæ disflunt in re Eucharistica, dictionibus typicis, quales sunt, *ἀρίτυπα τῆ σῶματος, καὶ ἁμαίος: σύμβολον, ἕκων.* Sed his nominibus nullam intelligunt Transsubstantiationem, quod invictis demonstratur argumentis. Latini quoque his indulgent dicendi formulis. Proinde utraque pars, per multas annorum centurias credidit, consensionem esse utramque inter partem. Quæ vero sit harum dictionum typicarum, in S. Eucharistia, ratio, solidius exponitur. *Caput V.* diluit Concilia Græcorum Latinorumque, & confirmat, illa Transsubstantiationis esse nescia. *pag. 128-214.* Illustria concilia Græcos inter & Latinos agitata sunt *Gentiliarense, Barense, Lateranense IV. Lugdunense II. Basileense, & Florentinum.* Magnopere de his Conciliis gloriantur Romanenses, ad unum omnes adserentes, in illis conjunctionem utramque inter Ecclesiam, in Articulo de S. Eucharistia, esse. Sed solide evicit auctor, Græcos ne in Concilio quidem Florentino Latinis cessisse, victasque dedisse manus. Invictis enim antiquitatis argumentis demonstratur, propudiosam, de
Trans-

Transubstantiatione, perfusionem, quatuor unionis, vi extortæ, articulis nunquam esse insertam, neque a Græca Ecclesia adoptatam. *Caput VI.* iucundam & limatam instituit excursionem in silentium huius controversiæ, in Græcis Latinisque diu observatum. *pag. 214-252.* Operæ fuit pretium, indagare causas, quibus factum, ut mutua inter Græcos Latinosque, in argumento de S. Eucharistia, videretur esse consensus. *Prima causa,* in recentiori huius monstrosæ, de Transubstantiatione, opinionis partu ponitur. *Secunda* a suavi Liturgiarum, Græcis Latinisque adhuc familiarium, consensu petitur. *Tertia,* a frequentissima sacrificii appellatione depremitur. *Quarta* ab illustri nomine, quo symbola sacra per eminentiam, corpus & sanguis vocantur, sumitur. *Quinta* a crebriori Mariæ virginis & sanctorum, in Liturgiis invocatione, deducitur. *Sexta* ab usu aquæ in Eucharistia obvio depremitur. *Septima* ab elevatione panis Eucharistici producit. Explicantur his in paginis multæ antiquitates, & ritus Eucharistici commentationibus illustrantur. Exponitur, quibus in partibus hi Græcorum ritus a Romanensium religionis differant obsequiis ceremoniisque. *Caput VII.* tradit controversiam, de Transubstantiatione, Græcos inter & Lutheranos, nec non Reformatas agitatum. *pag. 252-291.* Commemorantur Bohemorum Lutheranorumque cum Græcis, de religione, consultationes. Missa est ad Græcos Confessio Augustana, Græca ornata veste. Inierunt deinceps Theologi Tubingenses cum Patriarcha, *Jeremia II.* disputationem; sed Græci non satis bene intellexerunt Lutheranorum sententiam, in articulo de S. Eucharistia traditam; nec Tubingenses dextre diiudicarunt Græcorum mentem, quo dissenso effectum est, ut nulla stabiliri potuerit unio. Accedit, Romanenses hac Græcorum ignorantia, in tam difficili argumento, abusos, huic coniunctioni astute inieciisse impedimenta. *Cap. VIII.* sistit res Græcorum cum Reformatis, exponitque *Cyrilli Lucaris,* Reformatis addicti, fata satis funesta. *pag. 292-334.* Cyrillus Lucaris, Patriarcha Constantinopolitanus, diu cum Reformatis, in Anglia, Belgio & Helvetia conversatus, illorum, de S. Eucha-

Eucharistia, imbiberat sententiam, quam deinceps, sua in Confessione, inter Græcos sparsit. Romanenses, qui male huic Patriarchæ cupiebant, superos moverunt atque Acheronta, ut hic egregius vir tolleretur e medio. Miseri Græci fidiculis, largitionibus, atque clandestina vi Gallorum Romanensiumque seducti, varias contra Cyrillum Lucarem celebrarunt synodos, eumque, nec minus Religionem Lutheranorum ac Reformatorum damnarunt, & ex adverso Transubstantiationem adoptarunt. Non tamen præmittendum est, reliquos Græcos, eosque doctrinæ sanctiori adhærentes, hæc conciliabula, in detrimentum Ecclesiæ Græcæ habita, fortiter proscriptisse. Diffuit hæc tractatio argumentis ad rem litterariam spectantibus, quæ multi præterierunt. *Caput IX.* belle detegit artes Latinorum, doctrinam Græcorum male corrumpendi. *pag. 335-353.* Latini seu Romanenses variis usi sunt artibus, ut fidem Græcorum confunderent, & ipsis Transubstantiationis errorem manibus persuaderent gypstatissimis. Veniunt hæc ex aucupis Romanensium potissimum in censum, scholæ in Græcia extractæ; gymnasia illustria in Italia in usum Græcæ iuventutis constituta; confessio nova, Græcis a Pontificibus, *Pio V. Gregorio XIII. Clemente VIII. & Urbano VIII.* data; nec non libri a Græcis turpiter corruptis in perniciem Ecclesiæ Græcæ evulgati. *Caput X.* occupatur circa dictionis, *μετσωσις*, auctores. *pag. 354-409.* Maxima est inter Historicos, de huius verbi inventoribus, disputatio, eo potissimum nomine, quia vocabulum, *μετσωσις*, recens inventum, proxime, ad Transubstantiationem commode reddendam, accedit. Quid inde mirum, *Lequienum, Renaudotium, Simonium, Allatum*, aliosque, pro hac dictione, tanquam pro aris ac focis pugnare. Sed res est extra controversiam posita, hoc verbum recentiore ætate esse inventum, & optimis Græcis prorsus ignotum. Interim miselli Græci ad Romanam curiam transtulæ, illud ipsum vocabulum in odium suæ Ecclesiæ adhibuerunt, quales sunt *Meletius Pega, Meletius Syrigus, Gabriel Philadelphienfis, Nectarius*, alii. *Caput XI.* silit controversiam, de Græcorum doctrina, in articulo,

ticulo, de S. Eucharistia, inter Anglicanos Gallicanosque viros agitatam. pag. 410 - 435. Maxima invaluit seculo abhinc in Anglia & Gallia, de Græcorum doctrina, in articulo S. Eucharistia, concertatio. Omnem moverunt Galli, *Arnaldus, Nicolius*, alii, lapidem, ut Græcos Transubstantiationis facerent socios. Sed *Claudius, Thomas Smithius*, alii, se fortiter opposuerunt. Quid? quod Anglicana Ecclesia *Covelio*, oratori sacro in Turcia, id negotii dedit, ut doctrinam Græcorum penitus exploraret. Quam egregie suo defunctus sit officio *Covelius*, testis est liber elegantissimus, de Ecclesie Græcæ statu & doctrina, ab eo conscriptus. Nihil autem apud optimos Græcos invenit, quod Transubstantiationi Pontificiorum faveret. *Caput XII.* producit bene multos recentiores Græcos, contra Transubstantiationem, in medium testes, & castioris doctrinae vindices. pag. 411. usque ad finem. Horum e veritatis testimonio numero sunt *Nicolaus Cabasilas, Marcus Eugenius Ephesus, Ieremias II.* Patriarcha, *Metrophanes Critopulus, Christophorus Angelus*, alii. Confirmatur his Græcorum recentiorum testimoniis, non deesse Ecclesie Græcæ viros, qui patriam defendant doctrinam. Commendandus est hicce libellus, non mole, sed præstantia argumenti, magnus, & multæ lectionis, linuati animi, & veritatis nostræ dextre defensæ testis.

ESSAI SUR LE CARACTERE DU GRAND
Medecin &c.

i. e.

TENTAMEN, DE CHARACTERE MAGNI MEDICI,
seu Elogium criticum HERMANNI
BOERHAVII.

Coloniz, plag. 10. in 8. 1747.

Quantum labore studiisque suis magni homines vivi aliis profunt: tantum exempla illorum, si posteris tanquam in illustri quodam loco ad intuentum proponantur, valent ad animos,

animos, laudabili quadam æmulatione, accendendos & incitandos, ut paria iis facere conentur. Numquam igitur defuere, qui egregiorum virorum merita resque gestas ad posteritatis proderent memoriam; sed non eandem omnes rationem iniere. Fuerunt enim primo, qui de vitis illorum rebusque gestis exponerent; quæ ratio facile antiquissima esse videtur: fuerunt deinde, qui non vitas modo laboresque enarrarent, sed singulas quoque eorum actiones ad examen revocarent, virtutes e causis suis, tamquam stirpe, ducerent, vitia illorum ac peccata, sed sine ullo partium studio, aperirent: fuere tandem, qui datum id sibi putarunt, ut formas morum, χαρακτήρας Græci dicunt, adumbrarent, ac potius quales fuerint, quam quid egerint, persequerentur. Atque horum etiam vestigiis Auctor prudentissimus libelli, cuius supra indicem posuimus, ingreditur, ductus partim amore animique memoris studio erga medicum ævi sui maximum; partim cupiditate, tanti viri exemplum sibi aliisque medicorum filiis utile reddendi, immo illud ad fructum omnium eruditorum, ipsiusque medicinæ honorem conferendi. Quem eum laboris sui finem consequutum esse, facile intelligent omnes, qui ipsum eius scriptum perlegerint. Constat illud duabus partibus, *elogio* nempe *Barhavii* ipso, & *supplementis* quibusdam. Illud quidem tribus includitur capitibus, quæ articulos vocat, quorum *primum*, de *doctrina & modestia*: *alterum*, de *erroribus*: *tertium* de *fructu, quem cepit ex Barhavii eruditione ac scientia res publica & litterata & civilis, agit*. Ac doctrinam quidem ipsam duplici via investigari posse indicat: nempe e scriptis, scholis, quas habuit, ægrotorumque sanationibus: deinde, quæ ratio est multo expeditior, ex ingenii dotibus laboribusque summis viri incomparabilis. Quam viam quem ineat auctor, eluxisse, ait, in medicorum principe ingenium admodum vividum, sed cum iudicandi vi quadam incredibili coniunctum: cui accedebat indefessum naturæ investigandæ studium, quam, ut ille dixit, sæpe in ipso moliendo opere suo deprehendisse visus est; quamvis ea res obsepta sit difficultatibus maximis. Neque minus ardore sum-

mo instabat labori, eiusdemque rei pericula plura faciebat. Tanta igitur ingenii bonitate præditus, scientiam sibi facile in omni litterarum varietate exquisitam, acquirebat, earum maxime, quæ medicum & ornant & perficiunt. Cui rei erat indicio non vulgatis Latinæ Græcæque, immo Arabicæ etiam, linguarum, cognitio, matheseos scientia, historiarum naturalis intelligentia: & quum ad sanctiorem, initio, disciplinam appulisset animum, Hebraicæ quoque atque Arabicæ linguæ criticæque usum habebat egregium, historiarumque litterarum, ut medicinarum fontes posset aperire, operam non omnino nullam dederat. Quibus instructus prædiis, quantos vel in philosophia, vel in theologia, quæ artissimo vinculo medicinarum coniungitur, vel in ipsa denique arte salutari progressus fecerit, & per se intelligi facile potest, & copiosius, multisque rei argumentis allatis, ab Autore nostro probatur. Neque minus luculenta sunt modestiæ exempla, quæ ab eodem proferuntur in medium, sed quæ hic persequi necesse non est. Veniendum est ad alterum, quem vocat, *articulum, quo de erroribus Berhæwii* modeste exponit, quo refert primo, quod summus vir sæpe nimis videatur a disciplina recentiorum quorundam, sive systemate, ut vulgo dicimus, abhorruisse: antiquorum e contrario sententiis constantius, quam interdum res postulabat, adhæsisse credatur; tum etiam arcana quædam affectasse putetur, sed raro, & vix duobus aut tribus operum suorum locis. Quibus accedit mitius interdum iudicium de iis, qui artem exercebant chemicam, quam par esse aliis videbatur. Sed hæc omnia ita maxime ceteris incomparabilis viri virtutibus quisque facile donabit, ut vel mentis humanæ imbecillitas, vel labendi periculum, tanto quidem maius, quanto quis plura complexus est animo, vel ipse tandem infaustus adhibitiæ medicinarum effectus, (apud *Berhæwium* eo facilius, quo plures erant magisque diversi morbi, quibus curandis ipse manus admovebat.) fecisse maxime videntur, ut pronus quidem in ea lapsus, sed multo excusator esset: præsertim cum is tanta modestia, in ignorantia, erroris tenuitatisque suæ confessione, conspicua, rependeretur. Restat *articulus tertius, quo*

de fructu, quem aut rem publicam attulerit ille, de quo agimus, exponitur, quatenus erat & civis rei publicæ litterariæ, & doctor inclitæ universitatis eruditorum, & medicus. Sed hæc, quum nulla tam inculta sit terra, nulla tam barbara gens, quæ nesciat, copiosius exponere, nostri instituti ratio non fert. Liceat tantum, quæ ipse *Barbaavius* quondam publice de Albino, collega suo, dixit, hoc loco de ipso nobis repetere: „Talem habuistis, talem amisistis virum! Discite ex illo virtutem, & verum laborem, quæque his semper paratur, fortunam! Vitæ & studiorum rationem ad hoc viri exemplum componite! Ita cari Deo, hominibus utiles, honestæ laudis gloria immortales, & brevi hac vita, ingenuarum artium invento culta, omnem, pulcre merendo, posteritatem Vestram facietis memorem!“ Orat. VI. Opusc. p. 53. Reliquum est, ut de supplementis pauca dicamus. Continent illa 1) summam operis Anglicani (*An Account of the Life and Writings of Herman Barbaave, Doctor, in two Parts, with an appendix, London 1743. 8vo*, de quo pluribus auctor noster censuit in præfatione) de vita & scriptis *Barbaavii*, in quo de inventis medicis, ei tributis, agitur a pag. 173 - 183. 2) Summas epistolarum IX. *Boerhaavianarum* ad Regem Lusitanæ, de virtute radicis Nidfin, ad Mortimerium, R. S. Secretarium, de dotibus argenti vivi, de arboreto suo, rel. ad illustrem Baronem Bassand, Magni Ducis Hetr. Med. de vomica in pulmone, scriptarum. 3) Catalogum operum & genuinorum & spuriorum, titulumque prælectionum publicarum.

IOANNIS CHRISTOPH. KUHLEMANNI, BORUS-
so-Wesphali, Observationes quadam circa negotium
generationis in ovibus factæ. Editio
secunda.

Lipsiæ, apud Io. Christ. Langenhemium, 1754, 4.
 Plag. 8. cum fig.

Auctor noster, strenuus, perspicax atque gnavus absconditarum naturæ rerum observator, olim officio chirurgi legio-

gionis primarii, in exercitu Magnæ Rufforum Imperatricis functus, deinde Gottingæ aliquamdiu verfatus, tale fibi elegit speciminis inauguralis thema, quod & fummis in arte falutari honoribus maximopere dignum, & orbi erudito propterea gratum fore arbitramur, quum omnia, quæ de generationis negotio nobis innotuerunt, maximis premantur difficultatibus. Quod itaque in viviparis, & quidem a *Graafio* inprimis felici cum fuffeffu, in *cuniculis*, ab *Harveo* in *damis* & *cervis*, a *Verheyenio* demum in *bobus* atque *ovibus*, minus feliciter tamen; in oviparis vero a *Malpighio* olim fufceptum fuit negotium, nofter, fuperatis omnibus incommodis, quæ a propofito eum abftrahere poterant, & omnibus, tum impenfis, tum vero curis atque cautionibus adhibitis, ita perfecit, ut, repetitis breviter illis veterum æque ac recentiorum fententiis, de modo, quo conceptionem fieri, exiftimarunt, organique generationis femineis obiter delineatis, in quatuor fectiones egregie contextum opus difpofceret, quarum *prima* ea tradit, quæ in virginibus ovibus, æftrum venereum nondum paffis, obfervata fuerunt; *fecunda*, in illis occurrentia, quæ tempore ætus venerei iugulatae funt, atque rem cum caſtratis habuerunt, coitu vero fœcundo fruendi occasione deftituta fuerunt, enarrat; *tertia* deinde ea, quæ circa initium conceptionis animadvertuntur in ovibus, congreffum fœcundum paffis, pertractat; *quarta* denique illa, quæ poſt decimum feptimum diem in gravidis obfervata funt, atque magis ad progrefſionem fœtus ſpectant, abfolvit. Semper vero hac ratione concinne uſus fuit, ut præmitteret ea, quæ in ovibus gravidis hunc in finem iugulatis, ſimul horis congreffus præcedentis annotatis, deprehenſa funt, hiſce deinde ſuas ſuperſtrueret epicriſes. Obſervationum ſeries ſecundum ordinem, quo natura progreditur, deſcripta, & ea, quæ non ſolum circa ovarii pondus, diverſo tempore varium, ovulorum *Graafianorum* numerum, corporis lutei poſt conceptionem ortum, augmentum, mutationem, ſed etiam de origine ovuli, vel formari incipientis, vel iam formati, ſedulo ubique, veluti in re tanti momenti decet, adnotata funt, iſtam habent vim,

ut quemvis instruere, & quodammodo ostendere possint, quænam, de conceptione adhuc formatæ, hypotheses, veritatis speciem habeant, quæve ingeniosæ magis, quam ipsis observatis congruæ. Sic ex compluribus repetitis dissectionibus patuit, non ad uteri cavitatem, multo minus ad tubas, *Fallopianas* dicunt, vel ipsa ovaria, semen in substantia penetrasse, sed probabile nostro videtur, auram halituosam, secundum coagulationis aut præcipitationis leges, in animali corpore tamen cautius adsumendas, id præstare, quod aliis ex femine ipso, vel animalculis spermaticis fieri existimatur. Hinc clarissimorum vivorum, *Andry*, *Buffoni* aliorumque hypothesès facile corruunt. Quæ deinde eruditus *Kublemannus* noster de origine, progressu, decremento, de structura, & tandem de usu *corporis lutei* partim observavit, partim ex observatis sibi persuasa habet, per multum ea ab aliorum abhorrent sententiis, præcipue tamen origo aliter fuit observata, quam vulgo hæc res credita fuit. Nam plerique in ea fuerunt persuasione, corpus modo dictum, vel ante, vel statim post coitum fieri, exque hoc iam formato, ovum, apertura facta, demum erumpere, cum e contrario ex factis observationibus auctoris constiterit, hanc papillam sensim generari ex Graafiana vesicula rupta, & natam iam deprehendi, antequam ovum verum, in uteri cornubus productum, animadverti potuerit. Tandem ipsa ea, quæ circa ovi sive fœtus formationem accidunt, eo ordine probe observata, eleganterque & accurate ita descripta sunt, prout ex informi massa subinde melius exarari incipiunt, & postremo in animalis veram formam rediguntur. Res ob impensas & incommoda, quæ labores hosce comitantur, pluribus observaturis tædii forsân plena futura, a plurimis tamen, quin omnibus legetur maxima cum voluptate, qui modo naturæ penetralia propius accedere satagunt. Laudem omnino meretur clar. Auctor, suis laboribus indefessis æqualem, in quibus describendis tanta usus est modestia, ut nec ipse pro completa fœtus historia haberi velit hæcæ observationes, atque adeo impigre apud animum constituerit, alio tempore observationum augere numerum, &

hanc

hanc materiam in his animalibus plenius pertractare. Optamus itaque ei, & vires ad operosum hoc negotium, & æque felicem successum, sicque speramus magna luce illustratum iri obscuram adhuc generationis historiam.

Anleitung zur Marktscheidkunst, &c.

h. e.

INTRODUCTIO AD GEOMETRIAM SUBTERRANEAM, quoad eius theoriam & praxin.

Dresdæ, 1749. 8.

Etsi habentur iam geometriæ subterraneæ elementa, noviter etiam a mathematicis in eam, quæ scientias ad quantitatem spectantes, decet, formam, redacta, Cel. Weidlero & Leonh. Christ. Sturmio, auctoribus; tamen uberior in eam introductio, mathematici opera tradita, fuit adhuc in desideratis, eoque magis hunc laborem suscipi a quopiam optandum fuit, quod antiqui de hac re scriptores, non commodissimas accuratissimasque operandi regulas tradant, sed recentioribus temporibus adiuventur. Voigtelius vero, quem principem habemus huius artis scriptorem, non aliter eam tradit, quam uti solent agrimensores suam artem docere. Egregie igitur & de litteraria republica, & de re metallica meritis est generosissimus huius libri Auctor, Dom. ab *Oppeln* S. R. Maiest. Polon. & Elect. Saxon. a Consiliis, quæ vocant, Commissionum metallicis, analyti triangulorum olim edita, iam clarus, quod omnia ad geometriam subterraneam spectantia, concinno ordine, & eo, quo possit nexus omnium inter se & cum geometriæ contemplatricis, quæ huc pertinent, enunciatis, perspicui, explicaverit. Absolvitur autem opus duabus sectionibus. Prior ex arithmetica & geometria, quæ potissimum hanc artem exercituro scitu necessaria sunt, enarrat. Non tamen vulgatas maxime operationes arithmeticas, sed difficiliores paulo, aut minus saltem cogitas, ad radicum extractions spectantes, logarithica-

micas, ad fractiones decimales pertinentes & similes docet. Deinde, quoniam elementa Euclidea scribere animus non fuit, geometrica sine demonstratione, concinno tamen ordine traduntur, opusque habuit A. plura ex geometria solida, de situ potillium planorum, excerpere, in vulgaribus geometriæ elementis non semper obvia, quia venarum quas vocant (*der Gänge*) positus sine his cognosci nequit. Altera libri sectio praxin docet, & primo quidem capite de instrumentis agit, quæ describantur, aeri incisa exhibentur, diiudicantur, & sæpius emendantur. Nam inter alia, duo proponit instrumenta ex eorum genere, quibus in fodinis ferro lætis utuntur, quando acum magneticam adhibere non licet, ita comparata, ut accuratius, quam vulgatorum ope fieri solet, illarum ope dimensiones perfici possint. Secundum caput, quæ ad situm venarum, tum quoad plagas mundi, tum quoad inclinationem versus horizontem (*streichen und fallen der Gänge*) pertinent, explicat, pluresque notiones tradit, non solum rei metallicæ studio necessarias, sed a quovis etiam naturæ scrutatore non sine turpitudinis nota ignorandas. Curiosum est, & sublimioribus scientiis deditos delectaturum, etsi nihil ad praxin faciens, quod generosiss. Auctor observat, sed omissa demonstratione aut analysi, qua id reperit, saltem commemorat. Ponatur vena (*ein Gang*) semper in eadem hora (*der beständig in einerley Stunde fortstreicht,*) & versus centrum terræ sine fine progrediens, & a quovis in eo adsumto puncto, eundem inclinationis ad horizontem gradum (*einerley Grad der Fallens,*) in quavis infra hoc punctum adsumta profunditate retinens, huius quidem venæ sectio verticalis erit spiralis logarithmica, & horizontalis, loxodromica. (*er fällt in der logarithmischen Spirallinie, und streicht in der loxodromischen Linie zu Tage aus.*) Tertio Capite de eis, quæ in actualibus dimensionibus perficienda sunt, (*von Verrichtung und Einschreibung der Züge*) agit, quantum horum applicatio ad varia problemata in re metallica obvenientia solvenda conferat, edocet, ubi, quod methodum & principia rectius tenet generos. Auctor quam vulgares geodætæ subterranei, effectum, ut plura problema-

blemata, ab iis veluti distincta tradita, hic geometrico more enuntiata, in unum coaluerint, omniaque potuerint & breviter magis & luculenter tradi.

Adiectæ tabulæ sunt logarithmorum usque ad 20 000, finium & tangentium, artificialium quidem, ut in vulgaribus tabulis, sed naturalium, ad commodiorem in hoc negotio usum, posito sinu toto 80 000, denique basium & cathetorum trianguli rectanguli in partibus centesimis digiti, pro singulis quinis minutis, inclinationis hypotenusæ ad horizontem.

PUBL. VIRGILII MARONIS BUCOLICORUM ECLOGÆ Decem. The Bucolics of Virgil with an English Translation &c.

h. e.

BUCOLICA VIRGILII CUM TRANSLATIONE ANGLICA, & NOTIS IOANNIS MARTYN, Professoris Botanices in Academia Cantabrigiensi.

Londini, 1749. fol. min. Alph. 3. plag. 18. cum iconis Virgilii titulum ornante, & 4. figg. æri incis. illumin.

Eadem hic via pergit laudatissimus Editor, quam in Georgicis edendis inierat: unde, quæ de his generatim dicta sunt, non putamus repetenda. Præfatio, de poetæ bucolica ita exponit, ut primo laudes eius prædicet, deinde in originem inquirat, tum vero naturam & virtutes talis poetæ ostendat, dum viris præcipue illis ductoribus, Theocrito & Virgilio. Hos dum inter se comparat, docet simul, non eandem ubique ruralis & pastoralis musæ faciem esse. Et nitidior sane forma ipsam decuit, ubi viri morum elegantia, doctrinæ copia, & rerum gestarum fama clari, atque egregii, ruri colendo dabant operam, quam ubi Siculi bubulci erant introducendi, ge-
Z
nio,

nio, moribus, & lingua, illis multum dissimiles. Sic, facili negotio, præcepta criticorum inter se conciliari poterunt. Præfationem vita Virgilio excipit. Ita Noster eam elaboravit, ut, quæ vera, genuina, & utilia iudicaret, in unum corpus congereret; atque huic, tanquam textui, reliqua in notis subiceret, quæ vel dubia, vel fabulosa, vel minus utilia esse arbitraretur. Præcipue operum Virgilianorum historiam ex antiquis monumentis eruit. Aliorum opera utitur quidem, sed tamen ita, ut suus labor, copia, crisi, & usu, ceteris, quæ huc pertinent, enarrationibus, facile sit præferendus.

Præcipue primam eclogam binæ tabulæ geographicæ ornant, quarum prior Parthorum regnum, Galliæ partem altera, oculis lectorum subicit. Ex annotationibus pauca hinc inde delibasse sufficiat.

Ecl. I.

Sub nomine *Tityri*, Virgilium de se ipso loqui omnium fere interpretum communis est sententiæ. Nostro displicet, quod in prima ecloga Tityrus ille ut senex proponitur, cum Virgilius tunc nondum tricesimum ætatis suæ annum attingisset: in eclogis autem, quinta & octava, ut vilis servus depingitur, qualem Virgilius se ipsum vix ac ne vix quidem vocaverit. Fortasse Virgilius non hunc vel illum indigitare voluit: sed generatim loquitur. V. 13. legit, *protinus*, non *protenus*, idque interpretatur per *valde*, aut *omnino*; quod ut evincat, omnia loca profert, in quibus eadem vox a Virgilio adhibetur. *Nonium Marcellum* sequitur. V. 35. *ingrata*, Nostro idem est ac *infelici*. V. 31. 37. *Amaryllis*, *Ruao*, quem Noster sequitur, amasiam quandam Virgilio videtur denotare. Præter rationes a *Ruao* opportune allatas, hanc saltem addere liceat: adulari pastorem hac ratione tanto magis Cæsari Augusto, dum id se deseruisse affirmat, quod carissimum sibi fuerit, ut Cæsarem modo videret, qui unus felicem reddere possit. Deinde usus pastorum, qui plerumque amabant, allegoriam dissuadet. Non ignotum fuisse Melibœo amorem Tityri, patet e v. 5. Nec igitur, quod Noster vult, nunc demum illum detexit. Iter potius Tityro susceptum, a Melibœo ignorabatur; & hoc ipsum v. 37. innuitur, ut etiam e v. 39. 49. patet. *Ruao* hoc iam vidit.

vidit. *Amaryllis* copiam Tityro dabat, Romam eundi, tum, quod, prudentia valens, videbat, magis e re sua & Tityri esse, hic si Romam iret, atque restitutionem agelli posceret; tum etiam, quod minus, ac Galatea, imperiosa fuit, nec tam lucri cupida. Quomodo, v. 63. *Araris* ad Germanos, aut *Tigris* ad Parthos, spectare potuerit, ex auctoribus copiose exponitur, nec de industria poetam halucinatum esse affirmatur. V. 70. *Aristas* pro annis sumi, strenue defenditur. V. 81. per *castaneas molles*, Virgilium assas intellexisse castaneas; per *pressum lac* autem, coagulum, ex quo caseus fit, non caseum ipsum, Noster autumat: motus verbis ipsius Virgilii, Georg. III. v. 400-403.

Impuro pueri cuiusdam amore Corydonem flagrare, ipsius Eclogæ II. docet argumentum: sub Corydonis tamen nomine Virgilium latere, & sub nomine Alexis Cæsarem, vel Alexandrum, vel alium quendam, Nostro nemo facile persuaserit. Fictas inducit personas poeta, sibi ipsi magis constans, quam ut se, Protei instar, in diversas formas mutet, seque in prima eclogæ, ut senem & pauperem, hic ut iuvenem & divitem, in tertia eclogæ dein, sub persona Damœtæ, ut rixosum & invidia plenum, &c. describat. *Theocritum* imitatur Virgilius in eclogis, & hunc superare studet, non suos amores, nec sua facta, descripturus. *Theocritus* vero ipse, in *Eraсте* neminem nominat, sed in genere loquitur, & fictam personam inducit. Ita & *Catrou* merito reprehenditur, qui *Teslylin*, Virgilii matrem fuisse, ex cerebro suo finxit. *Ligustrum* Noster v. 18. ita interpretatur, (per *privet*), ut nunc plerique omnes. Nec tamen iis se multum opponit, qui convolvulum, vel *synlacem* esse putant. Posterior interpretatio verbis Virgilii magis convenit: prior descriptioni *Plinii*, qui arborem vocat. *Lac novum*, v. 22. colostrum significare non posse, fere nimis fute probat. Vocem *acteus*, v. 24. derivat ab *acta*, quod vocabulum littus maris significat, & interpretatur de monte ad littus maris usque protenso. V. 29. fere dubius hæret, num interpretari debeat: vulnerare cervos, an vero, agere furcas in terram, ad fulciendas casas: *Cervus* enim utrumque signifi-

Ecl. II.

cat. Vertit tamen priore sensu. V. 30. per *bibiscum* intelligit virgulam, qua pecus agitur. Qualis autem proprie fuerit planta, & num eadem cum althæa, non audet definire. De *Pane* affert, quidquid veteres de hoc Deo fixerunt, eumque, cum insignibus, æri etiam curavit incidendum. V. 36. per *acutam* quemcunque intelligit caulem cavum & canaliformem. V. 46. *La Cerda* sententiam fusius expendit, qui *calathum* de corymbo floris interpretatur, ut *lilia alba, inodora, flore pleno* H. R. Par. per Virgilii *lilia plenis calathis*, intelligi possint. Per *pallentes violas*, v. 47. quas antea putaverat esse *violas bicolors arvenses* C. B. nunc intelligit *leucotum*, quod *λευκονιον*, s. *violas albas*. Ubi de *papavere* agit, de platagonia etiam, telephilo, & platagmate Theocriti, quædam affert non iniucunda. De *caltha* fusius disputat, & illum florem esse pronuntiat, quem Angli *the common marygold*, botanici autem adhuc *caltham*, appellant. Hunc, & septem flores præcedentes, in tabula coniunctim depictas exhibet. *Cana mala*, v. 51. esse illa conicit, quæ alias dicuntur præcocia, (*Apricosen*): cydonia enim esu nimis austeri sunt. Nec tamen certi quid audet definire.


Ecl. III. Per *vitem*, v. 38. cum *Ruas* Noster intelligit vimen hederæ, cum *Plinius* etiam apocyno *viticulas* tribuat. De *hedera* ipsa e *Theophrasto*, *Dioscoride*, & *Plinio*, satis multa affert. Tertium *Theophrasti* genus, quod *belix* vocatur, ad primum eiusdem genus, nigram nempe hederam, dum hæc fructus nondum fert, esse referendum, ex ipsius Theophrasti verbis eruit. *Hederam albo fructu*, ignotam sibi esse fatetur. *Alterum* in poculo Menalcæ, v. 40. fuisse *Aratum* contendit; qua data occasione, non de hoc tantum fere exponit, sed etiam de *Archimede*, *Ptolemao*, *Eudoxo*, *Hesiodo*, *Anaximandro*, quum hi omnes a nonnullis sub hoc altero Menalcæ fuerint intellecti. V. 62. ubi certamen poeticum instituunt Damætas & Menalcas, sub censuram Noster vocat receptam fere omnibus sententiam de *versibus amæbeis*, alterum nempe priori, nisi superiorem, æqualem certe etiam in rebus esse debere. Hoc, Noster ait, priori semper fere victoriam con-

conciliaret, ut in praesenti etiam exemplo, ubi Damocetas æquari a nemine potest, dum a numine supremo initium facit, quod omnia implet, atque cui, teste *Horatio*, nihil potest comparari. Hanc potius regulam amœbeæ poseos esse pronuntiat, ut alter dicentium totidem semper versus, ac prior, recitet; verum tales, qui cognatum quid contineant verbis prioris, victoriam autem illi fuisse adiudicatam, qui optimos versus recitaverit. Sic Damocetæ versus v. 64. 65. Noster præfert Menalcæ verbis v. 66. 67. & putat, Galateam modo magis iucundo, scito, & naturali agere, quam Amyntam, nimis prompte se ipsum offerentem. *Palumbæ* Latinorum v. 69. & *Παλίς* Græcorum, eadem, secundum nostrum, est avis, ac illa, quam Angli *Ringdove*, & nos *Ringeltaube* appellamus, maximaque est e genere columbarum. *Aristotelis* *πάλια* est columba saxatilis, (*rock-pigeon*) *ωνας* est *vinago*; (*stockdove*, seu *wood-pigeon*), *τεγγων* est turtur; *περιστέρα* est vulgaris columba. Per *aurea poma*, v. 71. mala punica Noster intelligit, non sine magna veri specie. In hoc tertio conflictu Menalcæ palmam tribuit, qui poma iam donaverat, cum Damocetas aves suas donaturus esset postea. In sequenti congressu Damocetæ victoriam concedit, ut & v. 76-79. Aequales sunt v. 80-73. Vincit Menalcas v. 84-87. Versus 85. & 86. de *Ambarvalibus* Noster interpretatur: tunc enim diis sacrificia offerebantur. De *amomo*, v. 89. multa disputat: nihil definit. *Mævium*, v. 90. antagonistam Pollionis fuisse putat, suos tamen habuisse amicos & admiratores: *Bavium* autem omnium consensu pessimum fuisse poetarum; Virgilium igitur sic punire voluisse Mævium, ut satyricè Ravio ipsum compararet. V. 91-99. varias noster allegorias, quæ finguntur a nonnullis, affert, & reiicit. V. 104 105. ænigmatis a Damoceta propositi nova nos donat solutione, & de globo cœlesti illud interpretatur, eodem fortasse, de quo v. 40. poeta locutus fuerat. V. 106. 107. cum reliquis interpretibus fere omnibus de hyacintho intelligit. V. 111. se ipsum *Palæmon* intelligere dicitur per *prata*: per *rivos* autem poëta aliorum, ut Deut. XXXII. 2.


Ecl. IV. V. 8. Per *Virginem*, ut alii commentatores, iustitiam intelligit: nova tamen coniectura putat, *Astram* ipsam appellatam fuisse a patre Astræo, voce adiectiva, non nomine substantivo proprio. Per nasciturum *puerum*, v. 8. cum *Catrovo*, *Marcellum* intelligit. Et quem, quæso, alium potuit, si de infante nondum nato dicere aliquid certi fas est? Miramur certe, ante *Catrovum* neminem alium hanc fovisse sententiam, cum ipse Virgilius toties de Marcello sermonem instituat, adhæc Romani spes de Octaviæ filio talem conceperint, qualem de alio nemine. In chronologiam noster cum *Catrovo* præcipue inquirat, omniaque videt mire conspirare. Novam hæc occasione coniecturam proponit. Nimirum *Dio* nos docet, Mæcenatem consilium dedisse Augusto, ut leges de ætate magistratuum mutaret. Nunc Noster sumit, Augustum legem tulisse circa A. V. 725: ut quæstor XXIII. ædilis autem XXVI. annos natus esset; A. V. 730. ad ædilitiam dignitatem evehere voluisse Marcellum, XVI. tunc annos natum: ad quæstoriam autem Tiberium, qui annum agebat XVIII; ut igitur utrumque fieri posset, illi concessisse, ut X. ante statum tempus annos ædilitiam peteret: huic autem, ut V. annos ante iustum tempus idem circa quæstoriam faceret. Sic Marcellum natum oportet circa finem A. V. 714. quo hæc ecloga scripta fuit. Nec, nisi hæc coniectura locum inveniat, Tiberius A. V. 730. quæstor fieri potuit, quod tamen factum legimus. Sub *Lucina*, v. 10. Octaviam *Catrovum* intelligit, sub *Apolline* Augustum, sine multa veri specie, ut noster bene observat; Pollionem potius Apollinis nomine hic ornatum fuisse autumat, cum ipse maxima tunc auctoritate gauderet, amicus esset Antonio, & hunc cum Augusto conciliare studeret; Augustus autem hoc tempore non regnaret, certe non solus. Ad v. 15. 16. notatur, Augustum forsan adoptasse Marcellum, quod etiam fieri potuit ante natum infantem. Vel uterque, & Antonius, & Augustus, ipsum heredem constituerunt suum. Hinc ad deos referri potuit Marcellus. Sed procul dubio ad imitationem tantum versuum Sibyllæ hæc dicta, & inde sumta sunt; quod noster deinde ipse

ipse concedit. *Patriis virtutibus*, v. 17. significat, virtutibus Augusti, ut Noster putat. Quid sit *baccar*, v. 19. non audet definire. Potest tamen esse *baccar Matthioli*, quod idem esse videtur cum *blattaria purpurea* C. B. De *colocasia*, v. 20. quæcunque potuit reperire, noster affert. Est *Arum maximum Aegyptiacum* C. B. nunc ab Aegyptiis *Culcas* appellatum. *Acanthus* est acacia. *Amomum*, v. 25. quod certe fuit planta Medix & Armeniæ, hic Assyriaca dicitur, quoniam Media & Armenia olim ad monarchiam Assyriacam pertinuerant. Sub *parente* v. 26. Augustus intelligi videtur. *Mollem arisiam* noster interpretatur de duro illo vallo aristarum, quod Cicero appellat, & quod arcendis avibus inservit, aurea vero ætate redeunte, non amplius necesse erit, unde tunc vere molle & tenerum, non amplius durum tactu, futurum est. *Lusum* v. 44. eandem putat cum luteo Vitruvii, & lutea Plinii, esse herbam, quæ a recentioribus luteola (*wild wood, dier's weed, vel wood*,) appellatur. De *Sandyce*, v. 45. agens, in Plinium, Servium, la Cerdam &c. animadvertit, qui herbam esse pronuntiant, cum potius sit adulterina sandaracha Plinii. Vox *mutare*, v. 50. de mutatione in deterius, nunquam in melius, accipitur. Poeta igitur sic alloqui puerum nascentem videtur: aspice, quantis malis mundus laceretur; ita, ut fere interitum timeat. De te autem aliquando lætabitur, quum in virum adoleveris. *Risum*, v. 60. de matre ridente noster intelligit. Versum 63. sic *Rucus*, & noster, interpretantur: Non vitam Deorum vives, quoniam nec Iupiter ad mensam te adhibebit, nec ulla Dea te in lectum admittet, nisi matri arriferis.

Menalcas & *Mopsus*, nec Virgilius & Macer, nec Ecl. V. Virgilius & Alexander, sed fide potius, Nostro, sunt nomina. Postea tamen, ad v. 48. & 52. sub *Menalca* nomine Virgilium intelligi fatetur. Patet hoc, ut nobis videtur, ex v. 86. 87. *Labruscam* v. 7. de vite sylvestri exponit, quæ vera vitis est, sine cultura. *Salunca*, v. 17. fortasse Nardus Celtica erit, aut Aliungia Dioscoridis, species Valerianæ. Sub persona *Daphnidis*, v. 20. Iulium Cæsarem denotari putat, vulgarem opinionem amplexus: sub *matre* autem eius, v. 23. Venerem.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

rem. Ut hoc evincat, omnem movet lapidem. Nobis adhuc mera imitatio Theocriti videtur, præcipue ob v. 52. & 54. Num enim Cæsar puer obiit, aut Virgilium amasse legitur? Deinde Iulium sidus hic nullibi allegatur, quod tamen res ipsa poscebat, & alibi semper factum est, ubi de Cæsaribus apothecii poetæ sermonem instituunt. Omnia melius fortasse de Marcello exponi possunt, & tunc mater Octaviam denotaret. Ita seriùs scripta esset hæc ecloga. *Paliurus*, v. 39. est *Rhamnus folio subrotundo, fructu compresso C. B. (Christ's thorn)*. Per *magilbrum* Noster intelligit Theocritum, non, ut Catrovus, Menalcam, nec Iulium Cæsaarem, quod vult Ruzus. *Intonsos montes*, v. 63. de sterilibus interpretatur, ubi nec pecora pascunt, nec aliquid metitur. Ad v. 86. 87. data occasione, de ætate eclogarum præcedentium, & huius, exponit. *Tityrus* scriptus videtur A. V. 713; *Pollio* A. V. 714. *Daphnis* A. V. 712. *Palamon* A. V. 711. *Alexis* A. V. 710.

Ecl. VI. Illa, quæ *Sileni* nomen præ se fert, ecloga, A. V. 714. videtur esse scripta. Noster *Q. Atium Varum* illum esse putat, quem poeta hic, v. 7. alloquitur. Sub *Sileni* nomine, v. 14. Sironem philosophum latere, contra Servium & Catrovum doctè negat. Silenus potius ille, satyrorum Deus, ex traditione introducitur, & historia narratur ante Virgilium non ignota, ut ex Theopompo patet, quem Servius ipse citat. V. 74. Noster legit: *ut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est*, auctoritate binorum MStorum, a *Pierio* citatorum, ut ita duæ *Scyllæ* distinguerentur, altera filia Nisi, Phorci altera.

Ecl. VII. In *Melibæo* personas introduci fictas, ad imitationem Theocriti, contendit Noster, contra commentatores fere omnes. A. V. 716. scriptam esse eam eclogam autumat, hac sola ductus ratione, quod aliud nihil a Virgilio scriptum hoc anno reperitur. *Sardoa herba* sunt *Ranunculus palustris, apii folio, lanuginosus C. B. Somno mollior herba*, v. 45. ex Theocrito, & natura rei, rectè ita explicatur, ut *sumno* sextus casus esse affirmetur, non tertius. Comparatur hæc Latina dicendi formula cum Anglica: *downy sleep*. In certamine hu-

huius eclogæ poetico, primas ubique tenet Corydon, si excipias v. 53. 60.

Polliōni sacram Noster esse vult Eclogam octavam, non Augusto, ut *Catrovus*, & quidam alii. Scriptam igitur esse putat A. V. 714. vel 715. cum Parthinos Pollio domaret. Verba v. 11. optime ita interpretatur, ut sint blandimentum satis commune, non autem sic intelligenda, ac si Virgilius, ut primum, sic & ultimum, poema eidem, ad quem hic loquitur, sacrare voluisset; unde nonnulli vane concludunt, Augustum hic indigitari. *Alter ab undecimo*, v. 39. est decimus tertius, V. 44. Auct. legit: *aut Tmarus, aut Rhodope*, non, ut plerique, *Ismarus*. V. 87. legit: *in ulva*, non *in herba*. Occasione *imaginum* v. 80. quas ad incantationes adhibet mulier, de variis huc pertinentibus ex antiquis auctoribus, tum etiam ex regis *Iacobi I. demonologia*, multa profert, lectu non iniucunda.

Mæris quæ inscribitur, Ecloga, scripta videtur A. V. 713. *Mæris* procuratorem Virgilii fuisse, cum Servio Noster etiam arbitratur: non patrem poetæ, ut vult *Catrovus*. *Menalcam*, v. 10. esse Virgilium, veri putat simillimum. Gloriaripotius aliquo modo, quam vere modestus esse, *Lycidas* v. 32. seqq. videtur. Spem facit, referre se posse gratiam cantando non minus, quam alterum. Per *Varum*, v. 35. non, ut alii interpretes, fere omnes, poetam Varium Nost. intelligit: sed *Varum* eundem, de quo antea, & Ecl. V. sermo fuerat: per *Cinnam* autem iterum non poetam huius nominis; sed *Lucium Cinnam*, Pompeii nepotem. Et sane res ipsa hoc suadet, neque poëmatum aliam interpretationem vix admittit. Respondet enim *Lycidas* ad verba *Mæridis* v. 26. *Inserere* v. 50. idem esse, ac plantare, docte probatur. *Aequor* v. 57. denotat lacum prope Mantuam: quod etiam vult *Catrovus*. *Stringunt* v. 61. post adductam longam librorum & opinionum seriem, per *amputant* exponitur.

Nostri nec poenitet illas, v. 16. hypallagen Martynus putat, pro: nos non poenitet illarum; quod etiam scholiastes Horatii

ratii vult ad L. I. Od. 28. Comparat hæc verba cum primis versibus eclogæ VI. & sic interpretatur: non pudet poetam ovium: nec igitur pudeat Varum laudis bucolicæ. *Lycoris*, v. 22. plerisque est Cytheris, alio nomine Volunnia, mimica uxor Antonii, ut Cicero illam vocat. Antonium *per horrida castra* secuta putatur; sed Noster dubitat ob temporis rationes. Negat porro, Lycoridem eandem esse eum Cytheride, quum poeta stolidum, erga infamem mulierem, Galli amorem, vix celebraturus fuerit. De *ferula*, v. 26. tum & de *ebulo & minio*, v. 27. doctè Noster disserit. Scriptam esse putat hanc eclogam initio Anni Urb. 717. Tum enim amici Augusti, quos inter Gallus erat, deprædationibus Pompeii ut resisterent, in armis, & inter hostes, detinebantur v. 44. sqq. alter autem consul, Agrippa, in Galliam & trans Alpes, profectus erat. Glacies etiam & nives a poëta memoratæ, huic tempori apprime conveniunt.

In fine operis adduntur quædam in Georgica annotationes *Ed. Kingii & Guil. Greenwoodi*, post excerpta iam typis Georgica, Nostro transmissæ. Ultimas paginas implet index rerum & verborum.

BIBLIOTHECAE REGIAE STOCKHOLMENSIS,
historia brevis & succincta, auctore MAGNO
O. CELSIO, Bibliothecario
Regio.

Holmiæ, typis Laurentii Salvii, 1751, 8.

Plag. 14.

Non æquos semper sincerosque doctrinæ suæ iudices expertæ sunt gentes, ad septentriones remotæ, quos vel placare sibi, vel edocere rectius, ratione non alia facilius poterunt, quam ostendendo, ita de finibus litterarum profectis omnino tempore se, maioresque suos, fuisse sollicitos, ut
 cum

cum aliis omnibus, ea in re, de palma contendere facile possint. Quæ res movere Sueones etiam videtur, ut, quas con-
 gesserint opes literarias maiores sui, eas non minus, quam
 triumphos eorum victoriasque, orationis luce illustrare, atque
 ad ævum ita propagare studeant. Itaque cum *O. Celsus*, V.
 Cl. nostri frater, Upsaliensis Academix bibliothecam, omnium
 eruditorum velut oculis exposuisset; committendum *Magnus*
Celsus, vir doctus, non putavit, ut Regia, tot Germanix nostræ
 spoliis olim locupletata, tot monumentis, regali munificentia
 undique conquisitis, aucta, oblivione sepulta iaceret, hoc præ-
 fertim tempore, quo regis optimi liberalitas novum ei, post
 varias vicissitudines, splendorem pollicetur. Nobis quidem
 hac in re non dignitati modo bibliothecæ regix, sed patriæ
 suæ universæ laudi servire apprime visus est: quoniam ita
 maxime Sueones ingeniis honestisque disciplinis existimamus
 fuisse, ut reges suos in ornandis iis, amplificandisque Mu-
 sarum templis, maxime videbant occupatos esse. Eruditio-
 nis vero bibliothecarumque, apud cives suos, originem, non
 ab antiquissimis inde temporibus arcessendam putat; etsi
 nunquam eos doctrinam exotos esse; sed ab Odini tempore,
 h. e. a seculo primo p. C. N. exeunte, suas sibi litteras ha-
 buisse, quas *fraginci tabulis, celebri quondam chartarum gene-
 ri*, ut *Saxo* ait, H. D. IV. inscriberent, ostendat. Neque ante
 sacrorum emendationem ullam in Suecis congestam esse bi-
 bliothecam confirmat, quæ præter *glossas, rosaria, summulas*,
 aliasque huiusmodi lautitias, aliquid, ad memoriam insigne,
 contineret; & nisi annales consignassent religiosi eius tempo-
 ris cælibes, quorum in patria ævi mediæ historia usus est præci-
 pius, parum gratiæ retulissent populo, suis ipsos alenti sumti-
 bus. *Gustavo* vero I. rerum potito, litteræ per Germaniam
 lætiores efflorescebant; qua re motus ipse non tabularium
 modo sacrum, quod *cancellariam antiquam* illo tempore, ho-
 die *Archivum* dicunt, ordinavit: sed litterarium etiam cum
Melancthone ac *Lutbero* commercium coluit, & bibliothecæ
 fundamenta iecit. Eodem tempore in Sueoniam ars, machi-
 nis

Pag. 2

3

7

- nis exscribendi libros, penetraverat, primusque, qui prodiret,
 Pag. 9. liber, fuit *Dyalogus creaturarum moralizatus* 1483, i. e. apolo-
 gi, ad modum lepidæ vulpeculæ *Henrici Alcmariensis*, conficti,
 11. quos edebat *Jo. Snell*, in quaternis. Successor eius, *Ericus*, ut
 ipse in primis amabat litteras, ita eum paternum librorum ap-
 13. paratum, opera *Dionysii Beurci*, usum amplificasse, non im-
 merito suspicatur auctor. *Ioannes*, qui linguarum peritia
 omnium ætatis lux regum facile princeps erat, bibliothecam,
 einta insigni librorum optimorum multitudine, locupletavit
 diversis temporibus; maioribus etiam copiis eam aucturus, ni-
 si, Polonicæ uxoris inductus illecebris, Pontificiis favisset,
 17. remque sacram Sueonum subinde turbasset. Sub *Sigismundo*
 cum non tranquillior esset reipublicæ status, Ignatianique fo-
 dales migrare passim veteres colonos iuberent, opes litterariæ
 20. diripiebantur potius, quam augebantur. Felicior tamen aura
 sub *Carolo* rem publicam omnem aflavit, qui, *Sudermannia*
Dux, privatam habuit iam bibliothecam, *Stockholmensique*
 deinde *Jo. Thom. Bureum* custodem dedit, quem postea etiam,
 ad formanda *Gustavi Adolphi*, inventutis principis, studia adhi-
 26. buit. Successit ei *Gustavus Adolphus*, invictus heros, qui non
 solum *Upsaliensem* academiam egregie exornavit; sed avitam
 etiam instructissimamque bibliothecam suam eidem donavit.
 28. Filia eius, orbis arctoi *Minerva*, *Christina*, primo, demessa pri-
 stinæ bibliothecæ messe, spicilegium instituit, quod postea ma-
 nubus *Herbipolensibus* 1634. auxit; quibus deinceps biblio-
 thecæ *Benedictinorum Erbacii*, *Moravienfes*, *Aultriacæ*, do-
 42. mini *de Rosenbergo*, aliarque accesserunt. E *Pragensi* biblio-
 theca erat miræ magnitudinis codex in folio foliisimo, ut *Me-
 nagius* loqui solebat, membranaceus, CCC. amplius annorum,
 cui *Ferdinandus II. Imp. Aug.* alique viri principes, in me-
 moriam visi ab se tam portentosi libri, nomina sua inscripse-
 rant. Continet ille 1) *Vetus Testament.* latine; 2) *Iosephi An-
 tiquit. Iud.* L. X. 3) *Ei de bello & calamitatibus Iudaicis*
L. VII. 4) *Isidori, Epist.* L. XX. *de diversis materiis philosophi-
 cæ & medicæ.* 5) *Iohannis Iohannis, Alexandrini, de phi-*
 phi-

philosophica ratione. 6) N. T. vulg. edit. reiectis ad finem epistolis Pauli, cum Apocryphis, quæ ipsi attribuuntur. 7) Confessionem peccatorum. 8) Cosmæ Pragensis chronicon Bohemica. 9) Experimentum de furto & febre. 10) Calendarium Romanum. Integre pagine, quæ, magicis & nefandis actibus scaturierint, aliquibus locis erasas esse nonnulli suspicantur; quod in margine scriptum sit: *prohibita*; auctor vero, nonnulla folia, quæ id præ se ferre videantur, confessionem supra memoratam experimentumque, rubentibus litteris, vetustate nunc exesis, scriptum, modo continuisse indicat. Abduxit etiam a Pragensi societate Ignatiana *Henrici Ranzovii* bibliothecam Kœnigsmarkius, sex mille & quingentis voluminibus constantem. Neque minus *Francisci a Dietrichstein*, Card. bibliotheca in regiam immigravit. In Rosenbergia hodieque codex est librorum sacrorum, Bohemice scriptorum, cui *chronicon Zdiazenfe* insertum est, quod integrum auctor exhibet. In spoliis Germanicæ, *Ulpilæ interpretatio Gottho-Theotisca IV. Evangeliorum* eminet. Codex est IV. Seculi, a Kœnigsmarkio Praga reginæ transmissus, ab Isaaco Vossio deinde ablatum quidem, sed per *Delagardium*, bis mille aureorum pretio, ab heredibus Vossianis, redemptus. Alcoranum a Thracum Imperatore donatum esse hoc tempore Reginæ, fabulam pronuntiat: *Ferdinandi autem III. librum thematum* ad Sueonas pervenisse, hodieque ibi servari, testatur. Quantus eodem tempore concursus eruditorum hominum fuerit ad reginam, in vulgus notum est; quorum tamen præcipui ab auctore nostro commemorantur: quos statis diebus ad Freinshemium in bibliothecam convenisse, & de variis rebus, ad incrementa literarum spectantibus, sermones habuisse, docet. Agebat eo tempore thesauros literarios bibliotheca Bremensis, in qua maximi sibi habuit Goldastiani codices, numero duodetriginta; Sotinenfis, 1650. in Sueciam deportata; Vossiana; Grotii scripta inedita; Petaviana; pars Mazariniana, voci præconis subiectæ. Miratur auctor *heroismum novum*, ut vocat, *Augusti*, Ducis Brunsvicensis, qui vetuerat, ne quid ex illa venditione ad-

Pag. 45.

48.

107.

65.

73.

80.

53.

- veniens, suæ bibliothecæ sacra contaminaret. Desinet vero haud dubie mirari, si cogitabit, non nefas duxisse Principem optimum, auctoris lege, ut dicunt, libros sibi comparare; sed iniustum putasse illud summa per Galliam senatus decretum, quo vendi ea bibliotheca sub hasta iuebatur; ad quam sane accedere non magis sibi honestum ducebat, quam
- Pag. 89. Atticus quondam in illa civium proscriptione. Apportabat eodem tempore (1648) Nic. Heinsius ex Italia omnis generis codices raros, numos antiquos, marmora, statuas. De tabulis etiam, bello Germanico in Sueciam transportatis, copiose agit
95. Auctor. Variis itaque modis aucta bibliotheca, repente naufragium passa est maximum. Roman, cum domina, migrare iussa est, ubi primo *Holstenium*, deinde *Meibonium*, habuit custodes. De fati musei idem agit uberius, quæ repetere hic necesse non est. Parvæ vero, post abitum Christianæ, opes Sueonum litterariæ, incrementa nova capiebant sub *Carolo Gustavo*, quas ipse itinerario suo, Latine ab se scripto, amplificabat; deinde
131. vero Polonorum Danorumque, Stephaniana potissimum, Sorrenli, quæ Io. Meursii *avendætoris* superbiebat, Ringstedensique, maximo aere a Georgio Seefeldio undique collecta, bibliothecis locupletabat; quibus sub Carolo XI, in *magna illa reductione*, *Delagardiana* adiciebatur. Cuius regis tutores antea Sparmannianam etiam librorum supellectilem regis aggregaverant. Idem novum digniusque, in ipsa regia, domicilium musis assignabat, *Gyllenkouanam* bibliothecam ab heredibus *Bielkianam*que emebat, adeo ut catalogus bibliothecæ esset X. Voluminum; librorum vero numerus ad 23672. volumina, (exceptis Suedicis, mille voluminum;) & codices MSt. ad 1386. surgerent; Meursianis tamen in centum non relatis, vel editis illis, vel ineditis, quibus peculiare conclave assignatum erat. Sed hactenus de lætioribus bibliothecæ regis fati. Biduum ab obitu regis, Caroli XI. effluxerat, cum die VII. Apr. 1697. ferale incendium regiam, cum potiore librorum parte, in cineres fumosque redigebat. Qui incendium effugerant libri, catalogum 479. paginarum imple-

plebant, asportati domum *Lilji*, Comitis Illustrissimi, numero 6286. voluminum, 283. MStorum, 411. Suedicorum; præterea imagines virorum illustrium 122. capita, e marmore, antiqua undeviginti, statuae æneæ novem. Quo facto, annuam, ut tristem iacturam quodammodo refarciret, pecuniæ summam, ad coëmendos novos libros, summum regni consilium assignavit, bibliothecæque omnes inferri iussit, qui foras, per Sueciam, darentur. Carolus XII. in castris, extra patriam, utramque fortunam expertus, ad librærum curam descendere non potuit. Sub eo tamen, præter annuam illam pecuniæ summam, *Sparvenfeldiana*, dono possessoris, bibliothecam regiam instaurare cepit, constans XXVII. voluminibus MStis, & impressis CXXI. sed longe rarissimis. Eminent e reliquis codex IV. evangeliorum vetustissimus, membranaceus, in maxima forma, foliis alternatim purpureis, litteris uncialibus, vulgo Gothicis, sed auro passim fulgentibus, ea prorsus inaeftate scriptus, qua Ulphilæ, apud Upsalenses, exemplar scriptum servatur. Cui textus adscriptus est Anglo-Saxonicus, sequiori quidem ævo, sed a prisca tamen manu, quo pristinus eius possessor, Dux *Aelfridus*, qui seniore se nominat, cum coniuge *Werburgi*, de præstantia & antiquitate eius illustre perhibet testimonium, codicemque ipsum, apud ethnicos homines inventum, initia ferme Christianæ religionis in Anglia antecedere docet. Doctus Auctor observat, *Flaminium Nobilium* usum eo esse in adornanda Sixti V. librærum sacrorum editione. Pernavia cum victricibus armis Suecunum cederet: bibliotheca more consueto, Stockholmianam transportabatur, & 1717. in catalogos describebatur. Hæc ferre sunt, quæ de fati inclitæ huius bibliothecæ, auctore *Celfo*, repetere hic libuerit, qui extremo adhuc opere suo lectores certiores facit, libros, Constantinopoli formis litterariis exscriptos, plerosque etiam in eadem asseruari. Meminit etiam, velut coronidis loco, extare in eadem *speculum humana salvationis* in quaternis, cuius foliorum

Pag. 174.

179.

181.

195.

208.

liorum

liorum alternas paginas vacuas ac glutine committendas; textum vero totum, cui imagines singulis paginis adduntur, non litteris mobilibus, sed integris ligneis tabulis insculptum, videri, atramentique colorem fuscum, ut etiam imaginum deformitatem, artis imperitiam satis arguere. Continere vero biblicas historias, inde a creatione ad resurrectionem mortuorum, metricè enarratas, Capitulis XXIX. ita ut Veter. Testam. typis historiarum ex Novo παραλληλας adiungantur. Atque hoc est ferme libelli docti elegantisque argumentum, in XLIX. Sectiones minores, quas paragraphos dicimus, descripti. Iam cum in eo esse fertur, ut dignius habitare musæ Stockholmenses debeant, & cum ipso quidem Rege suo, in novi palatii atrio splendidissimo: optamus eiusdem, ex animo, fata secunda, & incrementa lætissima.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLV.

IOSEPHI FINESTRES ET DE MONSALVO, BAR-
cinonensis Icti, & in Regio Cervariensi Athenæo pri-
marii legum Antecessoris, Prælectiones Cervarienses, si-
ve commentarii Academici ad Tit. ff. de liberis & post-
humis, cui subiungitur diatriba de Posthumis heredibus
instituentis, vel exheredandis; & ad Tit. de acqui-
renda vel omittenda hereditate.

Cervariæ Lacetanorum, 1750. quaternis.

Alph. 2. plag. 20.

Doctissimus Auctor hos tractatus in usum adolescentum
Iurisprudentiæ studiosorum unice edidit, uti ipse in
præfatione fatetur: nihilominus ita illi sunt comparati,
ut etiam aliis provectoribus in iuris scientia utiles cre-
damus futuros. Primum Tractatum, qui est *de Liberis & Po-
stumis heredibus instituendis, vel exheredandis*, in quatuor
partes divisit. Pars I. in qua *de Institutione, Exheredatione,
& Præteritione liberorum in genere* agitur, tria complectitur
capita. Caput I. est *de Liberorum Postumorumque appel-
latione & differentiis*, in quo Auctor docet, liberos a Ictis
vocari omnes in infinitum descendentes, idque ex Caii Cæsii
sententia; veteres enim liberorum nomine, tantum descen-
dentes usque ad trinepotem comprehendi voluerunt. Inter
liberos tamen non reputabatur partus monstrosus; at matris
utero exfecti, iure liberorum merito fruebantur. Credide-

Bb

runt

runt quidem aliqui, Paulum in *lib. 132. §. 1. de Verb. signif.* id negasse; sed auctor hanc legem explicat, & ostendit, Paulum a reliquis ICtis hic non dissentire. Cap. 2. *de suis & extraneis heredibus* agitur, eorumque origine & diversis iuribus. Caput 3. est *de necessitate instituendi vel exheredandi suos heredes*; in eo auctor Galvanum refutat, qui existimavit, exheredationem liberorum per XII. Tabb. minime permissam fuisse, sed eam mediæ jurisprudentiæ debere, id est ICtis, qui post LL. Decemvirales floruerunt, & iura interpretati sunt. Verum ob latissimam facultatem testandi, patribusfam. per XII. Tabb. concessam *l. 120. ff. de Verb. signif.* liberi impune a parentibus præteriri in testamento poterant; sed postea lege aliqua illis necessitas imposita est, liberos vel instituendi, vel nominatim exheredandi. Heineccius in *Hist. Jur. lib. 1. §. 174.* id Lege Iulia Velleia factum fuisse autumat, cuius opinioni & doctissimus Auctor suum addit calculum. In Parte secunda *de præteritis suorum & postumorum* tractatur, & tribus capitibus, quid sit præteritio, & quales produxerit in Iure Civili effectus, exponitur. Pars tertia, quæ est *de institutione liberorum*, duo capita continet. In primo *§. 8.* auctor explicare nititur Cap. 5. Novellæ CXV. Constituit ibi Imperator, parentes liberis, legitimam, titulo institutionis in ultimis tabulis relinquere debere; unde non est dubium, ius antiquum in *Instit. de inoffic. test. §. ultimo* traditum, ab eo hac nova lege mutatum fuisse. Nam olim non institutionis tantum titulo, sed etiam legati vel fideicommissi &c. legitima liberis poterat relinqui. Quodsi igitur liberi in certa re, quæ explere potest legitimam, instituuntur heredes, amplius testamentum paternum, querela inofficiosi, impugnare non possunt; si vero res, liberis a patre, institutionis titulo relicta, ad explendam legitimam non sufficit, illis datur actio *ad supplementum* per *l. 30. & 36. C. de inoffic. testam.* contra heredes ceteros instituenda, eo fine, ut, quod eorum legitimæ deest, e reliqua hereditate suppleatur: querela inofficiosi vero hoc casu prorsus institui nequit. Ita quidem alii ICti hoc cit. Nov. caput adhuc explicarunt; sed auctori nostro
in

in alia omnia ire placuit. Ita enim mentem suam §. 9. exponit: itaque ut dicam quod cenſeo, ad huc poſt d. Nov. 115. C. 5. pro præſcripto habeo filium in poteſtate, qui tantum in re certa ſit inſtitutus: quæ verba nobis, invidente id Apolline, intelligere aut non datum eſt, aut auctori doctiſſimo libuit nondum in ſcirpo quaerere. Parte IV. doctrina de exheredatione liberorum proponitur, quinque capitibus. Cap. 1. explicatur, quid ſit exheredatio? Cap. 2. de requiſitis ad exheredationem agitur. Cap. 3. de cauſis exheredationis, in quo a prima origine Iuris Civ. uſque ad Juſtinianum, hiſtoria exheredationum pertexitur, & variæ cauſæ, ob quas liberi iuſte exheredari poſſunt, recenſentur. Auctor præterea quaerit an etiam ob alias cauſas, præter illas, quas Imperator in Novella CXV. recenſuit, filius exheredari poſſit? ad quam affirmative reſpondet, reiectis diſſidentium opinionibus. Cap. 4. eſt de exheredationis effectu. Cap. 5. inquiritur, quibus modis exheredatio infirmetur, ubi §. 2. auctor l. 10. C. de inoff. teſtam. quæ Ant. Fabro & aliis Iuris negotium fecerat, doctè ac perſpicue explicat. Memoratu etiam dignum eſt, filii converſione, ſeu ingreſſu in monaſterium, totam vim exheredationis paternæ ſolvi, ſecundum Novell. 123. Cap. 41. quæ Juſtiniani ſanctio GRATIANO tantopere placuit, ut eam Decreto ſuo infereret Cap. XIX. Q. 2. can. ult. quamvis ibi, ut alias ſæpius, non Juſtiniani ipſius verba, ſed Iuliani antecęſſoris reſerat. Ius Barcinonenſe tamen hic a iure Juſtiniano diſceſſit; nam ſecundum illud, filius vel filia, monaſticum ordinem, ſine permiſſu parentum, ingreſſi, ſtatim habentur pro mortuis, nec aliquid, pro legitima, vel hereditate talis converſi, petere ordo, cui adſcriptus eſt, poteſt, ſed bona illico ad heredes legitimos pertinent. Huius conſtitutionis, quæ auctorem habet Iacobum I. Regem, a quo anno 1269. promulgata eſt, æquitatem, auctor noſter variis argumentis, caute tamen, contra alios quosdam defendit.

Sequitur eiſdem auctoris Diſtribe, de Poſtumis, & qui poſtumorum loco ſunt, heredibus inſtituendis, vel exheredandis; quæ in ſex capita diſpeſcitur. Cap. 1. agitur de Etymologia,

Ortographia, Definitione, & Divisione postumorum, quo loco auctor omnia collegit, quæcunque de recta scribendi ratione huius vocis vel a veteribus tradita sunt, vel inter recentiores disputata, & concludit tandem §. 7. postumum eundem fuisse, qui postremo seu ultimo loco inter liberos natus esset; quæ & olim Cuiacii fuit sententia. Capite 2. *Postumorum ius ex XII. Tabb.* illustratur. Negat A. illud immediate ex hisce celeberrimis Legibus posse monstrari, cum nullibi expressis verbis Decemviri eorum mentionem fecerint; verum benigna interpretatione prudentum, illis locum inter suos heredes factum. Capite 3. continetur *Ius Prætorium circa postumos alienos*. Auctor in eo varias leges explicat, quibus Prætor illis, vel secundum tabulas bonorum possessionem promittit, vel contra tabulas testamenti. Capite 4. tractatur *Ius circa postumos a Gallo Aquilio inductum*. In eo Auctor non tantum exponit, quid sit postumus Aquilianus, & qua formula in testamento heres institui debuerit? verum etiam varia capita obscurissimæ legis *Gallus 29. ff. de liber. & postum. hered. inst. vel exhered.* quam Icti, ob caliginem, qua passim involuta est, pridem inter damnatas retulerunt, illustrare tentavit; an vero rem acu ubique tetigerit, inprimis dum §. 8. huius capituli difficillima verba §. 9. huius legis explicare aggreditur, penes lectores eius libri iudicium esto. Gallus Aquilius illam tantum nepotis postumi institutionem, ab avo in testamento faciendam, introduxerat, qui, præmortuo patre, post avi testatoris mortem demum nasceretur: sed nihil dixerat de eo casu, si quando avo testatore vivo adhuc, postumus nepos, post mortem sui patris tamen, in lucem ederet; vel quia tunc avo integrum erat novas condere tabulas, & in iis nepotem ex filio defuncto instituere heredem, vel forte quod ad huius casus decisionem, maior auctoritas, quam Icti privati, requireretur, ut doctissimus Auctor, nostro iudicio, rectissime animadvertit. Non erat dubium, quin in tali casu, agnatione postumi, in locum heredis sui, avi testamentum rumperetur, qui, si intestatus mori nollet, novas scribere tabulas debuerat, & in eius nepotem postumum;

id

id est, se vivo quidem, sed post prius testamentum conditum deum natum, heredem instituere. At plura poterant evenire, quæ avo facultatem auferrent novum testamentum condendi, scilicet, vel defectus idoneorum testium, vel mors repentina, vel alia. Hinc verosimile est, plurimum ultimas voluntates everfas fuisse, tali postumorum agnatione, & heredibus scriptis ante testatorem præmortuis. Sed cum iura Romana testamentis conservandis semper faverent alias, etiam huic testatorum incommodo obviam itum Lege Iunia Velleia, quam sub Augusto latam esse A. V. cond. DCCLXIII. iam olim putavit Ill. Heineccius, in *Hist. Jur. Lib. I. §. 172.* ab auctore excitatus. Constat, huius legis duo fuisse capita, quorum primo de postumis, post testamentum avi, vivo testatore natis, heredibus instituendis; altero de illis, qui ante conditum testamentum iam in lucem editi essent, sancitum erat. Hæc quidem certa: attamen, malo legis Iuniæ Velleiæ fato, verba §. 12. l. 29. ff. de lib. & postum. hered. &c. qui eius caput primum continet, mutila sunt, unde varix difficultates interpretibus eius legis oboriuntur, quas auctor recenset, suamque sententiam erudite passim exprimit. Capite 5. tandem de exheredatione postumorum A. disserit.

Excipit hæc omnia eiusdem V. Cl. COMMENTARIUS de *acquirenda vel omittenda hereditate*, qui in tres partes distinctus est, quarum prior est de *Hereditate*. Cap. 1. auctor disquirat, *quid sit hereditas, & quare inducta?* Etymologiam vocis derivandam esse censet a dictione *Herus*, quamvis Hotomano & Viglio aliter fuerit visum, ob diversam quantitatem prioris syllabæ in utraque voce; nam in vocibus, *heres* & *hereditas*, illa producit, in *herus* autem corripitur; sed eam objectionem nullius esse momenti A. probat ex A. Gellii *Noct. Att. lib. XII. cap. 3.* & aliis exemplis. Cap. 2. est de *effectibus hereditatis iacentis*. Notum est, hereditatem iacentem, partim in iure civili personam defuncti repræsentare, partim heredis: hinc etiam servus hereditarius ei acquirere potest, tanquam personæ civili, sed tantum ex his causis, in quibus ius dominiatur, (auctoris verba referimus,) nullumque domini factum

requiritur. Hinc alienam hereditatem, hereditati iacenti acquirere nequit, quia eam sine iussu domini non potest adire, nec tamen hereditas, utpote persona commentitia, ei iubere. Sic nec usufructus, aut alia huius generis, hereditati possunt acquiri, quia hæc servitus a veris tantum personis quasi possideri potest. Cap. 3. est *de hereditatis delatione*. Parte II. auctor *de hereditatis acquisitione* tractat. Cap. 1. quod est *de modis acquirenda hereditatis*, Vir doctissimus §. 4. existimat, *cretionem & aditionem* hereditatum, olim apud magistratum, penes quem legis esset actio, peragi debuisse; verum, cum neque ICI veteres, neque scriptores alii, magistratus mentionem ullam faciant, dum de aditionibus hæc loquuntur, *vid. Cic. ad Attic. XIII. ep. 44. & Ulp. in Fragm. Tit. XXII. §. 28.* liceat nobis eas in numerum actuum legitimorum potius referre, quos tantum solennibus verbis, & adhibitis testibus, nullo magistratu præsentate, peractos fuisse constat. Deinde Cap. 3. §. 21. verissima quidem Auctoris sententia est, hereditatem etiam per procuratorem, speciali mandato instructum, iure novo adiri posse, ob §. *ult. Inst. de hered. qual. & differ.* sed *l. si ego 26. ff. de acquir. vel amitten. hered.* quam auctor ad probandam eam opinionem adducit, illuc trahi vix posse videtur. In ea enim lege casus proponitur, si filius vel servus, cum patre vel domino suo heres institutus sit, posse eius iussu, adeundo hereditatem, eam totam iubenti acquirere. Verum tunc pater, qui hereditatis partem, ipsi per testamentum delatam, non adibat, omissione aditionis effecit, ut sua portio hereditaria, portioni filii, cum ipso simul heredis instituti, accresceret; filio autem iussu patris adeunte, tota hereditas, iure veteri, patri obveniebat. Sed nihil horum ad procuratores pertinet, qui sunt personæ sui iuris, ideoque tertio, cuius potestati non erant subiecti, hereditatem acquirere non poterant. Præterea, cum iure veteri aditio esset actus legitimus, per procuratorem non poterat expediri. Auctor ipse, capite sequenti, satis ostendit, hæc argumenta, suæ opinioni contraria, ipsum non latuisse; hinc propemodum dubitamus, an eius mentem in cit. §. 21. huius

huius capituli assecuti sumus. Cap. 4. quo auctor ex instituto quaestionem tractat: *an hereditas acquiri possit per procuratorem?* etiam a nobis supra cit. locus Ciceronis profertur, cuius en verba: *Ex eo (Pollice) cognovi, ceterationem Cluvii, (o Vestorium negligentem!) liberam testibus praesentibus sexaginta duobus &c.* Ita quidam in veteribus editionibus ultima verba leguntur; quarum lectionem etiam Vir doctissimus amplectitur, ac defendere nititur. Recentiores autem eruditi, in ultimis verbis mendum adesse suspicati sunt, eaque ita emendarunt; *testibus praesentibus, sexaginta diebus*, quod nobis vehementer placet. Quis enim credat, Cluvium testatorem, qui Ciceronem, Hordeonium, & Vestorium, (hunc postremum enim Vir doctissimus heredibus prioribus addendum putat, quod & nobis videtur,) heredes testamento scripserat, eos non, nisi LXII. testibus praesentibus, hereditatem suam cernere voluisse? cum in aliis actibus legitimis, ad summum quinque vel septem testes sufficerent, ut in testamentis, codicillis, emancipationibus, & antiquissimis Romanae reipubl. temporibus in expositione infantum, *Dionys. Halicarn. Ant. Rom. lib. II. Cap. 12. §. 7. sqq.* auctor de iure sepulchri hereditarij, ad heredem, qui hereditatem adiit, pertinentis, agit. Explicat ea occasione varias leges, in quibus mentio fit huius iuris, & adducit, illustrationis gratia, quasdam antiquas inscriptiones, in Hispania repertas. Tentat etiam *§. 9. seq.* explicationem *l. 6. ff. de religiof.* in qua Ulpianus negat, libertis ius sepulturae competere in patroni sepulchro, nisi ab eo heredes fuerint instituti, licet illud titulus monumenti eis dare videatur. Provocat c. l. ICtus, ad responsionem Papiniani, & frequentium constitutionum auctoritatem, quibus id prohibitum esset. Mire torsit eruditos ea lex, cum nihil frequentius sit in talibus inscriptionibus sepulchralibus hac formula: **LIBERTIS LIBERTABVSQVE POSTERISQVE EORVM:** quae tamen per hanc legem pro minus valida, nullumque ius dictis personis tribuente, declaratur. Si nostram sententiam ea de re dicere licet, existimamus omnino, moris fuisse apud Romanos, ut liberti ius sepulturae in patronorum sepulchris ha-

berent, siue heredes testamento scripti essent, siue non; dummodo patronus in titulo sepulchrali id concesserit. Circa Sept. Severi tempora autem, vel paulo ante, illud ius eis ademptum fuisse, nisi simul patronorum heredes fuerint. Certe, sub Antonino Pio adhuc libertis ius hoc sepulturæ integrum fuisse, colligimus e vetusto lapide sepulchrali, qui exstare dicitur Romæ in villa Borghesiana, iuxta portam Pincianam, quem Reinelius exhibet *in Syntagn. inscript. Class. XVIII. n. 52.* Nam si iam antea libertis hoc ius ademptum fuisset, vix credibile est, tot Imperatorum constitutionibus rem indignis, ad quæ tamen Ulpianus *c. l. 6. provocat.* Pars III. est *de omittenda hereditate*, in qua auctor iura huius pertinentia duobus capitibus pertractat, & variis legibus obscuris lucem affundere nititur: inter eas est *l. 97. ff. de acquir. vel omittend. hered.* ubi inter Papinianum & Paulum aliqua sententiarum diversitas occurrit. Ceterum totus liber ita comparatus est, ut satis ostendat, iuris civilis studium in Hispania, etiam nostro seculo, florere, ac a viris tractari, qui antiquiorum Ictorum Hispanorum, quibus duobus præteritis seculis Iurisprudencia plurimum debuit, vestigia cum laude prestant.

D. MICHAELIS ANGELI MONSACRATI, ABBATIS ex Ord. Canonic. regularium S. Salvatoris, de Catenis S. Petri Dissertatio ad Benedictum XIV.
P. O. M.

Romæ, in typographia S. Michaelis ad ripam Tiberis, excudebat Octavius Puccinelli, Superiorum Facultate,
1750. in 4. mai.

Plag. 7.

Δεισιδωλατρία, exiguis profecta initiis, tanta temporis lapsu incrementa sumsit, ut etiam, quæ corpori sancti cuiusdam viri, vel remotius, vel proximius adiuncta fuissent, ea diligentius conquirerent, curatius custodirent, religiosam venerationem iisdem exhiberent, ac mirabiles

les prorsus effectus adscriberent; licet a prudentioribus abunde fuerit monstratum, errorem sæpe, levitatem, immo fraudem intervenisse. Quam altas egerit radices superstitio, documento erit nobis præfens commentatio, quam ita enarrabimus, ut potissima illius momenta, in breve missa compendium, exhibeamus. In epistola dedicatoria, directa ad *Benedictum XIV.* totus est, ut institutum suum commendet, & ea removeat, quæ sibi obici posse animo prospiciebat. Momentum causæ ostendit in præfatione: catenas istas multorum antiquorum sermonibus fuisse celebratas; Romæ templum, quod a vinculis iis nomen habeat, exstructum; illis diem festum solennem apud Latinos & Græcos constitutum; vincula præsentibus deosculanda proponi, & quod gravissimum omnium hac in re sit, catenarum ramenta, a summis pontificibus, ad reges & principes viros, de sede apostolica optime meritos, missa fuisse. Miratur igitur, neminem ad huc inventum, qui argumentum hoc pro dignitate tractaverit: se sua scriptione effecturum confidit, ne cui amplius dubitandi locus relinquatur, *in præfatione* notans *Calvinum & Basnagium*, quorum ille scrupulum moverat, unde catenæ istæ sint acceptæ, hic incertum esse iudicaverat, utrum illis Petrus, an latro aliquis fuerit vinculus. Sect. I. probare satagit, vincula Petri tum Romana, tum Hierosolymitana, a Christi cultoribus servata, ac Romæ V. Christianissimi Seculo, in honore fuisse habita. Quæ ita confidenter adseveraverat, deinde auctoritatibus confirmare nititur. Sed quorum illæ sunt? recentiorum scriptorum, & illorum quidem ex parte spuriorum, martyrologiorum, legendariorum, homiliariorum, inscriptionum posterioris ævi. *Boldettum*, catenas in cæmeteriis Romanis una cum martyrum corporibus inventas fuisse, docere, contendit. Nec maioris ponderis est argumentum, veteres christianos studiosos admodum in conquirendis suppliciorum instrumentis fuisse; probabile igitur non esse, catenas eas neglectas fuisse. *Balbinam* quandam, Romanas Petri catenas primum invenisse, in Actis Alexandri Papæ habetur. Sed Acta hæc, ut falsa, reiecerunt viri summi in ipsa ecclesia Romana, *Pagiur, Bailletus, Tille-*

montius, ne emendatorum sacrorum doctores nominemus. His opponit auctoritatem *Henschenii*, *Baronii*, *Schelfratensii*, *Gardebofchii* & *Blanchinii*. Nec valet, optime convenire disciplinæ illorum temporum; probandum fuerat, reliquiarum cultum, apostolorum & proxime sequenti ævo, obtinuisse.

Fig. 1-7.

Catenas Petri Hierosolymitanas genuinas esse, probat vel maxime ex Græco quodam scriptore sermonis, de vinculis Petri; qui putat, ab Herodis ministris, doctrinæ Christi clanculum addidit, omnibus insciis, ablata fuisse, & tamquam ingentem thesaurum adservata. Quis tamen, qualisque ille homo fuerit, definiri non potest. Provocat porro ad constantem famam, inde a primis temporibus adservata, tandemque Romam transmissa fuisse, catenarum partem aliquam Constantinopoli fuisse, & in illarum gratiam diem festum XVI. Ian. institutum, Romæ pariter haud exiguum illarum partem Sæc. iamdum XVII. ostensam fuisse: quem in finem inscriptio quædam adducitur, quæ auctorem habeat *Aratorem*. *Barnagius* obiecerat, vincula hæc procul dubio in Christianorum manus nunquam pervenisse. Eusebium illorum nullam omnino mentionem fecisse; græculum metaphrasten illum, fuisse hominem nugatorem. Ad hæc levia quædam reponit, ac inter alia: *Sententiam suam non egere patrocinio auctoris illius (Græci.) cum & religionis v. tustate, & gravissimorum testium auctoritate subnixæ sit.* Notaverat item *Barnagius*, catenas eas in Christianorum manus, nisi furto fuerint subreptæ, venire non potuisse. Interiecta inani exclamatione, noster regerit: *at nos quidem, tantum abest ut ab illis crimen istud furti, quod in eos confert, removere velimus, ut laudi potius ipsorum tribuendum existimemus.* Sect. II. in tempus inquirat, quo basilica ad vincula, Romæ fuerit exstructa. Ab huius igitur structura argumentum ducit pro honore vinculorum, quandoquidem maiores ædem istam non erant excitaturi, nisi illo iam tempore vincula ista magno in honore fuissent. Templum circa medium Sæc. V. ab *Eudoxia*, Valentiniæ III. coniuge, conditum fuisse, probabile putat, refutatis illis, qui aliam Eudoxiam nominant. Alii autumant, locum, ubi templum est, ab ipso d.

7 - 12.

Petro

Petro primum dedicatum fuisse. Alii Sec. II. initio ab *Alexandro* Papa erectum, ac vincula *Petri Romana*, a *Balbina* inventa, ei illata fuisse, ferunt. Sed quoniam id, quod ingenue fatetur, a recentioribus proficiscitur, fidem non mereri recte affirmat, nec *Alexandrum* condere ædem potuisse, quod tum in vinculis fuerit detentus, nec inde egressus. *Thermas Ti-* Pag. 13 - 16.
 ti in eo loco non fuisse, erudite demonstrat. Hoc autem negari non posse arbitratur, templum a *Sixto III.* vel a fundamentis excitatum, vel in ampliorem formam redactum fuisse, dedicatum primo *Petro & Paulo*, deinde a vinculis *Petri* cognominatum. Firmat hoc nonnullis inscriptionibus, & ex *Leone M.* Sunt qui conditorem allegant *Philippum*, presbyterum, post Concilium *Ephesinum* a. 431. sed illud civili bello eversum, restauratum esse ab *Eudoxia*, *Valentiniani* coniuge, unde modo ab *Eudoxia*, modo a vinculis nominetur, structum forte a. 441. Sect. III. est de vinculis *Petri Hierosolymitanis*, Romam delatis. Templum hoc a vinculis adpellatum fuit, quoniam in illud & *Romana* & *Hierosolymitana* illata fuisse dicuntur. De prioribus dubitandi locum nullum esse iudicat A. de posterioribus quæstionem perobscuram & difficilem esse censet. Hæc autem ab *Eudoxia* dono data fuisse, testimonio scriptorum, lectionariorum pariter atque breviorum, inde a Sec. VIII. ad XVI. confici posse putat. Omnem istam rationem *Barnagius* somnium ex eburnea porta adpellaverat; alii ex doctoribus Protestantibus reiecerant; suspectam declaraverant eximii ecclesiæ Romanæ doctores: quos contra ita disputat, ut satis adpareat, aquam ei hæere, argumento potissimum a fama diuturni temporis ducto. Sect. IV. discribitur de festo ad vincula die. Romæ Kal. Sextil. datas fuisse memoriæ *Petri*, carcere *Hierosolymitano* divinitus educti, refert, indeque brevi tempore religionem illius ad omnes fere ecclesias late manavisse, quod etiam in diversis Conciliis fuerit sancitum. Apud Græcos dies 27 - 29.
 hic festus iamdum obtinuit Sec. IX. incertum autem, an illo demum tempore celebrari coeptus. De tempore, quo dies hic festus sacer fuerit habitus in ecclesia Romana, dis-

- fentiunt. Recensitis igitur variorum opinionibus, a vero non aberrare censet, qui dicat, ab eo tempore agitari coeptum fuisse, quo Eudoxia sacram hanc ædem ædificavit, & quidem eum in finem, ut memoria victoriæ, ab Augusto de M. Antonio relatæ, tolleretur. Moris autem erat, ut illo die vincula osculanda piis hominibus præberentur; quam consuetudinem in hunc usque diem vigere, imo catenas istas octo dies conspectui omnium exponi, ut singuli osculari queant, addit. Sect. V. recensentur miracula, quæ a Deo per catenas eas patrata fuisse, perhibentur. Ex constanti horum vinculorum veneratione, ac miraculis, illorum virtute editis, ad rei veritatem argumentatur. Miracula autem plura, inde a Gregorio M. facta, commemorat, nulla vero recentiori tempore edita; forsitan quod vis illorum evanuit: diligentiam enim Auctoris fugisse vix credimus. Cum igitur tanta catenarum virtus crederetur, mirum non est, principes, aliosque illustres viros, sibi anulos aliquos, vel ramenta illarum expetiisse, atque a summis pontificibus obtinuisse, quod ostenditur Sect. VI. Ordine igitur dona hæc enumerat. Cum autem tot millis anulis, tota illa catena dudum ablumta poterit videri, nisi inmanis magnitudinis fuerit: dubio illi hunc in modum occurrit: *verisimile est, ad instar nostrorum fuisse fabricatus, illisque aliquid ramentorum harum catenarum immixtum atque insitum; & propterea annulos catenarum S. Petri fuisse adpellatos.* Sect. VII. describit annulos, qui adhuc superant, & disquirat, num ex Hierosolymitanis, an Romanis catenis sint. Coronidem operi his imponit verbis: *hæc — volui perscribere, quo intelligerent omnes, vix ac ne vix quidem ulla esse monumenta sanctorum hominum, quæ tantam, & tam vetustam religionem habuerint, quanto immenso tempore præditæ catene principis apostolorum.* Nobis, tota auctoris disputatio ex eo genere visa est, quæ solent lectoribus credulis, auctoritate imponere, quæque non sensum religionis, qui est in animo, sed superstitionem nutriunt. Vinciatur, qui volet, his Petri catenis. Nos eam beatitatem nulli invidemus.

IOANNIS DAVID KOEHLERI, P. P. O. DELICIA-
rum nummarum, anno 1748. singulis hebdo-
madibus editarum

Pars XX.

Noribergæ, impensis b. Christophori Weigeli senioris here-
dum, 1750. 4.

Alph. 2. plag. 12. cum figuris æri incisis.

Vires acquirit eundo opus, perpetuo splendore, ac continua-
ta soliditate, varietate amena, commendabile, Illustrissi-
mo administro status publici Regio, *Augusto Wilhelmo de Schwit-
chelt*, consecratum. Præfatio lectori pro more suppeditat pro-
gressum notitiæ de collectione nummorum argenti uncialium
seu thalerorum, in Imperio Germanico percussorum. Versa-
tur Cel. Auctor iam in vallensibus civitatum imperialium nu-
mis percussendis, ac illustrandis; nuper vivis ereptus, *Friedber-
gæ* civitatis numi illiusmodi nondum fuerunt in lucem producti.
Burggravii vero, in civitatem nonnihil iuris tenentes, unciales
eundi iusserunt sæpe numero. In antica eminet aquila imperia-
lis, cum insigni Austriaco, exiguo in pectore. In postica,
nunc S. Georgii loricati imago ac vexillum, nunc insigne
castris, nunc utrumque exhibetur. Origo ab a. 574. videtur
arcessenda, quo indicium in numi antica elucet hoc: *Max. II.* Pag. 2.
Imp. Aug. P. F. decreto. 74. Goslaris urbs a. 1542. cepit un-
ciales nummos argenteos eudere. Iam Seculo XIV. urbi ius
eudendæ monetæ fuit impertitum. Cæpit illic numus eundi
fortassis ab Henrico III, qui locum præcipue illum amplifi-
cavit & evexit. Archiepiscopus Bremæ, Liemar, ad a. 1088.
iam *de camera sua octo libras denariorum Goslaricorum* pro-
mittit, apud Lindenbrogium in *Privil. Archiecl. Hamb. n. 25.*
pag. 147. Archiepiscopus Moguntinus, Routhardus, a. 1093.
cœnobio Bursfeldensi, *publicum forum, & percussuram, ad in-*
C 3 *star*

Star Goslariensis moneta, impertivit, apud Leuckfeldium in *Antiqu. Bursfeld.* cap. I. p. 9. Videtur adhuc Seculo XIII. sub Friderico II. moneta Goslariensis fuisse in manibus Imperatoris. Goslaria, argentifodinas Rammelsbergicas habuit ante portas. Numi urbis semper fuerunt in pretio ac noruna quasi quædam aliarum civitatum. In numis vetustissimis, Goslariz percussis, adparent capita aut imagines Apostolorum SS. *Simonis & Iudæ*, quibus capella regia ibi erat dicata. Seculo XII. aliquid corporis S. *Matthiæ* Goslariam fuit Trevisis translatum. Inde factum, ut locus quoque ibi *Matthiæ* daretur in numis, qui inde adpellantur *Mattier*. Anno 1487. ædícula b. M. V. Imperatoria, iuxta capellam regiam, sumtibus Scholastici fuit reparata, indulgentiisque Pontificalibus ditata. Inde *Mariz* veneratio crevit adeo, ut A. 1504. imago *Mariz*, lesulum tenentis, numis imprimeretur, addita epigraphe: *Maria mater gracie*. Numis hifce, adhuc *Marianum* est nomen, (*Marien-Groschen*.) Henricus Junior, Goslariz gravis, a fœderatis Sinalcaldicis fuit terris suis exutus, Goslarienses irruerunt simul in oppida Cellerfeld & Wildemann, ac ibi prædas egerunt, quas cives Grundæ & Gitteldæ ipsis ademunt. *Hagenovia* Alsaticæ duo reslant imperiales argentei, ad A. 1663. & 1665. referendi. *Halis Suevorum* pauci thaleri sunt percussi. Vetustissimus annus exhibet 1542. Vocantur illi vulgo, ob manus signum eis impressum, *chirromatici*. Dudum ibi tantum *psanningor* cudunt. De thaleris *Hamburgi* omnium optime scripsit D. Langermannus, qui cœpit 1747. 4. *Hamburgi* evulgare, *Hamburgisches Münz- und Medaillen-Vergnügen*, idque adnotationibus historicis illustrare. Institit eius tramiti Kœhlerus, quantum ad numos argenteos unciales attinet. Primum exhibuit annus 1505. secundum annus 1506. Nova monetz *Hamburgensis* constitutio in lucem prodit a. 1725. *Hamburgensis* Senatus per D. Io. Aepinum iussit libellum Interim refelli, ac imagini *Mariz* in numis ademere nimbum. Claudere opus constituerat Cel. Auctor, vicennialibus superstes. Impulsus vero ab amicis, a patronis, a musagetis, continuare id ipsum non desistit; continuaturus etiam imposterum, nisi XI. Martii, anni quem degimus 1755. a.

æt. 72. fuisset vivis ereptus Ad potissimos deliciarum ipsarum anni 1748. inspiciendos numos iam accedimus. Principatum obtinent duo numi sepulcrales, quibus Christiano Ernesto pio, Duci Saxonie Coburgo-Salfeldensi, defuncto a. 1745. 4 Sept. debite parentatum fuit. Hos excipit rarior thalerus Cardinalis ac Episcopi Argentoratensis & Metensis, Caroli Lotharingi, ad a. 1605. quem ne quidem Augustinus Calmetus in *Hist. eccl. & civ. Lotharingie* exhibuit. Carolus ille fuit Caroli III. Ducis ac Claudie Bourbonie, ex Henrico II. R. Gall. natæ, filius natu minor, editus in lucem Nanceie 1767. Kal. Jun. Eruditio, scientiæ, & mores politissimi, iam adolescentem ornaverant. Metensem Episcopatum natus est a. 1578. 18. Jul. quadrifariam Abbas, scilicet ad S. Victoris Lutetie, Gorcie intra Metensis Episcopatus terras, ad S. Michaelis in regione Verdunensi, & Prati belli, prope Lunevillam. Cardinalitiam dignitatem obtinuit a Sixto V. a. 1586. 14. Dec. cognominatus a titulo S. Agathe. Anno demum 1585. cepit terras Episcopales regere. Et a. 1589. rebus inibi ecclesiasticis, ex venia Pontificis summi, præesse cepit. Episcopatum Argentoratensem difficulter, & haud exiguis exantlatis laboribus adiit, turbis religionis intercedentibus. Prostantes enim elegerant, præeunte Præposito cathedrali, Ioachimo Carolo, Duce Brunsvico-Luneburgico, 1593, Ioannem Georgium, Marchionem Brandeburgicum, 15. annos natum, Argentorati in Academia literis vacantem. Pontificii Canonici e contrario, Tabernis Alsaticis, Carolum nostrum Episc. vocarunt. Inde motus bellici & transactio 1604. in 15. annos. Obiit Carolus a. 1607. 25. Nov. Nanceie, ex arthritide diuturna. Duo Hungarici thaleri ad a. 1648. Ferdinandum III illustrant. 17. Sex rarissima numismata, quæ Friderici Augusti ac Mariæ Iosephæ, a. 1719. Dresdæ nuptias celebrantium, gaudiis fuerunt dicata, oculos animumque pascunt, veneratione, & nostra, & cuiusvis digna. Albertus Dürerus a. 1526. Martinum Lutherum numismate raro curavit exprimendum, quod Noster cum lectore communicavit, & Ioanni Petro de Ludewig simul impertivit obelum. Succedit isti numisma Paderbornense inmemori-

Pag. 13.

17.

25.

49.

mon-

- Pag. 57. monicum, quo festum S. Liborii 1736. 23. Jul. fuit nobilitatum, Liborii, cuius ossa a. 836. Cenomano Gallorum translata traduntur Paderbornam. Franc. Ant. Ludovicus Braklensis, inauguralem disputationem Erfordiae 1737. 8. Aug. habuit *de eo*,
64. *quod iustum est circa Iubileum Liborianum a. 1736. Paderbornae celebratum*, ibique in Praefatione p. 4. merito P. Strunckii, S. J. continuationem *Annalium Schatenii Paderbornensium* notavit, notandam cum Auctore misero ac imperito. Aliorsum nos vocat descriptio 29. ducatorum adulterinorum, quos recentior aetas tulit. Peculiare prorsus est numisma mnemonicum, quo receptaculum rariorum naturae ac artis rerum Gottorpiense a. 1688. fuit illustratum. Musei istius Cimbrici conditor & auctor fuit Fridericus. III, Dux Slesvici ac Holstiae, curante eius bibliothecario, Adamo Oleario, qui illud descripsit. Eminebant in Museo, globus geminus, & sphaera
91. Copernici. Adiecit Auctor de Museis adnotationes, eorumque differentias exposuit. Raritatis eiusdem particeps est thalerus duplus, quo mors postremi Ducis Pomeraniae, Bogislai XIV. ad annum 1654. fuit servata. Obierat Dux iam a. 1637. 10. Mart. At Christina, Suecorum regina, noluit obsecrari memoriam Ducis, in cuius terrarum Sueci partem venerant. Rarior est uncialis argenteus duplus, Ioannis Adolphi, Episcopi Lubecensis ac Ducis Slesvico-Holstiae, ex progenie Gottorpiensi, cum uxore Augusta, Friderici II. Regis Danorum filia, cuius tamen nomen dignitasque in numo taceatur. Visum fuit Auctori, ea occasione *Augustae* vitam ad iungere. Minorem raritatem habet thalerus Henrici V.
105. de Knörringen, Episcopi Augustani, inde ab a. 1619. ad a. 1649. percussus, anni sine nota. Vitam, elogium, & genus Auctor adiecit, haud dissimulans, quantopere Episcopus religioni suae faverit, Iesuitas contra Protestantes iussit calamos exercere, & academiam Dillinganam influere. Progredimur ad alia. Mediolanensis thalerus, Reginae Hungarorum ac Bohemorum, *Mariae Theresiae*, gloriolissimae Imperatricis, a. 1741. cusus, Auctorem ad bellum Italicum recentissimum impulit exponendum. Vetusissimus thalerus, qui inter

inter eos, quorum origo ad Comites Hohenloicos referenda est, principatum tenet, spectat ad a. 1594. In antica viitur aquila imperatoria biceps, adiecta Rudolphi II. memoria. In postica conspiciuntur insignia Hohenloica & epigraphæ, *moneta nova Comitum de Hohenloe & Dominorum in Langenburg.* Numisma est omnino rarum, quod natalem Henrici XXIV. Rutheni, Comitis ac Dynastæ Plawensis, a. 1681. indicat. Eundem in censum venit Reichsteinensis ducatus Petri Wockenii, gubernatoris domus Rosenberg, ad a. 1592. Reichenstein, est Principatus Munsterbergensis Silesiaci oppidum, metallis illustre, quod cum metallifodinis adiacentibus emit a. 1581. Princeps ac Dominus Wilhelmus Urtinus, dynasta Rosenberga in Krummaw, Imperatoris consiliarius intimus, defunctus 1592. 31. Aug. Petrus Wog Ursinus heres id vendidit 1599. Ioachimo Friderico, Duci Lignicensi ac Briegensi, & stirpem suam finit a. 1612. 5. Nov. Raritatem suam commendat spectatori thalerus Ioannis Erasmi, Comitis Reinsleinensis ac Tattenbacensis, ad annum 1663. Origo familiæ in Bavaria olim fuit, elucens postea in bellis Imperatorum Austriacorum. Exitum norunt facile universi. Clementis IX. in subiectos sibi benignum animum testatur numisma, pelicanum exhibens, ad a. 1667. Christophorum Kevenhullerum de Aichelberg, Imperatoris consiliarium, & præfectum provinciam in Carinthia, prædicat numisma ad a. 1543. Memoriam D. Ioannis Laurentii de Ieingumercloster, senioris magistri urbis Halæ Suevorum, illustrat numus, ad a. 1748. 7. Maii iubilæo eius gamico sacratus. Vita Viri, quam Kehlerus adiecit, legi digna est. Theologos, variis fortunæ casibus iactatos, Georgium Mylium, ac Bartholemazum Rosinum, ad a. 1578. numisma rarius illustravit. Mylius, antea Müllerus, Augustæ Vindelicorum ecclesiastes, ex lite Calendarii Gregoriani, quod ipse cum collegis suscipere recusat, Augustam reliquit, Vitebergæ invitus ob corpus doctrinæ Philippicum haud susceptum, Ienam translatus, & Vitebergam redux, heic obiit 1607. 28. Maii. Vocat nos facies nitidæ thalerus duplus Eanonis II. Comitis Frisæ orientalis, Dd isque

Pag. 129.

145.

153.

161.

185.

193.

- isq̄ue anni incerti, ante 1540. percussus, carmine Coldeweyi, genealogiam & successionem Comitum Principumque Frisiæ orientalis enarrante, comitatus. Excipit eum rarissimus Ulrici II Comitis Frisiæ eiusdem, thalerus ad a. 1629. Initiationem basilicæ forensis Halæ Suevorum, a. 1735 peractam, designat numus mnemonicus, cerimonia initiationis illustratus. Magnus, Dux Gothlandiæ, Princeps regni Sæciæ, numum quadratum a. 1565. fieri curavit, necessitate expressum, licet nomen ERICI XIV. in eo indicetur. Descripsit eum Elias Brennerus in *Thefauro nummorum. Sæv. Goth.* p. 82. Magnus, Dux Ostigothiæ, ERICI erat frater germanus, non uterinus, natus Holmiæ 1542. 25. Jul. 1595. 20. Iun. mente fere orbatus ultra viginti annos. Coronatum Georgii I, Regis M. Britannicæ numum, ex argento societatis nauticæ australis factum, omittimus. Mariam Eleonoram, ex Electore Brandenburgico natam, Gustavo Adolfo Regi Sæciæ 1620. nuptam, coronatam, ac a. 1655. defunctam, duo numismata prædicant. Ioachimum Ernestum, Marchionem Brandenburgicum, conditorem progeniei Onolsbacensis Serenissimæ, ad annum 1623. indicat thalerus, auctore dignus summo. Nec omittenda est mentio numismatis rarioris, quod ad Fridericum I. Ducem Slesvici & Holsatiæ, ac ad annum 1514. est referendum, Danorum Regem, a. 1482 natum. Regem Polonicæ Sigismundum III. insignivit thalerus a. 1587. cufus, cuius in postica erectus eminet gladius cum perigraphæ, *pro iure & populo.* Memoriam Comitissæ Oldenburgicæ, Annæ Sophiæ, infeliciter desponsatæ, ad annum 1639 defunctæ, servat thalerus mnemonicus. Ducatus nuptialis, ad Ericum XIV. Regem Sæciæ referendus, a. 1568. percussus, raritate se commendat & Cel. Köhleri illustratione. Ducatus duplus oppidi *Rostock* ad a. 1605. hand minus est commemorabilis, ob perigraphen anticæ: *Non bene pro toto libertas venditur auro.* Magna sane Rostochii privilegia olim fuerunt, in quibus exponendis Auctor suam probavit industriam. Innocentium XI, animi fortitudine se iactantem, 273 metallo notat, a. 1689. cufus. Attentionem provocat ar-

gentes Romanus Imperatoris Lotharii, in cuius possica eius- que medio nomen Benedicti III. Papæ litteris quatuor desi- gnatur. Aptus est ad fabulam, de Iohanna Papissa circumferri solitam, extirpandam. Eum, & summam Dissertationis, Ro- mæ 1749. 4. formis publicis descriptam, in qua ille visitur, Kœhlerus huc transtulit. Scripsit eam Iosephus Comes Ga- rampi de Rumini, ac inscripsit: *de Nummo argenteo Benedicti III Pontif. Max.* Nisi quis blennus ac ficulnus sit, non fa- cile in posterum credet, Iohannam, Leonem IV. inter & Be- nedictum III. tenuisse Pontificatum Romanum. Obstant testimonia scriptorum, obstat temporis ratio, obstat numus, quo minus Iohannæ concedi possit locus alius, ac is, qui in fa- bulis deprehenditur. Delibabimus argumenta. In *Anastasi*, qui cœtaneus est, Vitis Pontificum, dicitur Leo IV. decessisse e- vita a. 855. 17. Jul. In Breviario Romano is ei tribuitur dies emortualis ac feriatus. Bertiniani Annales, qui in a. 882. desinunt, ita: *Anno 855. mense Augusto, Leo apostolica sedis an- tistes defunctus est, ei que Benedictus successit.* Anastasius, Leo- ne IV. defuncto, deliberatum fuisse, die post obitum tertio, de eligendo Episcopo Romano, testatur. In exemplaribus non- nullis iude descriptis adduntur hæc: *Cessavit episcopatus men- ses II. dies XV.* Catalogus Paparum, in cœnobio Farfensi adser- vatus, qui a. 855. coeptus fuit, sic habet: *Leo IV. ann. 8. m. 3. d. 6. Cess. m. 2. d. 15.* Electionis documentum pro more erat epistola, ad *invictissimos Hlotharium & Hludovicum Augustos*, missa. Nisi Imperator electionem adprobasset ac confirmas- set, consecratio Pontificis Romani peragi haud poterat. Lo- tharius pater secesserat a. 855. in Prumiense monasterium, ac filio Ludovico imperium tradiderat. Obiit pater ad 28. Sept. Annales Bertiniani, & *Necrologium Laurisbamense* in Schannati *Vindem. litter.* pag. 23. sic tradidere. Venerunt legati eligentium, Paviam ad Ludovicum. Rescripsit hic ad eos, ac legatos paulo post suos iussit subsequi. Hiisce vene- runt obrectatores obviam, ad Hortam usque, ac electum ita traduxerunt, ut legati occuparent templa Romæ, Lateranense cum Laterano, ac Petro sacrum, immo electum in custodiam darent.

- darent. Anastasium laudarunt ac commendarunt obrectatores, impulsu Arsenii, Episcopi Eugubini, excitati. Turbæ triduum quieverunt. Testis fuit Clerus, civisque Romanus, Benedictum rite fuisse electum. Legati eum liberarunt carcere, ac consecrationi ad 855, 29. Sept. interfuerunt. Lotharius gesta hæc ignoravit adhuc 7. Oct. Denarius igitur ille argenteus Romæ fuit cufus, cum Benedictus iam ecclesiæ præfideret, paulo post eius consecrationem factus. Denarium esse genuinum, haud ambigere licet. Non vacat repetere testimonia veterum, quæ, Benedictum III, Leoni IV. successisse, docent. Id vero negat Kœhlerus iure, numum illum nomine & iussu Benedicti III. fuisse cufum, alias, iam tum Seculo IX. Imperatores solos, Romæ numos curasse ac fecisse cudi, demonstrans. Restant nobis pauca, eaque tantum verbo indicanda. Rarus est Turonensis, quem Clemens VI. qui Avenione sedem habuit, fieri ibi fecit a. 1342 - 1352. indulta Caroli IV. Imperatoris, quem Papa iuverat imperio præfuturum.
320. Spectabilis est numisma, quod pacem Hispano Batavam, Monasterii firmatam, posteris prodit. Succedit ei typus numi mnemonici, qui eiusdem pacis est index. Anticam cingunt verba: *Pax cum iustitia, fora, templa, & rura coronat.* P. Alexandri VIII. metallo primus, qui Ottobonense gentilitium insigne exhibet in symbolo, ingenium spirat.
339. Numisma, quo Principem Hispanicam Ludovico XV. Galliarum Regi a. 1721 desponsatam, docuit Minerva, fuit pretio ac monumento orbatum. Rarus est thalerus sepulcralis, Ferdinandi Alberti, Ducis Brunsvico-Luneburgici, 1687. defuncti, memoriam servans. Archidapiferatum S. R. I. a Joanne Wilhelmo, Electore Palatino receptum a 1708. indicat ducatus, luculenta enarratione gestorum illustratus. Vocat oculum animumque spectatoris nunnus, quo victoria, quam Comes Mauritius Nassoviensis, ab Archiduce Alberto Austriaco ad Novum Flandriæ Portum a. 1600 reportavit, fuitur. Commendabili raritate enitet ducatus duplex Francisci II. postremi Britannicæ Minoris Ducis, ad a. 1464. Carolum I. a. 1633. fuisse coronatum in *Scotia, Anglia, & Hibernia Regem,* osten-

ostendit numus, eodem anno publicatus. Carolus II. in Angliam revocatum, vel restitutum, ac corona regia ornatum, ad a. 166r. aureus loquitur numus, isque rarus oppido. Rarior est numulus argenteus Pipini, Regis Aquitaniz, cuius inter annos 822. & 838. Posteriori enim anno, præter opinionem, furibundus Pictavii rebus humanis ereptus fuit. Agmen claudit numisma, quod Clemens XI. Pontifex Romanus, in præmium victoris inter certantes in Academia pictorum proposuit, dudum a Gregorio XIII. ac Sixto V. constituta, nec tamen diu satis in pretio habita. Ita æquor magnum navigavimus, id unum dolentes, quod per instituti rationem nobis haud licuerit, latius & diutius ex Autoris Cel. divitiis plura huc transportasse. pag. 409.

LETTERA CHIRURGICA, &c.

h. c.

EPISTOLA CHIRURGICA DOCTORIS IANI REGHELINI, Medici & Chirurgi Venetiis, ad Illustrissimum Dominum ANTONIUM COCCHI, Anatomie Professore publicum, Sacræ Maiestatis Imperialis Antiquarium, Medicum Florentinum de Lesione Visus mulieris, consistente in duplicato quovis visionis obiecto, quæ post depositionem casaractæ secuta est.

Venetiis, apud Petrum Bassaglia, 1749. 8.

Plag. 4.

Parva scriptio, magni momenti continetur negotium, a chirurgis gerendum, cum illi cataractam sunt depressuri, quorum industria sese ad cataractarum differentias accommodare debet. Hæ etiam si variz sunt, si colorem, ætatem, adhesionemve consideres: tres tamen sunt primariæ, in quibus curationum cardo vertitur. Altera scilicet, quæ vulgatiore est, & frequentius occurrit, ex cataractis illa est, quæ in corpore ipso lentis indurato confilii; altera membranosa est; tertia

D d 3

quæ-

quædam lactea dicitur. Lenticularis illa, quæ in lente sensim obscurata ponitur, si mobilis est, acui obsequitur facillime, dummodo instrumentum manu, menti obsequiosa, regitur. Ast altera, membranosa, chirurgi industriam & perspicaciam magis exercet. Hanc existere, negaverunt plures; verum, cur expertis in arte viris, quibus cataractæ lentiformis natura haud est incognita, fidem adhibere nolimus, ratio nulla est. Clarissimus Auctor, differentiam utriusque in ipso exercitio sæpe perspexit: membranæ scilicet, quæ similiter sub capsula crystallina hæret, ac leuti, telæ instar, prætenditur, non minus, ac illa squamosa, cum materies aliqua durior inter lentem & eius capsulam concrevit, vehementer resistunt, atque illam, similiter ac membranaceam, adesse, statim intelligas, cum convexum corpus, quale lens est, sub acu haud esse, percipitur. Tunc, etiamsi cataractam deprimas, illa tamen subinde resurgit. Talem cum sibi obvenisse aliquando intelligeret Clarissimus Auctor, acum, infecto, eam, opere, extrahere noluit, atque, quam deprimere non poterat, divisit, & pupillam versus, perforavit, atque hac ratione lumini viam patefecit. Tertia *lactea* est, cum lens in mucaginem lacti similem diffluit. Huius operatio alia non est, quam quæ apostematis; subito enim, cum incisa capsula est, effluit alba materies, & humorem aqueum obscurat, visumque ad tempus tollit; ast brevis illa est caligo, materies enim alba, ubi fundum petiit, sensim disparet, & visum finit esse expeditissimum. Cum igitur aliquando Clarissimus Auctor mulieri cataractam depressisset, factum est, ut, omnibus ceteroquin ex voto peractis, illa, se obiecta singula duplicata videre, diceret. Mira res visa, tandemque deprehensum est, præter perforationem iridis, quæ pupilla dicitur, & qua lumen per axim globi oculi transit, foramen, intra iridem, qua parte illa margini Corneæ pellucidæ adhæret, casu factum fuisse, veluti adiectus icon docet. Una adeoque imago, duplici perforatione iridis, cum susciperetur, bis depicta in oculo est. Hæc res, cum forte fortuna accidisset, optimæ meditationi locum dare potuit. Fit enim, ut pupilla per morbum clausa sit, id quod ex cataracti-

eatrice post hypopium accidere potest; tunc pupillam artificialem formare ars docet, oportetque, non aliter, quam hic forte fortuna factum est, transvecta per axim humoris vitrei acu, iridem vulnerari, ut nova luci via pandatur. Si elegantem hunc libellum legas, multa deprehendes, quæ cataractæ genesin, conditiones, sub quibus vel deponi, vel relinqui illa debet, quæ optionem unius acus præ altera, & cautelas in ipso opere observandas, & regimen postea servandum, atinent; quibus accedunt exempla rariorum curationum, ab Auctore, aliisque celeberrimis artis oculo doctoribus susceptarum.

D. IO. GOTTLIEB GLEDITSCHII, LIPS. METHODUS fungorum, exhibens genera, species & varietates, cum charactere, differentia specifica, synonymis, solo, loco, & observationibus.

Berolini, sumptibus scholæ realis, 1753. 8.
Plag. 13. fig. æn. VI.

Etiam si videbatur post *Steerbeckium* atque *Michellium*, de fungis dici, quod iam dictum haud esset, vix quidquam posse, singulari tamen Doctissimi Auctoris opera effectum est, ut quilibet intelligat, cum bona accedit methodus, magis elucelcere ea, quæ ab aliis vago ordine proposita ante fuerunt. Parum certe in adductis auctoribus est, quod, præter exquisitam sane fungorum historiam & curiosam illorum descriptionem, aliquid bonæ methodi, multo minus aliquem rigorem subordinationis naturalis, sine qua nihil rerum vegetabilium describi commode potest, referre possit. Igitur gratias habemus Cl. Auctori, quod, post *Linneum*, qui de fungis, in flora Suecica, iuxta fructificationis significationem, primus exposuit, summa istorum vegetabilium genera nobis tradere & species ordinare voluerit. Ut autem fungorum historiam conderet Gleditschius, itineribus rei herbariæ studio susceptis, nihil ab eo intermissum est, quo posset specierum verarum, diversitas, posthabitis ludicris fungorum, ex luxurie succi nutrientis nascentium, imaginibus, recte cognosci. Removendi enim aliqui

aliqui characteres erant, qui in fungorum contemplationibus occurrunt, tanquam vagi atque inconstantes, nullam definiendi facultatem habentes, quales illi sunt, qui, per mutationes, ab ætate vel incremento dependentes, contingunt. Quapropter opus omnino est, ut fungus in statu perfectionis suæ constitutus, ad determinandum genus, sub quo positus est, accipiatur. Igitur summa fungorum genera a fructificatione & loco, cui illa inhæret, constitui fas est; reliquæ autem circumstantiæ, quæ forte in multitudine pediculorum pileolos sustentantium consistunt, cum vel unus vel plures ex eadem radice procedunt, in constitutione specierum naturalium attendendæ sunt neutiquam. Nec quidquam ad specierum definitionem, pediculorum absentia, brevitatis vel longitudo, conferunt; aut tubulorum & membranarum sub pileo fungi, quibus fructuum receptacula sistuntur, distinctio, hinc involucrium, quod fungum unum pluresve amplectitur, cui *volva* nomen est, itidemque anulus, qui cum in fungis variis, tum maxime in *agaricis* singularem ideam aliquam distinctivam sistit, ad genera intima constituenda haud parum contribuunt. Etiam si ergo fructificatio, & qui eam antevertit florendi modus, non nisi in paucissimis fungorum generibus ac speciebus, nudo comprehendi possit oculo; est tamen aliquod etiam in fungis, seminium, quod, quocumque modo illud adesse intelligas, uti in reliquis vegetabilium ordinibus, pro definitionis fundamento assumi oportet. Aliis autem fungis *in superficie* fructus dispositi sunt, quos fortassis *gynospemos* propterea appellare quis posset; aliis *in receptaculo* reconditi fructus sunt, illique vel in distinctis loculamentis, extra fungi substantiam positæ, vel intra substantiam constituuntur, quos fungos, quid impedit, *angiospermos* appellari, cum semen absconditum gerant. Igitur in superficie fructificant fungi varii. Illis, qui pluribus filamentis plus vel minus ramosis in spicam, racemum, vel folliculum collectis, densa iuxta se invicem serie germinant, *Byssis* nomen est. Variis illi coloribus ludunt, muscos specie referunt, super petras, exesas arborum radices, super putrida ligna, in cellis cryptisque, proveniunt
crocei,

crocci, viridis. Ex his ille est, qui violam odore refert, & lapidem sua natura inodorum, *Iolithum* a fragrantia dictum, inficit, ut ille odorem, qui ex fungulis innascentibus oritur spargere immerenter omnino perhibeatur. Aliis fungis superficies simplex est, ita quidem, ut pediculos a pileolis dividere haud possis; est lento augmento a radicibus illi exsurgunt, *clava* specie; Igitur *Clavaria* est fungus perpendicularis, figura clavato-ovata, obtusa, acuminata; cui innumera & minutissima fructificationes inhaerent. Nec impedit *Clavarias* dici fungos, quibus corpus est multifidum, inaequale, ramosum; dummodo loculamentum absit, quod fructum recondat. *Coralloides* appellant, *barbaras*, plebeii. Hæ plerumque edules sunt, colore flavo, aurantio, albo, variantes. Similiter in superficie fructificant fungi, qui pro pileolo laminae habent, easque vel per pediculum simul, si adest, vel per totum corpus dispositas gerunt. Hos *Elvelas*, voce ex linnaeanis decerpta, appellant; phallos quidem referunt, est discrepant ab his, fructibus, quos hi sub cryptis absconditos gerunt. Ex his aliquæ globosæ sunt, unico pileolo excavato super pediculum constituto. Sunt aliquæ species, quæ singulari forma incedunt, cum pileolum sursum rigentem & exscissum, scrobis forma, gerunt; quam ob rem etiam fungoides scutellatum *Michellio* dictæ sunt. *Rezizan*, *Dillenius* appellavit. Qui in receptaculis particularibus semen gerunt, vel *cuspidati* sunt, vel *campanulati*. Capitati, *superne* fructificantes, *Phalli*, *inferne* fructum molientes, cum illum in tubulis habent, *Boleti*, quando autem illum intra lamellas concipiunt, *Agarii*, arbitrariis appellationibus, insigniuntur. Igitur, qui in receptaculis particularibus, per fungi cavitates, lineis reticularibus divisas, semina gerunt, omnino tenuia & farinacea, dicuntur *Phalli*. Huius generis singularis aliqua species est, quæ ex *volvæ*, tanquam ex ovo prorumpit, prius in morem rigida, foetidissima, glande mox imperforato, mox in stigma excavato. Reliquæ species, acuminato vel rotundo capite, colore variantes, edules sunt, & carnem sapore referunt. Cum autem interne sub capitulo, atque in tubulis contentum semen est, *Boletum* dicunt. In his florem vides,

contextum quinque staminibus, vel etiam pluribus, quæ, filamentum capillari brevissimo, & anthera constant. Boletorum insignis observatur varietas, quam pileolorum & tubulorum forma, angulosa, aut alia, definit. Ex his aliqui virulenti sunt, uti ille *Suillus*. Ab his *Agarici* differunt, qui sub pileolo intra lamellas semen conceptum gerunt, quod ex flore procedit stamineo, atque illum filamenta capillaria tenuissima Antheræ cylindricæ, quinque vel plures in unum fasciculum congestæ, constituunt. Plerique ex volva erumpunt, & caulem anulo succinctum gerunt, cuius tamen absentia haud efficit, quominus *Agaricos* dicas. Amplissima horum est familia, & usus domesticus frequens, si illos excipias, quos atramentum liquidum, caro rara, fœtorque, suspectos reddunt. Sunt enim ex his, qui muscas enecant; aliis piperis sapor, succusque lacteus vel croceus est, quibus plebei velantur quidem, non tamen sine periculo. Angustioribus limitibus genera fungorum reliqua continentur. Aliquibus semen in cavitate corporis campanulati hæret. His *Pezizis* nomen est, cum totus fungus calicem fructificationis format, scyphi aut cyathi specie. Denique fungos habemus, qui intra substantiam abscondita gerunt semina. Hi, cum turbinatum & globosum corpus est, *Clavri* appellantur, qui, ad maturitatem cum devenerunt, cancellis hiantibus semen pulverulentum, inuoco involutum, dimittunt. At *Stemonitis* singulare & perexiguum genus est. Nascuntur enim gregarii, conici, pyramidati, volva, vel fugaci, vel permanente, investiti; in finetis nidulantur, a staminibus, antheras florum fulcentibus, cum quibus forma conveniunt, appellati. Intra substantiam sua porro semina occultant fungi convexo-ovati, quibus *Lycoperdon* nomen est. Hi glabro, aspero, aut aliter atque aliter conformato ludunt corio. Si qui ex his sub terra vegetant, *Tubera* dicuntur; alia perniciose *Steerbeckio* visa, quæ *cervina* vulgo; alia esculenta, quibus *Truffles* nomen nostratibus est. Est etiam suus ordo minimis. Igitur fugaces illi funguli, qui ex rebus putridis nascuntur, gregarii, & confertim nascentes, agmen claudunt, & *Mucoræ* appellantur. Quam *Dillenio*, quod ille muscos ordinavit, hanc

hanc *Gleditschio* gratiam eruditorum respublica habet, quod, comparatis auctorum, qui sparsim de fungis scripserant, sententiis, methodum condere voluerit, cuius ductu, novas quoque species, si quæ obveniant, ordinare possit.

DELL' INDOLE E QUALITA NATURALI E CIVILI
della Moneta e de' principi istorici e naturali de'
contratti, Dissertazioni.

i. e.

DISSERTATIONES DE INDOLE ET HABITU
naturali ac civili Monetae, item de principiis con-
tractuum historicis & natura-
libus.

Romæ, apud Nicolaum & Marcum, Pagliarinos, 1750. fol.
cum licentia Superiorum.

Alph. 2. plag. 7.

Eruditis ac merciorum notitiæ studiosis, Opus hoc adiu-
menta & usum haud contemnendum adferre, non est
quod dubitemus. Constat illud Dissertationibus duabus.
Altera de re numaria, iurisprudentiæ naturali & gentium
congruenter, disputat; altera de contractibus est inscri-
pta. Notitiam antiquitatum & historiæ, passim adhibi-
tam fuisse argumentis illustrandis, ingenue fatemur. Au-
ctorem testatur opus eruditissimum, ac doctissimum Iure-
consultum. Prior Dissertatio distributa est in partes ge-
minas, quarum illa theoretica, hæc practica est. Sub-
iungitur eorum, quæ disputata fuerunt, ad sententias vulgaris
iurisprudentiæ applicatio. Tractatio instituta decurrit per
enuntiata præmissa, ad eorum expositionem uberiorem, in eo
potissimum posita, ut ne iurisprudentia videatur negotiatori-
bus commerciisque refragari. Inprimis creditores inter &
debitores miræ intercedunt difficultates, cum summa seris
crediti, post aliquot demum secula creditori restituitur a de-
bitore. Causa omnis, eiusque fons, hoc loco residet in sa-
lute

- lute & conservatione societatum maiorum rerumque publicarum, si quidem monetæ origo, numerum percussio, & contractus ipsi, redundant ad bona ac mala rei publicæ. Augmentum & imminutio numeri pretiorum, ad quem sint referenda, in quæstione versatur cum maxime. Doctores iuris, & civilis & canonici, mirum in modum hanc quæstionem intricarunt, notionibus usi obscuris & confusis. Explicatio enuntiatorum divini codicis minus genuina, multam huic argumento passim circumfudit caliginem. Oportet ad rationem generalem, seu potius universalem, in hac causa respicere, ad rationem, quam homines universi comprehendere possunt, & approbare debent. Ex ea, ad singulas ætates traducta, decidendæ sunt quæstiones, quæ huic argumento sunt propriæ. Dictamina Iurisconsultorum sola causam eam haud expediunt, nisi ad rationem universalem & communem reducantur. Ex quo homines sibi nonnihil proprii vindicant, una societas ope alterius indiget, ad defectus suos supplendos. Interventu materiæ firmæ ac perennis, defectus illi fuerunt imminuti, vel sublati. Monetam in vitæ perniciem esse repertam, falso tradidit Plinius H. N. XXXIII, 1. Pretium, seu quantitas moralis, non potuit non statui rebus permutandis, vel earum vicariæ monetæ. Arbitrio sic aliquid fuit dandum. Quantitatem illam definit, vel privata institutio hominum, in statu naturali versantium, vel populus, in societatem collectus civilem. Politica hæc definitio sequatur ordinem naturæ, necesse est, prouti indigentia vitæ tolerandæ normam subministrat. Puffendorfium & Barbeiracium laudat heic loci Anonymus, nec a iure naturæ se alienum esse probat. Pretium vulgare ab eminenti fecernit. Quantitas moralis adhæreat oportet subiecto, variationem, quantum fieri potest, respuenti, nec pereunti. Metalla, & in his aurum & argentum, huc præcipue faciunt: reliqua corpora, bestiarum imprimis, & variationis & exitii nimis sunt capacia. Quantitati morali illius metalli numerus debuit adfigi pro gradibus, immo numero illius quantitatis potest substitui tesera membranacea, chartacea, &c. Numi possunt spectari

coniuncti æque ac separati, non solum ad mutuum rationem eorum ineundam, sed ad reliquas quoque res eis surrogandas. Quantum semper & ubique hic vel ille numus valuerit, scire interest omnium. At multum caliginis in hac eruditionis parte dominatur. Exstinguitur usu numus, & ipsum corpus, quod ei surrogatur, alienari, & ratione possessoris perire potest. Inde sequitur, damna hæc pro viribus esse fugienda, & periculis, quibus perditur moneta, esse obfistendum. Numi, quibus haud indigemus ad usum nostrum, quidni in aliorum usus tradantur? cur reipublicæ salutem turbemus vel imminuamus, occultatione numorum extra usum privata? Quis autem gratis numos suos exponet periculis? Ei omnino, qui transfert in alterum dominium cuiuscunque rei, ius est copulandi cum illa translatione conditionem, salutis suæ, publicæque, haud repugnantem. En usuræ fundamentum. Nisi hoc principium salvum est, firmumque, existimandi sunt homines iniustissime agere, qui ex agris suis, quorum nonnihil dominii in alios transtulerunt, redditus annuos, decimas, census, reportare haud verentur. Spectant hæc haud aliter ad quantum morale, quam numus elocatus in usuram, arnitti facilius agro aut horto. Corpora monetæ, quæ pretio vel surrogationi haud inserviunt, non sunt corpora commercii, sed potius corpora nonnisi naturalia. Quicquid vero commercia inhibet vel tollit, illud damnosum est publicæ salutis. Cambium contra eiusque cessare impediunt periculum, monetæ per translationem imminens, & commercia salutemque publicam augent. Magistratus est, providere, ut moneta percussatur, salutis fideique publicæ conveniens. Nostrum non est, iuris cambialis rationes repetere vel illustrare. Nec descendimus ad officia eorum, quorum auctoritate enduntur numi. Variatio & imminutio multum incommodi ferunt. Aequipondium internum est potestas surrogationis naturalis. Inde oriuntur varia officia magistratum, commerciorum stabilitatem curantium, quæ hic enarrantur variisque observationibus ex iure Romano & aliunde illustrantur. Adplicantur ea, quæ

Pag. 25.

38.

55.

73.

118. sunt argumentis comprobata, ad actiones inter vivos, & ad actiones mortis causa, respiciendo tum ad ius civile, tum ad ius naturæ. In favorem debitoris interpretationem omnem cedere volunt. Dominus de Meluno contendit, omnem monetæ mutationem esse creditori damno, refutatus a Gallo, Domino du Tot. Non licet debitori, reddere rem deteriore, sed æque bona reddenda est creditori. Inde dissolvuntur quæstiones varii generis. Contractuum fons est indigentia hominum ex inæqualitate virium, quæ inest mentibus & corporibus, sigillatim comparatis. Hinc mensura spatii ac ponderis admodum per regiones diversas variat. Eadem ratio est utilitatis, quam quærimus, & damni, quod avertere studemus. Varietas huius mensuræ homines adlexit ad commercia, & facilitatem amicitias contrahendi. *Quanti* diversa distributio, divinitus definita, sola valet. Utraque indigentium huius vel illius rei utilitas desiderata, genuit fundamentum contractus. Permutationum id fuit initium per bestias potissimum, quibus substituta fuit moneta. Vocabulum *keschita*, Gen. XXXIII. & Jos. XXIV. obvium, credit A. denotare *agnum, novellam ovem*. Boum pretium, quod Homerus nemit, ei non est pecunia. *Schekel* olim fuit definitum auri, argenti, æris, ferri pondus, non semper idem. Publica enim statera, ad quam massæ metalli fuerunt adpensæ, subinde pro nutu procerum variavit. Tzinenses morem veterem servant in argento. Tum vero contractuum varietas, ex scopo sectantium utilis sibi & commoda, ab Auctore perpenditur. Adiciuntur passim, pro consuetudine Ictorum, sententiæ diversæ, ne tractatio, philosophice decurrens, sit ieiunior parumque grata.
- 133.
- 137.
- 140.

MUSEUM CORTONENSE, IN QUO VETERA MONUMENTA complectuntur anaglypha, thoremata, gemme insculptæ, insculptæque, quæ in Academia Etrusca, ceterisque nobilium virorum domibus adservantur, in plurimis tabulis æreis distributum, atque a FRANCISCO VALE-

VALESIO, Romano, ANTONIO FRANCISCO GORIO,
Florentino & RODULPHINO VENUTI, Cor-
tonense, notis illustratum.

Romæ, sumptibus Fausti Amidei, bibliopolæ in via cursus,
1750. fol.

Alph. 1. plag. 13. c. tab. æn. 85.

Præclare omnibus, qui quantum in antiquitatum veterisque
ævi historia situm sit, intelligunt, de litteris humanioribus
mereri videntur, qui antiqua, quæ benignior fortuna ad no-
stra tempora servavit, monumenta colligunt, collecta in lucem
edunt publicam, eaque hoc modo ab interitu, quem sequior
ætas, vindicant. Eo maiorem itaque laudem sibi
eruditissimi musei huius editores conciliabunt, quod cum litte-
rarum saluti, tum Cortonæ gloriæ intenti, optinam, quæ in illu-
stri hac civitate visitur, veterum gemmarum anaglyphorum-
que collectionem iuris publici fecerunt. De ipsa hac urbe
fatis cognitum est, esse eam inter antiquissimas fero princi-
pem, siquidem eorum narrationibus fides habenda, qui eam
iam ante Troiæ ædificationem stetit & ab antiquis, nomina-
tim a *Virgilio & Silio Italico*, Corythum adpellatam perhi-
bent, a Corytho Etruriæ rege & Dardani ædificatoris paren-
te, ut est apud *Servium ad Virgil. III. Aeneid. v. 167.* Anti-
quitatem urbis confirmat *Herodotus Libr. I. Cap. 17.* itemque
Dionysius Halicarnassensis Libr. I. Cap. 26. & 27. qui Pelas-
gos ibi diu ante bellum Troianum sedem suam fixisse testan-
tur, quorum tamen ille urbem non *Κερώνη*, sed *Κερύων*,
nisi mendum verbis eius irreperit, nominat. Tacemus de
Theopompo, qui apud *Stephanum Byzantium* urbis huius
mentionem facit, deque *Lycophrone*, qui eam *Γορρυών*
dicit, Ulyssesque ibi commoratum fuisse memorat, simul-
que eo loco, ubi sepulcri Ulyssis meminit, *Pergè* montis
mentionem iniicit, qui ad hunc usque diem eo nomine a re-
gionis huius incolis insignitur. Incenso Ilio, Tarchontem
regem, Telephi filium, sedem suam ibi habuisse, ex *Silio pro-*
babile

Præf. p. 7.

habile est, quod is Cortonam *Tarchontis* adpellat *domum*. Postea magis magisque crevit, adeo, ut inter XII. Etruriz urbes, principem occuparet locum & reliquarum caput esset, teste *Livio, Decad. III. Libr. II.* Fractis deinde Etruscorum exercitiis ad lacum Vadimonis, diu multumque tranquillam societatem, cum Romanorum potentia coniunctam, habuisse, gavisa est urbs nobilissima, donec late patentem agrum, diversis vicissitudinibus, hostili & Romano sanguine undantem videret, quod ex *Polybio & Livio* constat. Cortonam deductam fuisse coloniam, *Dionysius Halicarnassensis* adfirmat. Ex lapidibus patet, cives Cortonenses Stellatina tribu censos fuisse, prefectumque seu correctorem Etruriz, Cortonæ sedem habuisse, cum quibus etiam ea in re Rutilii itinerarium conspirat. Ex aliis marmoribus seviros augustales, ædiles, quæstores, aliosque coloniarum proprios magistratus discimus. Recentiori ævo multa ibi effossa ac reperta sunt antiquitatis monumenta. Eo spectant rudera balnearum; sarcophagus Etrusce inscriptus: signum æneum, histriones, procul dubio Etruscos, referens: pulcherrima ex auro armilla, multæque aliæ pretiosæ vetustatis reliquæ; quæ in museis Io. Bapt. Mancini, Reginaldi Sellari, Nicol. Vagnacci, Philippi Alticozii, & præ ceteris, Marchionum de Venutis, adservantur. Nec tamen sola huius urbis ab antiquis rebus est commendatio; sed etiam a situ, fertilitate, saxi, maxime nobilissimi marmoris, fodinis, magnificis templis, imprimis vero a celeberrima Academia Etrusca, studio ac solertia nobilium iuvenum, proximis ab hinc annis instituta.

His præmissis, exhibetur descriptio monumentorum Cortonensium, tabulis æneis expressorum, quarum numero LXXXV. sunt. Nos operæ pretium esse arbitramur, ipsarum catalogum hoc loco subnecti.

- I. Urbis Cortonæ Etrusca mœnia.
- II. Sepulcri Etrusci Cortonensis pars interna.
- III. Eiusdem sepulcri pars externa.
- IV. Iovis simulacrum ex ære.

V. Inno-

- V. Iunonis simulacrum ex ære.
 VI. Iunonis icuncula ænea.
 VII. Bacchi Etrusci simulacrum.
 VIII. Bacchus, nobilissimo artificio ex ære.
 IX. Satyri, vindemiam agentes.
 X. Bacchans, fragmentum fictile.
 XI. Venus Etrusca ex ære.
 XII. Dea Etrusca incognita, serpentinis pedibus.
 XIII. Puer velatus præpinguis, iacens in lecto, una cum alio, Deæ cubantis, forsitan Iunonis Cinxæ, signo.
 XIV. Idolum Etruscorum ignotum.
 XV. Iunonis Feroniæ imaguncula.
 XVI. Priapi sacrificium ex marmore.
 XVII. Miles Etruscus ex ære.
 XVIII. & XIX. Histriones Etrusci ex ære.
 XX. Anaglyphum Aegyptiacum marmoreum, pugnam inter leonem & pantheram, e specu profilientem, referens.
 XXI. Gryphus ex ære, cum inscriptione Etrusca.
 XXII. Iupiter Ammon in iaspide Aegyptio.
 XXIII. Iupiter Milichius, incisum in achate.
 XXIV. Dea cœlestis, incisum in corneola.
 XXV. Apollo & Marfyas arbori alligatus.
 XXVI. Apollinis symbola in smaragdo: tripos, serpens, corvus, arcus, pharetra ac lauri ramus.
 XXVII. Apollinis symbola, corvus, insidens pharetræ, cum arcu & sagittis, æquipondium rostro tenens, caput fulmine tegens.
 XXVIII. Venus, Cupidini globum offerens, incis. in corneola.
 XXIX. Amor cygno insidens, tridente delphinum impetens, in corneola.
 XXX. Ceres, incis. in diaspro.
 XXXI. Mercurius, incis. in corneola.
 XXXII. Mercurius, incis. in achate.
 XXXIII. Mars nudus cum galea, hasta & clypeo.

Ff

XXXIV.

- XXXIV. Mars, dextra fulmen gerens, in gamma, vulgo granata.
- XXXV. Bacchus a nutrice ulais elatus, in achate.
- XXXVI. Vertumnus, incis. in corneola.
- XXXVII. Hercules, Cerberum domans, in corneola.
- XXXVIII. Hercules, Delphicum tripodem in humeris deferens.
- XXXIX. Leo Nemeus, in corneola.
- XL. Leo, papilionem ore ferens, in corneola.
- XLI. Providentia, in achate, amuletum Basilidianum.
- XLII. Fortuna, delphino insistens, in achate.
- XLIII. Fortuna, incis. in corneola.
- XLIV. Fortuna cum gubernaculo, incis. in corneola.
- XLV. Ara Fortunæ, cum duplici sidere, duabus locustis, gubernaculo & cornu copiarum. In gemma, vulgo *Niccolo*.
- XLVI. Bonus Eventus, in iaspide viridi.
- XLVII. Pietas, incis. in corneola.
- XLVIII. Victoria, in achate.
- XLIX. Equus chiuzram impetens.
- L. Dædalus, aras Icaro imponens, in corneola.
- LI. Castor & Pollux, incis. in corneola.
- LII. Milites, fidem sibi mutuo præstantes, in achate.
- LIII. Achillis interitus, in corneola.
- LIV. Diomedes, palladium auferens, in corneola.
- LV. Faustulus, cum lupa, Romulo & Remo, in corneola.
- LVI. Roma, cum lupa & lactantibus, Romulo & Remo, in corneola.
- LVII. Hyænzæ caput, incis. in topatio.
- LVIII. Baccha, incis. in achate.
- LIX. Baccha, sub alia specie, incis. in achate.
- LX. Saltatores mimici in cymba, flumini imposita, ad cuius ripam flores & aves cernuntur.
- LXI. M. Aurelius Aug. cum face & lituo, adstante iuvene nudo, qui Commodus Cæsar videtur, serpentem super flammam, aræ impositas, tenens, & Marti sacrificans. Ad lætus est columella cum galea. In cameo.

- LXII.** Sacrificium, saluti oblatum, in iaspide candido.
LXIII. Sacerdos Cereris, in achate.
LXIV. Sacerdos rusticus, in calcedone.
LXV. Aruspex Etruscus cum avicula. Incis. in corneola.
LXVI. Serapis, in corneola.
LXVII. Mercurii caput cum galea.
LXVIII. Solonis caput, in corneola.
LXIX. Alexander Macedo, in corneola.
LXX. Aratus poeta, in corneola.
LXXI. Ptolemæus Soter, in hyacintho.
LXXII. Numa, secundus Romanorum rex, in achate.
LXXIII. Ovidius Naso, incis. in corneola.
LXXIV. Nero & Agrippina, in hyacintho.
LXXV. Julia Sabina, Titi Aug. filia, in achate.
LXXVI. Antinous, in gemma, vulgo Niccolo.
LXXVII. Antoninus & Faustina, in gemma, vulgo Niccolo.
LXXVIII. Infantis caput in gemma, vulgo granata.
LXXIX. Patera ærea Etrusca, in qua columnis exornatum profœnium est, una cum duabus mulieribus inter se colloquantibus, ex ære.
LXXX. Etrusca arula tripes. Pedes recurvi & gryphi simili sunt. Adfurgit serpens perelegans. In quatuor angulis mensæ prope crateram, sedent quatuor aviculæ, forsitan columbæ. His quinta accedit, quæ arulæ fulcro adrepens, sursum ascendere nititur. Ex ære.
LXXXI. Hasta militaris, ex ære.
LXXXII. Triclinium Etruscum in urna fictili.
LXXXIII. Urna Etrusca fictilis.
LXXXIV. Lucerna Christiana fictilis, cum monogrammate Christi & capitibus XII. Apostolorum.
LXXXV. Lucerna Christiana fictilis, cum hamo, rete ac pisciculo.

Præstantissima hæc antiquitatis monumenta, quæ Cortona urbs ad præcipua, quibus ipsa splendet, ornamenta refert, celeberrimi triumviri, Gorius, Valesius & Venetus, notis & observationibus illustrarunt, easque ipsis tabulis æneis, quibus figuræ expressæ cernuntur, præmiserunt. In quibus etsi multa occurrant ad mythologiam potissimum spectantia, quæ nemini, harum rerum vel leviter perito, nec debent nec possunt esse incognita; licebit tamen nonnulla rarius obvia & singularia quædam maiori attentione digna capita excerpere, & cum humanissimo lectore communicare.

Tab. IV. Iupiter, cognomento *anxur*, ab *ἀνευζυγαῦ*, sine *novacula*; ideoque imberbis ita exhibetur, ut ipsum simulacrum Jovis summam figuram referre videatur. Fulmen peculiaris est formæ, idque rectum tenet, quum alias frequentius obliquum teneat Iupiter. *Tabula V.* Junonem, & Feroniam quidem, refert, quam in tota Etruria & apud Sabinos Latinosque populos, templa habuisse longe celeberrima, satis notum est. Caput eius tutulo ornatur, collum torque, tunica scutulis quasi gemmis & floribus est distincta, & circa brachia parvis bullis vel fibulis eleganter adstricta. Ad *Tab. VI. & VII.* disquiritur, cur Baccho cornua tribuerint veteres, & utrum eum Etrusci, apud quos cultum ipsum esse, novimus, unum e novem diis esse, statuerint, qui, ut docet *Plinius* ex libris auguralibus veterum Etruscorum, emittere fulmina credebantur. *Tab. IX.* multa nobis ostendit, quæ ad antiquitates vindemiales spectare maxime videntur. Ex *Tabula XI.* discimus, veteres Etruscos etiam Venerem coluisse, & forsitan *Murciam*. Jacens illa efficta est ac dormiens, totoque corpore nuda; nisi quod amiculum velat dextrum femur & crus, & sub reliquas partes insternitur. Capilli in fronte concinne dispositi, post terga soluti visantur. *Tabula XIII.* Deum infantium vel puerorum præsidem, & eum forsitan, quem Romani *Stativum*, vel potius *Lallum*, vel *Fabulinum* dixere, referre videtur. *Tabula XV.* comparet Dea, ancillarum more vestita, restaque ibi observatur, hos aliosque adsimiles Deos, servilibus vestibus indutos, eos esse, quos

quos antiqui *anculos & ancular* vocaverint, de quibus varia doctè in medium proferuntur. Ad *Tabulam XVI.* de Priapo est sermo, ac de eius apud veteres cultu. *Tabula XXIII.* incisus cernitur Iupiter Milichius, de quo insigne effatum habemus apud *Aristotelem, de mundo, Cap. VII. Tom. I. Operum, p. 65. ed. Parisi.* *Tab. XXIV.* refert *Dææ* signum, quam *cælestem* vocatam & apud *Afros* cultam, doctissimus *Valesius* existimat, additque ex *Apuleio*, *Deam* hanc *cælestem* nullam aliam, quam *Junonem* fuisse, quamvis non desint indicia, ex quibus colligi possit, *Deam* hanc & pro *Venere, Cerere, Diana, Iride* ac *Proserpina* putatam esse. Ad *Tabulam XXV.* in qua *Apollo* cernitur cum *Marsya*, data occasione erudite de duobus fluvii, *Marsya & Mæandro*, differit doctissimus *Venetus*, atque ex *Xenophonte* ostendit, duos hos fluvios diversos habuisse olim fontes, id quod *Maximus Tyrius* negaverat. Ad *Tab. XXVII. — XXX.* de pomo in manibus statuarum *Veneris*; de consociatione amoris & cygni in vetustis gemmis; de *Cerere* & causa, cur formicam illi numini, corvum vero *Apollini* adsignaverint veteres, differitur. *Tabula XXXI. & XXXII.* *Mercurium* refert, de cuius in antiquis gemmis figura varia adnotantur a *Valesio & Venuto*, id quod & quoad *Martem, Tab. XXXIII. & XXXIV.* factum est. *Tabula XXXV. — XXXVII.* *Bacchum, Vertumnum & Herculem* nobis ostendunt, ad quas illustrandas, de *Musis, Bacchi* nutricibus, de ipso *Vertumno* deque *Cerbero*, varia observantur. *Leonem Nemeum Tab. XXXIX.* cernimus, de quo, quid poetæ & mythologi siverint, in medium adfertur. Alius leo cum papillone in ære *Tab. XL.* comparet, quod cur factum sit, variæ causæ in medium adducuntur, addita coniectura, geminam forsitan esse genethliacam, atque ad animam referri posse, quæ vitam sub leonis signo gerat. *Tab. XLI.* cernimus providentiæ simulacrum gemmæ incisum, & quamvis illa more consueto cum orbe in dextera, & hasta in sinistra manu, compareat, haud immerito tamen *Basilidiani* operis gemmam esse, ex adversæ partis inscriptione colligitur: quæ licet, uti omnes eius generis magici lapilli, in-

soletos litterarum ductus habeat; ex harum tamen compositione aptaque divisione hæc verba elicit Valeſius :

I A Ω ' I Δ	<i>Iao vide, (quod)</i>
' O Υ Κ ' E I Δ E' Δ	<i>non forma</i>
Δ I ' A H' I A	<i>divina ſit Ia</i>
Ω	O

Nomen *Iao* ab ineffabili, *Iehovah*, effectum eſt; quando vero ſequitur: *quod forma divina non ſit Iao*, referenda hæc eſſe Auctor ceuſet ad imaginem providentiæ, ſub cuius typo numen *Iao* adumbratum ſit, quippe cuius non exſtaret in gemina divina forma. Iſtum hunc ſummum Deum *Abraxas* *Baſilidiani* nuncuparunt, qui idem ac *Mithras*, *Sol*, *Perſarum Deus* fuit, ut ex reſponſo *Apollinis Clarii* apud *Macrobius*, *Libr. I. Saturnal. Serm. Cap. 18.* pater. Quodſi autem ipſæ litteræ, quibus vocabulum *Abraxas* compoſitum eſt, ad numerorum valorem rediguntur, conficitur inde numerus *CCCLXV.* qui totidem anni diebus reſpondet, quibus ſol curſum ſuum abſolvit. Ita quoque arcanum quid in modo dicta inſcriptione *Baſilidiana* poteſt latere. Id ipſe credit Auctor noſter, quumque ex literis hiſ numerus *CLXXXVII.* naſcatur, ſummam ipſam duplicandam eſſe arbitratur, *quæ ſi duplicetur, inquit, ſit numerus CCCLXXIV, e quo ſi IX. ſubducantur, quum novenarium hieroglyphicum infauſtum fuerit, & erat ſymbolum natura genialis a ſupremo numine, id eſt decade deficientis, ut Phercydes ſcriptum reliquit, diſtus fuit anteſignanus agminis a Deo deficientis, & teſte Eufebio Ophoneus, id eſt, demon ſerpentinus, quem magi placare ſtudebant; redit numerus CCCLXV. Tabulis XLII — XLIV. fortunam diverſa ratione effectam, & Tab. XLV. aram eius cernimus, de qua varia adnotantur. Ara ipſa eſt oblonga, qualem in Græcia *Parcarum* fuiſſe, *Pauſanias* reſert, *Eliac. Libr. V. pag. 315.* Ornatur duplici ſidere, quum fortuna olim crederetur eſſe ſiderum diſpoſitio. Adſtant locuſtæ, quæ moderationem ac temperantiam ſignificant. De Bono Evento ad *Tab. XLVI.* de pietate vero eiusque ſigno, ad *Tab. XLVII.* agitur.*

agitur. Victoria plerumque volans, virginis pulcræ speciem referens, altera manu lauream aut oleagineam coronam, altera palmam vel parazonium tenens, in gemmis & nummis effingitur; nonnunquam tamen, uti *Tab. XLVIII.* cum sola corona in manibus comparet. Chimæram & Amazonis effigiem *Tab. XLIX.* videmus, ad quam de utraque nonnulla disputantur. Quæ deinde ad *Tab. L.* de Dædalo, Icaro alas imponente; ad *Tab. LI.* de Castore & Polluce, geminis Lædæ filis, & galeatis, eorumque stellis, nautis felicitatem nuntiantibus; ad *Tab. LII.* de duobus militibus, fidem sibi mutuo promittentibus, quorum alterum Achillem, alterum Agamemnonem esse, doctissimus Venetus credit; ad *Tab. LIII.* de Achillis interitu deque Ulyssæ dicuntur, non est, quod hoc loco fule repetamus. Diomedes, Palladium auferens, in gemmis passim, etiam in illa, quæ *Tab. LIV.* expressa est, cernitur, cum qua ea, quæ de hac re *Virgilius Libr. II. Aeneid. v. 163.* memorie prodidit, conspirant. Quæ deinde de sicu Ruminali, quæ Romulum & Remum, infantes, lupa alimentis præbente, texisse fertur, ad illustrandam *Tab. LV.* adferuntur, notatu digna sunt. Non solum enim de ipsa hac arbore, num, quæ Ruminalis nuncupata, eadem sit cum illa, quæ *Navia* ab Actio Navio augure dicta fuit; sed etiam de vexato *Plinii* loco *Libr. XV. Cap. 18.* cui mendum inesse, omnes ipsius latentur interpretes, nominatim Scaliger, Salmasius, Harduinus, fule & erudite disputatur. Ipse Auctor noster in ea est sententia, sicum Ruminalem & Naviam unam eandemque fuisse arborem. *Una igitur, inquit, eademque arbor Ruminalis nunquam loco mota, ac Navia fuit, neque prior ad Germalum ripamque Tiberis querendo, uti scripsere Salmasius & Harduinus. Quum enim in comitio fuerit, post Tacitum diserte dicit P. Victor: sicus Ruminalis in comitio, ubi & Lupercal, ad ripam Tiberis fuisse, etiam dicendum est, quum hac usque, ad radios nempe Palatini montis, stagnantes hibernæ fluminis aquæ pervenirent, id quod ex Ovidio & Aurelio Victore potest comprobari.* Ad *Tab. LVI.* de Roma Dea agitur, recteque observatur, hæc *Dionis* in Hadriano

verba: αὐτὸς μὲν γὰρ τῷ τῆς Ἀφροδίτης τῆς τοῦ Ρώμης
 ναῦ ψάγμαμα αὐτῷ πέμψας male lecta esse ab interpre-
 te: descriptionem & formam templi Veneris, quod Roma fa-
 bricaverat, ad eum misit, quum potius vertenda sint: ipse qui-
 dem, scil. Hadrianus, descriptionem templi Veneris & Roma
 ad eum mittens. Quæ ad Tab. LII. adfertur quæstio, ad
 Hyænam, ferocissimum animal, & quid de illo fluxerint vete-
 res, spectat. Tab. LX. saltatores mimici in conspectum
 prodeunt, quos pantomimicos esse, Cel. Venetus sibi persua-
 det, deque horum origine & ludis varia ex prisca auctoribus
 observat. Tabula LXIV. sacerdotem rusticum exhibet, quæ
 vel ideo æstimanda, quod illius ope habitum rusticum discere,
 & discrimen, quod illum inter & urbanum est, curatius
 observare datur. Quæ ad Tabulam LXVI. & sequentes
 de cultu Serapidis: de galea Mercurii: de Solone philoso-
 pho: de imaginibus Alexandri Macedonis, earumque in gemmis,
 boni ominis causa, usu: de Arato poeta: de Ptolemæo Sote-
 re, rege Aegypti, ac de Numa Pompilio dicuntur, quod satis
 cognita sunt, consulto præterimus. Ad Tab. LXXIII. quæ
 Ovidium refert, de causa exilii huius poetæ disputatur,
 quumque illa duplex fuit, altera, quod libros de arte amandi
 conscripserat: altera, quod aliquid nolens ac per errorem vi-
 derat, merito, quid illud fuerit, quaeritur, quum ipse id ubique
 reticuerit, & solummodo dixerit:

Perdiderint quum me duo crimina, carmen & error.

Libr. II. Trist. eleg. 6. v. 7. Putarunt aliqui errorem, quem
 innuit, fuisse, quod Iuliam, Augusti filiam, amasset, falso *Co-
 rinne* nomine celebratam; hoc tamen reiicit *Manutius*,
 quum id non error, sed scelus fuisset; præterea iuvenis ad-
 modum ille Corinnam amavit; quum vero ad Getas relega-
 retur, fuit quinquagenarius. Alii existimant, vidisse Augustum
 cum filia Julia turpiter iacentem, id quod ex *Suetonio vit. Ca-
 lig. Cap. XCI.* probabile reddi posse, autumant; verum neque
 hoc credi posse, arbitrat̃ur doctus *Valesius*, quia *Suetonius* ipse
 incestuosos Augusti cum Julia complexus, *falsas insinuationes*
 esse

esse pronuntiat; poeta vero toties hoc secretum obiciendo, immitiorem reddidisset Augustum, quem tamen placare studebat. *Tab. LXXIV & LXXV.* Nero & Agrippina, Iulia Sabina, Titi Aug. filia, Antinous, Antoninus Pius & Faustina cernuntur, de quibus breviter & strictim agitur. De capite infantis, *Tab. LXXVIII.* conspicuo, observatur, pueros nudos & formosos prisca Romanis maxime fuisse in deliciis, idque Herodiani, Aeliani, Suetonii aliorumque testimoniis comprobatur. *Tabula LXXIX.* pateram æneam Etruscam; *LXXX.* vero Etruscam arulam conspiciendam præbet. Haram illa simul probat, ludos scenicos prisca Etruriz polulis neququam incognitos fuisse; ex hac vero non sine probabilitate conici potest, eam ipsam Aesculapio dicatam fuisse. Manus æneæ, *Tab. LXXXI.* expressa, eximie est raritatis. Referenda illa est ad militum insignia, cuiusmodi in anaglyphis marmoreis cohortium & manipulorum propria esse, observamus. Ceterum non solum pro manipulorum & centuriarum insignibus manus æneæ in usu erant; sed & ad hostes arcendos adhibebantur, sicut ex elatis unguis æneæ huius manus luculenter cognosci potest. *Tab. LXXXII.* in urna fictili triclinium Etruscum cernitur, ad cuius rationem explicandam Cel. Gorius quædam de veterum Etruscorum conviviiis sumtuosissimis in medium adfert, atque ad illustrandas tabulas sequentes, quæ aliam urnam Etruscam duasque Christianas lucernas ob oculos nobis ponunt: de hastis & gladiis, quos, præter faces, furis ad homines puniendos tribuerint veteres: de infernali numine, Discordia; de Picunno & Pilumno: de pisce, veterum Christianorum symbolo, deque vocabulo ΙΧΘΥΣ, cuius singulæ litteræ singulas constituent voces: ΙΗΘΥΣ, ΧΡΙΣΤΟΣ, ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, ΣΩΤΗΡ, erudite disputat. Ex his omnibus satis patet, multa antiquitatum amatores in hoc præstantissimo Cortonensi museo invenire utilia & iucunda. Si qua tamen censoria nota dignus videtur liber, foret id sine dubio propter nimia operarum vitia, quæ sæpe omnem sensum turbant, & elegantissimo commentario haud levem adferunt maculam.

GEORGII STOBOEI DE PALMABURGO, EPISCOPI Lavantini, Cæsareæ Maiestati & Serenissimo Ferdinando, Archiduci Austria, a secretioribus consiliis, nec non pro eodem, per inferioris Austriae provincias, Locumtenentis, Epistolæ ad diversos, nunc primum in lucem editæ.

Venetis, apud Iosephum Rosa, 1749. in 4.

Alph. 2. plag. 10. cum imagine auctoris, æri incisa, eisdemque epitaphio.

Quantum hæ epistolæ præsidii contineant ad pernoscendam superioris Seculi historiam sacram, aperiendasque calamitatum, quæ sacris emendatis, per terras Austriacas, inciderunt, causas, facile intelligent, qui norunt, eas & ad Ferdinandum maxime, postea Imperatorem, huius nominis secundum, & ad alios rei publicæ, sacræ civilisque principes viros, & ab eo, qui omnium consiliorum auctor & tanquam machinator reperitur, scriptas esse. Quam ob rem non male meritis esse de hominibus eruditis censendus est Hieronymus Lombardus, Soc. Ies. qui foras eas dedit, atque Congregationis Reformatae Canonic. Regular. S. Augustini in Lusitania regnis nomine apparere publice iussit. Qui quum in præfatione breviter de auctoris vita exponat, primo hic præcipua illius momenta repetemus; deinde vero ea de epistolis ipsis afferemus, ex quibus lectores per se possint ad earum pretium facere coniecturam. Georgius Stobæus igitur e Borussia oriundus fuit. Natalium & conditionem & annum silentio editor præterit, ut omne illud iuventutis tempus, quod ad annum 1583. effluxit, quo, post obitum Georgii Agricolæ, ad Lavantinum præsulatum evectus est. Domicilium episcopi Lavantini funditus; oppidi autem S. Floriani partem in Syria, exædificasse dicitur; neque minus Lavantinum palatium Salisburgi vendidisse, pretio autem illius Schieslingensem agrum a Martino de Palmaburgo coemisse, perhibetur. Obiit 1618. ætatis 86. episcopatus 35. die 23. Octobris, eo morbi genere, quod Græci ἀπὸ πλῆθους vocant. Hæc sunt, quæ scire de illo nos voluit

luit editor; reliquam vitæ partem, fortasse ignobilem, neque dignitatibus illis, quas consequutus est postea, satis respondentem, tacitam relinquit. Vocat eum *virum egregie doctum disertumque, & zelo, quo secta Lutherana sese opposuerit, celeberrimum*. Quæ laus quanto merito suo ipsi tribuatur, epistolæ eius edent indicium; quarum etsi non unum *exemplar manuscriptum* in Germania esse Lombardus testatur, unde facile hoc, quod machinis exscriptum ipse publicet, augeri possit: tamen omnes in uno exemplari epistolæ ferme contineri negat. Quod edit, a Comite *Sigismundo a Gallenberg*, secum communicatum esse profitetur, non *αὐτοῦ* quidem illud; summa tamen diligentia transcriptum. Præter epistolæ, *Stobæum* libellum quemdam, de *institutione Clericorum*, pro sua diocesi, dedisse in lucem; aliumque de *Reformatione*, prælo parasse, editor confirmat, qui tamen utrum adspexerit lucem, dubitat; nisi tamen idem ille fortasse fuerit copiosa tantum epistola ea, quam *P. Hanfzius* T. 2. *Germania Sacra* p. 676. inseruerit. Alias viri epistolæ, ære librario ante iam exscriptas, præteritus, atque ad eas, quæ hoc volumine comprehensæ sunt, venimus. Datas sunt eæ ad *Ferdinandum Archid. Austria, Franciscum Barbarum, Leopoldum Archid. Sebastianum Præpositum Secoviensem, Maximil. Ederum, Robertum Turnerum, Nicolaum Ep. Sagrahionsem, Wolfgang. Iæchlingerum, Præpositum Lavantinum, Mich. Lauretanum, Episcopum Ferrariensem, Frid. Borromeum Cardinalem, Sylvium Antonianum, Communitatem Santiandream, Neubauerum, Franc. a Districhstein Cardinalem, Wolfg. Theodoricum, Archiepsc. Salisburgensem, Capitulum Lavantinum, Mariam Archid. Austria, Camillum Suardum, Marcum Antonium, Segna Episcopum, Andream Bufavium, Fabianum Quadrantinum, Iosephum Rabatam, Iacobum ab Edling, Wolfgangum Druscocium, Hieronymum Porciam, Bernbardum Macicouium, Rudolphum II. Imp. Gisbertum Voffum, Iohannem Iacobum Episc. Gurcensem, Cinsbium Aldobrandinum, Clementem VIII. Simonem Ep. Sagrahionsem, Gisbertum Schauenbavium, Carolum Archid. Bartholomæum.*

Villevium, Philippum Com. ab Aremburg, Antonium Zarem, Adolphum et Altum, Io. Ambros. Comitum Turrianum, Urbanum Petingerum, Blasum Laubichium, Nic. Com. de Zrini, Io. Draschovitzium, Franc. Bathianum, Io. Deckerium, Antonium Velferum, Sigismundum III. Polon. Regem, Petrum Tiličky, Martin. Siskowsky, Claudium Rangonium, Martinum Ep. Ploenssem, Senatam Ragusanam, Balb. Schrottenbachium, Anton. Com. a Lodron, Petrum Casalum, Petrum Pázmáni, Franc. Forgacz, Card. Paulum a Krauseneg, Io. Gallerum, Exdoticum Colorado, Rupertum Eckenbergerum, Herm. ab Atbimis, Card. Burgbesium, Polydorum Locatellum, Io. Gerozum, Io. Carol. Sinnich, Petrum Draschovitzium, Io. Federic. a Mersberg, Mariam Magdal. Archid. Constantiam Regim. Poloniae, Troilo a Lessot, Gregor. Bernitium, Ioannem Fersium, Sclencum Adalbertum Popelium, Paulum V. Io. Baptistam Fenzonium, Richardum Hallerum, Franc. Ursinum, Frid. Bergbium, Adamum Wenceslaum, Duc. Teschinessem, Io. Pezelium, Io. Gottfridum, Ep. Bambergensem, Simonem Rudovicium, Clefesium, Melinum, alios quosdam, interiectis non raro iis, quae scriptae sunt ad Stobaeum. Mira rerum varietas facit, ut lector haud facile defatigetur; praesertim quum dictio sit casta & satis elegans. Argumenti sunt & sacri, & historici, & litterarii, & civilis potissimum officiosique, epistolae: cuiusvis vero specimen aliquod subiungere hic nobis liceat. Sic epistola ad *Sebastianum* causas explicat, quare Christus voluerit circumcidi, & de triplici sensu differit, quo debeat intelligi illud: *Legem a Christo impletam esse*: ad *Carolum Austriacum* de illo Davidis dicto: *divitiae si affluant, nolite cor apponere*, disputat: *Gisberto* vero *Schevigaio*, copiosa epistola, de causis, cur contemnantur Clerici, ad se agenti, ipse dat operam. Cuius quidem contentus has maxime causas affert; quod *primo* ferme sint obscuro loco nati; *deinde* inficii; *tertio* vita improba; *quarto* ministerium suum non honorificent, & sine debita reverentia & maiestate functiones suas obeant, *quinto*, quod hominum pervertitas vitia paucorum transferat ad omnes. Quod illas epistolas, quae de rebus gestis exponunt,

Pag. 9.

174.

188.

nunt, attinet, non admodum multos fore indicamus, qui eas hic replicandas a nobis existiment, in quibus res, per orbem tum recens gestas, amicis significat; quippe quæ nec magni semper momenti sunt; & si fuerint ad memoriam insignes, aliunde disci facile possunt. At illæ tanto magis dignæ videntur, quarum argumentum breviter attingamus, in quibus de extirpandis purioribus sacris ad Ferdinandum Archiducem, aliosque, agit, quanto maiores gravioresque partes illius in ea re fuerunt. Ostendit enim *Ferdinando*, petenti, quid consilii capiendum foret pro conservanda Catholica religione, primo in hanc rem omnino insistendum esse, quocumque timore seposito; præscribit deinde, qua ratione id, quod intendere, consequi posset; monet postremo, huius executionis initium a Græcensi civitate fieri oportere. *Optima, meo quidem iudicio, reformandi ratio, est, ait, ut Serenitas V. omnibus procul armis & artibus, (quæ ad extremum, cum deficiunt alia media, servanda sunt,) utatur auctoritate sua principali, divinitus concessa, iubeatque omnes suos subditos esse catholicos, iusso non parentes exulare patria finibus, quod sic Deus, Princeps, sicut uniuscuiusque, postulet, iubeat, extirpat, & plus profecerit, quam omnibus macheris, violentiis & persuasivibus. Non est vanum principis nomen, non vana potestas. Nec consultori auctoritatem, (quippe qui gratia sic valebat apud principem suum, ut vicariam potestatem in terris, sibi hereditate relictis, ei concedere nullus dubitaret, & in omnibus provinciis suis parem ei putaret neminem, Caroloque, fratri, in episcopatu Wratislaviensi, summum præfectum eum renuntiaret, quo res Catholicorum, Græcensis episcopi, decessoris quippe sui, culpa collapsas, restitueret;) neque consilio successum defuisse, tristis docuit experientia. Alio loco de inquisitione adversus hæreticos, an, & quomodo instituenda sit, ad eundem agit. In provincias Germanicas ne introducatur INQUISITIO, nec causam video, nec modum, dicit. Quid enim inquiram, ubi omnes palam sequuntur hæresin, & libere profitentur Lutherum? Sed inquiram, quomodo eos iudicio sistam, qui iuris dicendi bellique administrandi clavum tenent?*

Pag. 307.
312.

29-

- Pag. 75. Eundem hortatur, ut, sibi constans, in profliganda hæresi, popularium postulatis precibusque anres occludat; neque quicquam timendum esse, docet Aldolbrandinum Cardinalem, etiam si eorum precibus locus non relinqueretur. Atque, ut in ea re suo exemplo præiret, Clementem VIII. P. M. enixe rogat, ut collegium Sodalitatis Iesu in Carinthia constituat, ac, videns consilii sui successus optatos, de hæreticis oppressis impense sibi gratulatur, ultimamque eorum, post peremptorium Ferdinandi edictum, profligationem lætus narrat. Rei geltæ rationem ordine Paulo V. perscribit, atque, unum modo male se habere, conqueritur, videlicet *integram nobilitatem in hæresi professione libertatem, quod maximum istius Reformationis vitium esse pronuntiat*. Modum tamen prospiciendi, eum facillimum esse iudicat: *Si prohiberentur, filios suos ad scholas hæreticas mittere, si pupillis assignarentur tutores Catholici, et si nullus posthac in album Provincialium assumeretur, nisi Catholicus*. Quibus vero artibus usus, per omne illud tempus, quo munere, supra dicto, functus est apud Carolum, episcopum Vratislaviensem, ordinibus, sacra emendata professis, in Silesia restiterit, ac spem templi, Nissæ ædificandi, iis eripuerit, vique edicti Cæsaris infregerit, ex variis intelligitur epistolis. Alia præterimus, quæ Iupiter velut cum Iunone in thalamo videtur locutus, hic autem literis prodita publici iuris fiunt. Litterarum epistolæ specimen sit illa, qua de tempore, ad quod revocanda sit Iudithæ historia, disputat; quam Nabuchodonosoris, non Chaldæi quidem illius, qui Babylone habuerit sedem regiam; sed Assyri, qui Ninivæ habitaverit, imperio adscribendam esse iudicat. Civilis prudentiæ vestigia passim apparent; multis etiam in epistolis præcipuos eius locos tractat, ut: quænam sint consilii virtutes? qua ratione facta, tecta, principis possit esse auctoritas? & si quæ sunt alia his consimilia. Sed sufficiat, hæc, velut gustus causa, ex opere delibasse, unde plura poterunt haurire homines eruditi. Quæ ad officiosum epistolarum genus pertinent, nemo, ut de iis exponamus, magnopere a nobis requiret.

HI.

HISTORICO-CRITICA DE SEPTUAGINTA*Interpretum Græca versione, commentatio; Auctore M.***CHRIST. ERNESTO MEERHEIM, Eccles.***Pegau. Diacono.*

Lipsiæ, sumptibus Auctoris, 1754. 8.

Plag. 14.

Quid est, quod impediât, quo minus argumenti li-
bellum neque illius quidem novi, neque tantum
ancipitis causæ patronum, afferamus? Satis, cedimus, neque
omnium, neque nostræ forte expectationi satisfaciat! at
certe operæ pretium esse censemus, de vera illius vi
& ratione exponere, nec alienum, publicam aliquam eius
consilii usuram præcipere. Cuius ratio tantum abest, ut
Vossianam illam aut ceterorum similium aliquam æquet,
vel, quod maius est, superet; ut potius rerum late disie-
ctarum ac dispersarum ubertatem leviter adumbret, & bre-
vitate non inutilli quasi temperet. Orsus vero a generali
ô viralis interpretationis commemoratione, imperitam ela-
borationis fictionem magis, quam veram traditionem, ex Bezz,
maxime de sex mundi ætatibus MSt. libris, paucis enarrat.
F. Iosephum, Aristobulum, Philonem, primævæ ecclesiæ do-
ctores, concedit ex turbido illo Aristæ fonte alios alio
consensu hausisse. Inde fictionis tempus modumque non
consentaneum excutit, cuius descriptio sextuplex est. Pri-
ma a sensu illo ac reverentia adversus verum Deum, &
Israelitica sacra incredibili plane & inaudita Ptolemæi,
Sositii, & Demetrii proficiscitur. Altera in ô interpre-
tum commemoratione posita est. Indicia quoque effusi
pæne gaudii, lacrimæ & perpetua memoria, ad quam an-
nua accesserit festivitas, reclamant, quam allatis libris SS.
non significatam tantum a Ptolemæo, sed & declaratam
iactant. Penitus autem, regem a vero Deo alienum, ad-
horret a vero, 21804000. thalerorum imperialium divinis
oraculis interpretandis impendisse. Demetrius denique Phale-
rens totam ferme rem in suspensionem haud obscure adducere
videtur. Atque ut brevi præcidamus, placet, in ipsam causæ ar-
ctorem ascendere, ut aliquando tandem luculentius, quæ sit au-
ctoris

storis sententia intellegatur, quo loco, quibus fundamentis & fulcris, quæ sane maxima sunt, posita consistat. Iudæos vero coniecit Alexandrinos, quis enim est, quin coniecturæ tam mutæ & elingui in foro locum relinquat? hos igitur coniecit, extincto fere patrio sermone, Ptolemæi venia auspicioque, libros sacros Græce reddidisse, a qua sententia plurimos doctissimorum hominum parum abesse docet. Accedit, quod auctor Ptolemæo Demetrius Phalereus fuerit, ut libros, qui rempublicam tradant, undequaque colligeret. Interpretationem ad septuaginta Synedrîi Alexandrini senatores referre, cum, eo suffragante, inter Iudæos hellenistas instituta fuerit, non est auctoris nostri, sed magnæ pridem partis eruditorum. Quod reliquum est, de libris translatis, modo, tempore, & ceteris similibus, de quibus inter omnes constat, plura nil attinet dicere.

NOVA LITTERARIA.

Cum hoc Mense prodit Catalogi Bibliothecæ Menkenianæ Pars I, Libros Theologicos, Veteres Græcos & Latinos, Philologicos, Criticos, Grammaticos, Rhetoricos, Poeticos, Antiquarios & numarios, complexa. Alphab. 1. cum dimidio, in 8. Quam fuerit bonorum librorum intelligens atque amans, eorumque comparandorum cupidus, Frid. Otto Menkenius; o maxagis, vel ex hoc catalogo intelligent Lectores. Profecto, tantam eorum multitudinem viginti annis comparavit, ut omnium aliorum, quamvis beatorum in hoc genere, copias superaverit. Huius thesauri Pars una, iam, auctoris lege, venalis proscribitur. Auctorum veterum, antiquariorum, & numariorum Scriptorum maxime nomine, eruditiss atque elegantibus hominibus se valde probatura. Sequetur Pars altera, qua ceteros Scriptores, Historicos, Ictos, Medicos, & Philosophos, &c. continebit; tertia denique, in qua Librorum omnis generis incompactorum, & Schediasmatum ingens copia, comparebit. Auctioni primæ partis dicta est dies VII. Iulii proxime futuri. Extraneis, operam suam offerunt amici b. Menkenii, nominatim Belius, Christius, Ernestius, Kappius, Wogius, bonarum artium Professores, promittuntque, se diligentia fideque omnibus satisfacturos, nec commissuros, ut quemquam emtionis peniteat.

ERUD. MENS. APRIL. A. MDCCLV.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maii Anno MDCCLV.

THE STATE OF THE HEBREW TEXT OF THE
Old Testament considered, &c.

h. e.

*BENIAMIN KENNICOTTI, M. A. ET SOCII COL-
legii Exetriensis, de conditione textus hebraici impressi,
Dissertatio bipartita. Parte priori instituitur compa-
ratio Cap. XI. Lib. I. Chron. cum Capp. V. & XXIII.
Lib. II. Sam. Posterior Observationes super LXX. Hebr.
MSS. continet, cum specimine aberrationum
& variarum lectionum.*

Oxonii, e Theatro Scheldoniano, 1753. in 8.

Alph. 1. plag. 12.

Qui in critica Vet. Test. illustranda operam suam po-
suerunt, fere omnes leviter attigerunt eam par-
tem, qua varietas lectionis, ex librorum scriptorum
editorumque exemplis colligitur atque diiudicatur.
Plurimis istorum, Hebraicæ origines hæc quidem cura non
admodum egere videbantur, quod a prima sua origine,
singulari Dei providentiâ, usque ad nostra tempora incorru-
ptæ atque integræ mansissent. Atque hac persuasione inducti,
paucos illos, qui simile quid tentarunt, castigatos inclementer,
ita imperitorum ludibrio exposuerunt atque invidiæ, ut reliqui
spectaculo eo admoniti, lubenter suos qualescunque conatus

Hh

repri-

reprimerent. Hæc patrum nostrorum memoria agebantur, cum sapientissimus haberetur, qui optime ignorantiam suam pietatis involucri obtegere posset. Sed crescente paulatim nostris temporibus libertate sentiendi, & cum hac, eruditione critica, exorti sunt haud pauci, qui dicerent, optabile esse, ut surgerent viri, artis criticae periti, qui, adhibita quæ libris divinis debetur modestia, varietatem lectionis in V. Test. ex Codd. MSS. vers. LXX, imprimis, itemque ex Iudæorum scriptis, uti Talmude, colligerent diligenter, atque verissimam sequerentur. Ex hoc genere Kennicotti dissertationem esse, vel ex indice eius satis intelligitur. Specimen proponit aberrationum, quas sæpenumero descriptores codicis hebraici commiserant, editores autem sequuti sunt, interpretes denique temere defendunt. Medicinam adfert, & quod decebat bonum virum, de hoc admirabili sapientia divina Thesaurio bene mereri cupit. Proponit iudicia aliorum, sua addit: modestè omnia, ut, quam rei novitas adferre atque augere poterat invidiam, eam apud plerisque imminueret, apud optimos autem profligaret omnino disputandi modestia; quos adeo rogat, ut patientissimum laboris hominem patienter ferant. Honestam petitionem, quis deneget Viro egregie merenti? Attamen vehementer veremur, ut vel paucos istos, quos optimos vocavimus, approbatores habeat Kennicottus. Etenim, quum ea temporum nostrorum iniuria sit, ut a multitudine dissentire nefas habeatur: dubitari nequit, quin, si qui etiam sint, qui Auctoris rationes probent, ut certe futuri sunt, iis ipsis satis magna atque horrenda turba eorum, qui, Iudaica superstitione marcipati, ne litteram quidem in impresso Codice Vet. Test. mutare audent, silentium cum gravitate imponat, atque quiescere iubeat. Poterat hoc Kennicottus, ipso antecessoris sui, cuius vestigia premit, fato edoctus, prævidere. Poterant Millii, Bengelique, male excepti conatus eum admonere, quâto se offerret discrimini. Erant olim, qui Curcellæum acerrime reprehenderent, integrosque libros de eius religione componerent, propterea, quod loca quædam maxime illustra Nov. Test. a Codd. MSS. plurimis, atque versionibus, abesse narraverat. Atque hic miraremur

sane

fane, nisi quis propediem Kennicottum, in eadem causa versantem, in scenam producat, atque de eius religione disputet. Sed ipse, ut videtur, non multam curabit eorum reprehensiones, qui disputandi materiam quaerunt, quia ipsi, quod melius dicant, non habent; eos solum iudices constituit, qui exercitatissimi in hac arte, veniam erranti lubenter dabunt, lapsum modeste erigent, & vera praecipientem sine pertinetia sequentur. Nos, qui huius libri enarrationem paramus, ne ipsi in invidiam aliquorum incurramus, nude ea proponemus, quae vel laude vel reprehensione digna videntur, lectoribus iudicium relicturi. Quoniam vero Auctor, ea, quae vel ad defensionem, vel ad explicationem instituti operis pertinebant, toto libro data occasione monuit, placet eadem collecta Lectoribus primum proponere. Libros impres-

pag. 3 - 11.

fos Foederis antiqui, a Deo inspiratos, atque a Viris divinis compositos, quodque ad Canonem eorum pertinet, integros ad nos pervenisse, gratissimo erga divinum Numen sensu agnoscit. Sed eosdem ab erroribus descriptorum liberos fuisse, adeoque integritatem lectionis plenam in iis reperi, negat contra omnes, qui consensum impressorum librorum cum ipsis *αὐτογράφοις* scriptorum sacrorum defendunt. Neque vero eam corruptionem a Iudaeis dolo malo introductam esse, ut quidam voluerunt, sed communi librorum fato, librariorum scilicet negligentia atque inscitia accidisse, statuit. Quare mirum ipsi videtur, eos, qui varietatem lectionis in Nov. Test. largiuntur, eandem in V. non velle admittere; quod tamen, univere sumtum, longe prius fuit exaratum, quibusdam eius partibus quindecim fere seculis ante scriptis. Scilicet, non satis intelligunt boni isti viri, quibus difficultatibus ea sententia preinatur. Si enim dicas, descriprores Codicis hebraei, ut est hominum genus plerumque indoctam atque barbaram, nunquam errasse, sequetur inde, perpetuum miraculum, in gratiam uniuscuiusque istorum hominum, fecisse divinum Numen, & quasi manum eorum singulis litteris formandis duxisse; atque eam ab errore immunitatem usque ad inventam typographiam durasse. quod ne cogitari quidem potest. Haec diffi-

Pag. 12. &
301.

difficultate intellecta, fuerunt alii, qui quidem vicia scriptio-
nis in impressis nostris libris concederent, sed primum paucissi-
ma, deinde leviora, quam quæ sensum verborum valde tur-
bent, aut veram divini scriptoris sententiam pervertant. Atque
his lubentissime Kennicottus largitur, variationes non adeo in
iis locis deprehendi, ubi fidei atque morum capita explican-
tur: non minus graves tamen esse in historicis libris quæ in-
veniuntur, probat ex ipsius Iudaicæ historiæ amplitudine, at-
que singulari nexu cum fidei nostræ capitibus primariis. Qua-
re, variationes istas eadem cura examinare, atque, si error adesse
videatur, eum tollere constituit, qua Millius, Bengelius, aliique,
N. Test. integritati suæ restituerunt: cui consilio ut veniam dent
Theologi, & si successerit, adprobent, honeste petit. Sed be-
ne intelligebat Vir doctus, se nequidem veniam impetraturum,
nisi fontes, ex quibus medicinam haurire constituerit, puras esse
demonstret, atque, quid in hoc negotio critico versiones an-
tiquiores, imprimisque LXX. vir valeant, ostendat. Ille primus,
qui ad criticas leges Vet. Test. textum examinare ausus est,
Capellus fuit, Auctor criticæ sacræ, qui existimabat, legitimum
medium in constituenda vera lectione Vet. Test. hoc esse, ut
curiosius antiquissimæ versiones conferantur cum hebraicis
originibus, & si quando ab his recedant, ubi nulla appareat
ratio varietatis studiose quæritur, colligendum ex eo esse, Au-
ctores in exemplis suis hanc variam scripturam invenisse, no-
bisque licere ad eas recurrere, si nullus sensus ex hebraica le-
ctione vulgari possit erui. Opposuerat se Capello, Anticriticæ
Auctor Buxtorfius inior, qui auctoritatem antiquissimarum
versionum parum valere contra nostrum eodiceum existimabat,
quod nullum extaret vestigium in MSS. hodiernis earum
varietatum, quæ in versionibus inveniuntur. Atque hoc ar-
gumentum ita urgebat contra Capellum Buxt. ut ille, Codicum
exemplis destitutus, nihil probabile reperere posset, omnis
noque victoria anceps maneret. Quid si Buxtorfio nostris
paulisper interesse circulis liceret? Quid si Kennicottum fa-
mæ Capelli egregie consulente videret? Quid si MSS. au-
thoritatem, quas desiderabat tantopere, suis rationibus contra-
rias

rias esse intelligeret? Scilicet, hoc ipsum Anglus doctissimus studiose agit p. 280. seqq. ut probet, in Codd. scriptis adhuc extantibus, non unam vel paucas, sed plures reperiri variantes lectiones, diversas quidem a libris nostris impressis, sed optime consentientes cum antiquissimis versionibus; ex quo efficit, Auctores earum versionum in suis exemplis aliter legisse: nisi quis dicere velit, variantes lectiones, a Iudæis, in gratiam istarum versionum codicibus MSS. insertas fuisse, quod valde absurdum foret, uti docetur pag. 267. & 268. Apprime hic quæ de MSS. hebræi codicis auctoritate in universum, & imprimis eorum, quos ipse consuluit, ætate atque pretio disseruit Auctor, breviter lectoribus exponemus, MSS. præ impressis libris præstantiam, potissimum ex horum unanimi consensu p. 287 seq. evincere A. annititur. Etenim quod nobis illustre documentum singularis Iudæorum in describendis libris sacris curæ, Kennicotto malæ causæ indicium haud obscurum, videtur. Adnotaverat iam Houbigantius, editiones nostras a communi fonte derivandas esse, atque omnes impressas ad Venetam illam R. Jacob Ben-Chaim, qui primus omnium Biblia Hebraica typis mandavit, usus codicibus inferioris notæ, minusque accuratis, uti ipse fatetur. Hanc observationem Critici diligentis atque curiosi, sequitur Kennicottus, atque concludit: Si omnes editiones ex uno fonte manarunt, omnes simul unius tantum auctoritatem habent; hoc & tunc valere dicit, si probari quidem possit, editiones ex Manuscriptis fuisse diversis impressas, contlet tamen, primum fuisse hæc ipsa recentiora, deinde a Iudæis hominibus secundum Masoram ita emendata, ut invicem plane consentirent. Itaque statuit, auctoritatem MSS. eorum imprimis, quæ varias lectiones plures habent, maiorem esse, quam impressorum librorum, quorum quidem consensus non multum probet.

His in universum adnotatis, de præstantia MSS. quædam non minus necessario ad hanc quæestionem pertinentia innotuit. Codices quoque recentiores, in quibus non magna est varietatis lectionis copia, utiles tamen esse, tribus rationibus demonstrat. Primum, argumentum præbet consensus eorum cum impressis libris

p. 290 seq.

bris non valde honestus, sententiæ quam supra proposuimus; deinde confirmant eorum sententiam, qui Indæorum descriptores non liberos ab omni errore fuisse putent; denique facilius ope eorum, errores, si qui sint in libris impressis, possunt corrigi, quam si plane nullos habeas. Nam ex ratione describendi, solenni librariis, potest melius definiiri, qua ratione multi errores introducti fuerint, & quo modo optime debeant corrigi. Atque hæc utilitas ab antiquioribus exemplis eo frequentius derivatur, quo maior lectionum varietas in iis extat, quæ sæpius veram ostendit lectionem, vel efficit, ut coniectura facilius eam assequamur. De litteris יין quæ obiter monuit Auctor, scilicet, ex earum frequentia in MSS. ad horum ætatem posse concludi, digna fuissent uberiori forte disputatione. Est enim hæc res, ut verum fateamur, multis adhuc difficultatibus involuta, neque satis explicata. Sed usus antiquiorum codicum vel maxime hic esse censetur, quod de auctoritate versionis græcæ, & reliquarum, testimonium exhibeant, quibus studiose cum originibus Hebraicis collatis, veræ lectiones plurimæ erui possint. His, pro instituti ratione, copiosius, de codicis impressi auctoritate, & ratione MSS. disputatis, periculum facit A. pag. 301. seq. si de eorum ætate, in tantis tenebris, probabiliter quædam possint definiiri. Est vero, quod facile patet, non temere de MSS. codicibus, qui hodiernum in Bibliothecis asservantur, eorumque ætate, pronuntiandum, in tanta Palæographiæ hebraicæ incertitudine. Quare, probabiliter tantum, antiquissimos, octo aut novem, vel ad summum decem abhinc seculis scriptos esse censet A. p. 307. Adhuc codex maxime vetus vulgo habitus fuit Pentateuchus Bononiensis, quem pro απογραφή Esæ olim venditavit Monachus quidam. Sed quanquam hoc, intelligentibus, merito fabulam sapere visum sit: tamen eius ætatem ad 900 annos referri posse putat Kennicottus. Huius recensione, ex Montfauconii Diario Italico, addit descriptionem alterius, quem Houbigantius nuper in Prologis suis ad Editionem Hebraici Codicis, Oratorii Parisiensis, antiquissimum, & post natum Christum 1069. annis exaratum esse dicit, quique adeo annos septingentos superat. Ipse A. in hoc Critico
nego-

negotio septuaginta Codicibus usus est, quorum quadraginta sex in Bibliotheca Bodleiana, quatuordecim in Collegiis Oxoniensibus, quatuor Cantabrigiæ, asservantur, septem autem Pentateuchi Samaritani exempla, in eadem Bodleiana Bibliotheca extant. De hebraicis, in universum hoc est adnotandum, paucissimos totum Codicem exhibere, sed plerumque partem tantum, quod etiam de Nov. Test. MSS. docti observant. Quod ad singulorum descriptionem attinet, quinque potissimum curiosius recenset, atque horum antiquitatem ad leges eas diiudicat, secundum quas Jablonskius antiquum Codicem æstimari vult. Vir iste doctiss. iudicium in hoc examine faciendum censet, primum ex Scriptura eiusque simplicitate atque elegantia, deinde ex Masora, si vel nulla adsit vel parca, denique ex continua scriptone.

Primus Kennicotti Codex Pentateuchum exhibet, ab initio suo usque ad versum tricesimum primum Capitis XXI. Gen. truncatus, antiquitatis indicia certissima habet. Nam sine omni ornatu, sine litteris maiusculis, sine vocalibus, sine Masora, scriptus est. Multis litteris vetustate excisis, a recentiori manu, color pristinus restitutus est, & tamen sæpius oculum fugiunt. Atque his rationibus commotus, ætatem eius DCCC annorum esse iudicat Kennicottus pag. 315. seq. Proxime ad istius auctoritatem accedit alter, eadem forma scriptus, & reliquos Vet. Test. libros exhibens. Habetur ab Autore pro altera illius prioris parte, quod eandem antiquitatis notas habeat, & manum eiusdem descriptoris referat. Tertius librum Psalmorum complectitur, optimæ notæ codicibus, ex iisdem fere rationibus adscribendus. Caret enim Masora parva atque magna; neque dubium est Kennicotto, quin olim etiam vocalibus destitutus fuerit, postea additis, quod ex vario colore atramenti, & earum in Psalmis quibusdam absentia, colligit. Est vero adhuc aliquid, quod præ reliquis Codd. MSS. præcipuum habet, scilicet varietas lectionis maior, atque diversitas a vulgari lectione haud exigua, quam etiam in quarto codice suo A. observavit, qui olim universos libros Vet. Test. referens, nunc initio atque sine caret,

caret, scriptus ante annos fere sexcentos, uti ex descriptionis caractere iudicatur. Restat quintus Vet. Test. absolutus codex, & præstantioribus a Kennicotto adscriptus, propter varias lectiones plurimas, impresso Codici præferendas; quamquam in multis locis, a Ios. Modena, vel alio Maforæ studioso, depravatus sit. Exaratus ante quingentos propemodum annos Kennicotto videtur. Reliquos MSS. non tanti quam priores quinque valoris, pag. 326. seqq. breviter recenset, ita tamen, ut in univ. de Pentateucho Samaritano p. 337. seqq. iudicium suum interponat. Samaritanum caractere, antiquum Hebræorum esse, hodiernum rectius chaldaicum vocari, asserit, additque, Pentateuchum Samaritanum non esse contemnendum propterea, quod sapius veram lectionem suppeditet: omninoque laudat Dupinii iudicium, qui cum neque nimis præferendum Hebræo, neque nimis negligendum, sed & hic media quadam via incedendum, atque ex utroque optimam lectionem eligendam esse, monet. Inde facile quisque intelligit, quid Kennicottus, probans Galli docti in hac controversia modestiam, ipse statuit de Samaritano Codice. Verum his de instituto Auctoris expositis, atque mediis, quibus usus est, eorumque indole, brevissime enarratis, ad ipsam varietatem lectionis, in utraque libri parte indicatam, atque ad criticas leges examinatam, veniamus. Quum partem priorem Kennicottus composuisset, MSS. codicum, eorum copiam nactus, collationem instituit. Atque obiter tantum instituto hoc examine, plures quam speraverat varietates, & multas, quæ ad illustrationem prioris partis pertinebant, in iis inveniens, utramque simul edere constituit, ut, si quosdam offenderet nimis LXX. in emendandis Capp. Samuelis & Chronic. usus, pars posterior defensionem excusationemque, huic audacia, si ita videretur, pararet, quando auctoritate MSS. textus sacri corruptionem, & LXX. versionis non contemnendam utilitatem confirmatam viderent. Itaque nos ex utraque parte specimina proponemus, pauca ea quidem, sed talia, ex quibus intelligentes, quibus unice scripsit V. D. facile iudicium fecerint.

Est vero, quod ante omnia observamus, Auctor ea modestia, ut non omnia, quæ variarum lectionum nomine venditavit, pertinaciter defendat. Nam in tanta varietatum copia proposita, quam nemo reprehendet, ipse multas reiecit, de plurimis admodum dubie loquutus est. Illas certissimas esse putat, quas contextus, loca parallela Hebr. Cod. MSS. & antiquissimæ vers. probant. Referre huc non dubitamus lectionem רַסִּירָךְ pro vulgari רַסִּירָךְ vers. 10. Psal. XVI. ab Auctore pag. 497. argumentis confirmatam. Vulgarem corruptam esse, apparet primum ex contextu. Neque enim David hæc de se ipse pronuntiare poterat, quoniam a corruptione liber non erat: sed spiritu προφητίας resurrectionem Christi prædicit. Quod si itaque numerus multitudinis retinendus esset, sequeretur inde absurdum hoc, sanctos corruptionis expertes esse, & argumentum Apostoli, quod, contra Iudæos de resurrectione Christi disputans, ex hoc loco petit, omnino ineptum foret. Errasse autem divinum Virum ne quidem cogitari potest. Sed sunt præterea rationes alix, quæ Auctorem moverunt, ut præferret lectionem רַסִּירָךְ . Auctoritati enim apostolicæ accedit antiquissimarum versionum consensus; Masoretharum lectio, qui, quanquam in textum receperunt numerum multitudinis, in margine adnotarunt numerum unitatis; & quod pondus addit, MSri Codd. ab Auctore collati. Viginti quatuor hunc Psalmum exhibent, (nam, ut iam supra monuimus, non omnes Codd. universos libros Vet. Test. referunt, sed plurimi partem tantam aliquam, ut adeo, etsi reliquorum consensus non adnotetur, non tamen de eorum dissensu iudicari possit;) ex quibus sedecim retinent lectionem רַסִּירָךְ in textu; unus olim eandem habuit, ut manifesto ex eo colligit A. quod a recentiori manu ר parte aliqua lineæ superioris truncatum atque י insertum invenitur. Ob easdem rationes probamus ea, quæ pag. 440. seqq. de comitate 36. & 37. capituli Iosue XXI. disputantur. Constat, iam olim abfuisse hos versus a multis MSS. quibus quod Masorethæ usi sunt, tanquam spurios reiecerunt; unde factum est, ut etiam in edit. Buxtorfii, Leusdenii, multisque

aliis, non legantur. Sed ostendit Kennicottus, pro genuino habendum esse utrumque versum, & textui inferendum. Videtur primum hoc ordo verborum postulare. Recensentur in hoc capite 48. urbes Levitis sorte concessæ, & versu septimo urbes duodecim a Tribu Rubenis, Gadi, & Zabulonis, Meraritis ad possidendum datæ dicuntur, quarum singularis recensio incipit vers. 35. conclusione addita vers. 40. hæc: *itaque urbes posterorum Meraris fuerunt duodecim.* Ex quo apparet, antiquitus versum 36. & 37. adfuisse, quod versiones antiquæ Græc. Syr. Arab. & Aethiopica comprobant. In primis vero urget Kennicottus auctoritatem codicis Bodleianæ bibliothecæ, quem supra quinto loco recensuimus; itemque alterius, ubi pariter leguntur hæc commata; ut itaque nihil dicant, qui hanc omissionem apud Iosiam defendunt eo nomine, quod expressæ quatuor urbium recensionis 1 Chron. VI, 68. & 69. factæ repetitio hic supervacanea foret. Eodem loco habenda est lectio pag. 504. proposita. Scilicet, in Psalm. 79. versu 7. communis lectio **כָּל** est, pro quo **כָּלֵךְ** substituit Kennicottus. Etenim primum **יָרַע** & **קָרַח** in antecedenti versu, cum **כָּלֵךְ** quoad numerum conveniunt, itemque in hoc ipso versu **כָּלֵךְ**: videtur itaque consentaneum, ut verbum **כָּלֵךְ**, ad idem subiectum referendum, eodem numero scriptum sit. Deinde antiquæ versiones omnes numero multitudinis transferunt, consentiente MS. Bodlei. 3. cuius supra ex Auctore descriptionem dedimus. Et quod omnem dubitationem tollit, Ieremias capite X. versu 26. eadem narrans, **כָּלֵךְ** habet. Sunt adhuc lectiones plures, quæ Auctori verissimæ videntur, in quibus tamen vix inveniet adprobatores eos, qui in hoc negotio non quærunt quid ingeniosis hominibus placeat, sed quid auctoritates postulent. Itaque eas lectiones fere omnes, probabiliter tantum veras, & ne vix quidem, dicimus, quas parte prima libri proposuit Auctor. Nam cum ibi potissimum coniecturis res agatur, laudabunt fortasse periti studium atque ingenium Viri docti, hoc tamen ab iis non impetrabit, ut eius rationes adprobent. Accidit certe Kennicotto sæpius, ut amore artis suæ deceptus, ea

corrigeret, quæ videbantur cum aliis locis pugnare, quoniam studiose discessum, atque adeo occasionem corrigendi, quærebat. Si quis accurate conferat capp. Samuelis & libri I. Chronicorum, inveniet quidem varietates plurimas in nominibus, numeris, & omnino in rei gestæ narratione: sed sæpius ita eas comparatas esse intelliget, ut sensus idem maneat, etsi in locis diversis, diversis verbis expressus sit. Atque hic sane necesse non est, ut lectio mutetur, aliaque in textum intrudatur. Quod tamen fecisse Kennicottum, exemplis pluribus probaremus, si vellemus nasutulis quibusdam occasionem, egregio Viro insultandi, suppeditare. Sed cum multa egregie ab Auctore observata reperiantur, quid prohibet, quo minus ea cum Lectoribus nostris communicemus? Itaque laudamus disputationem V. Cl. pag. 29. 64. 79. 90. 145. & 162. institutam. Adprobamus quæ v. g. de vera lectione nominis **ישבע**, pro vulgari **ישב**, ad 2 Sam. XXIII, 8. disputat; item, quæ de permutatione **ל** cum **ל**, & contra, hinc inde monet. Quodsi auctoritas textus Samaritani tanti esset, ut codicem hebræum ex eo corrigere liceret, lectiones multæ, a Kennicotto indicatæ, magis placerent: quanquam tunc aliquid valere putamus Samaritanum Pentateuchum, ubi favet contextus, & antiquissimæ versiones. Quare non contemnendæ videntur lectiones sequentes, ex Samaritana versione petitæ, consentientibus versionibus antiquis: **היה** pro **היה** Gen. III, 12. & 20. & XX, 5. **נקרא** pro **נקרא** Exod. III, 18. **יבאו** pro **יבא**, Num. XIII, 22. **הנה** pro **מני** Exod. XVIII, 6. Neque vero existimandum est, Auctorem, hebraice inprimis doctum, ita novarum lectionum studiosum fuisse, ut nullibi, legitima interpretatione usus, vulgarem lectionem, quamvis obscuriorem, illustrare tentaret. Imo potius eleganter sæpe, vim vocabulorum, ex Arabica consuetudine illustravit, & **ἀπὸ λέγομένων** veram significationem restituit. Ita pag. 92. seqq. vocabulum **עצן**, versu octavo Capitis XXIII, Lib. I. Sam. occurrens, idem significare monet, quod in loco parallelo Chron. **חנית**, scilicet *hastile*, seu *hastam*, ad similitudinem vocabuli in lingua Arabica factis noti, **قوس** seu **قوس**, cuius vim Castellus, Golius, atque

Giggeius, explicatam dederunt. Quid sit ללל in eodem versu capitis citati Sam. eodem acumine docet A. reprehenditque eos, qui occisionis aut vulnerandi significatum hic applicant: ipse Græcos interpretes sequitur, qui vertunt $\epsilon\pi\alpha\tau\iota\alpha\tau\alpha\varsigma$. Recte omnino. Nam جـ apud Arabes significat *castrametatus fuit, protexit*, & nomen quod inde derivatur جـلـلـ *virum validum & audacem*, ut itaque de vera vocis ללל notione nullum dubium relinquatur. Optandum sane esset, ut curiosius hanc rationem interpretandi adhibuisset Auctor, & suo ipse exemplo docuisset, quantum linguæ Arabicæ cognitio faciat ad coercendam temeritatem Critici officiosi, in iis locis, ubi ex ignorantia linguarum mutatio tentatur. Fallimur, aut, hac cautione adhibita, sapius boni interpretis partes egisset Kennicottus. Possimus nunc, iis enarratis, quæ sufficere videbantur ad explicandum consilium huius libelli, iustam reprehensionem addere, atque sermonis patrii usum, in libro, non operariis mercenariisque, sed eruditis scribendo, Viro doctissimo exprobrare; simulque eum mouere, ut in posterum communi utilitati magis consulere velit: sed cavendum, ne aliena vitia detegendo, nostra videamus, & malum hoc hereditarium prope inter eruditos factum esse ipse Kennicottus obiiciat.

SCIENTIA NAVALIS, SEU TRACTATUS DE CON-
struendis ac dirigendis navibus. Pars posterior, in qua
rationes ac præcepta navium construendarum & guber-
mandarum fustus exponuntur. Autore LEONHARDO
EULERO, Prof. honor. Acad. Imp. Scient. Director
Acad. Reg. Scient. Boruss.

Petropoli, typis Acad. Scient. 1749. 4to reg.
 Alph. 3. Tabb. æn. 28.

Iacta sunt in *Parte priori* fundamenta Theoriz, quibus integra de construendis ac dirigendis navibus doctrina iam poterit

poterit superstrui. Hanc itaque in *Parte* hac *posteriori*, pro dignitate rei, fusius pertractatam, ac insigniter novis disquisitionibus locupletatam, & ab erroribus passim vindicatam, Lectoribus nostris adumbrabimus.

Primo Capite, de navibus in genere, tanquam ea, quæ ad generalent obiecti considerationem pertinent, quam quæ & instituti rationem methodumque, qua in hac disquisitione versari constituit Cl. Auctor, respiciunt, exponuntur. Naves quælibet, etsi inter se maxime diversæ, quibusdam tamen proprietatibus præditæ sunt generalibus. Sunt hæc, primo, ut ad natandum aptæ sint: dein, (in quo a rudi mole, aquæ etiam innatante, differunt,) ut hominibus oneribusque excipiendis ac vehendis sint pares: tertio, ut consent e duabus partibus æqualibus & similibus: quarto, ut variis a viribus per aquam promoveri queant. Ad primum quod attinet, statim duæ navis partes considerandæ sese offerunt, altera aquæ immerfa, *carina* dicta, altera supra aquam eminens. Illa pendet a magnitudine oneris, navi impositi; eademque quantitas totius navis definitur. Carina ab altera parte separatur sectione horizontali, in aquæ superficie facta, quæ hic semper dicitur *sectio aquæ*. Motus navis progressivus, eandem in duas alias partes, *proram* & *puppim*, distinguit; quarum illa comprehendit omnem eam superficiem, quæ impulsui aquæ exponitur, & ab altera separatur sectione verticali, ad directionem cursus perpendiculari, simulque omnium huiusmodi sectionum amplissima, adeoque in posterum *sectione transversali amplissima* dicenda. Porro, bina navis latera debent esse inter se prorsus æqualia; omnes igitur naves, *plano diametrali* verticali debent esse præditæ; quod tertiam sectionem navis palmariam constituit. Patet autem, in consideranda navis figura, ad figuram carinæ potissimum esse respiciendum, qua definita, pars reliqua facile ad circumstantias præsentis accommodabitur. Carinæ figura, ad modum superficiem, si analyticè consideretur, optime exprimitur, (ut constat,) per æquationem, tres variables continentem. Ex hac facile definiuntur sectiones memoratæ. Cum præterea soliditatem carinæ ex eadem exprimere maximopere usu veniat, non

solum formulas generales huic fini exhibet Cl. Auctor; sed & ad specialem magis applicationem descendit, methodum tradens, qua ponendo sectiones omnes uni e tribus dictis principalibus parallelas, inter se vel similes, vel affines, erui potest tam æquatio localis inter tres coordinatas, quam ipsum carinæ volumen. Possunt autem figuræ tam similes, quam affines, sufficere ad formas omnium omnino navium quam proxime repræsentandas, neglectis minutis; unde emergent sex navium species, prout sectiones omnes parallelæ sunt, vel uni e tribus memoratis similes, vel uni earundem affines. Harum omnium proprietates palmarias hic sigillatim A. pertractat. Hisce subiungi denique possunt quatuor aliæ, prout vel sectiones omnes parallelæ sunt uni trium istarum sectionum non similes solum, sed & æquales; vel omnes omnino inter se æquales, hoc est corpus parallelepipedum. Ad has itaque decem species, figuræ omnes navium revocari possunt, ac inter se comparari. His positis, examinat Auctor, quales pro sectionibus tribus principalibus assumi debeant curvæ, ut generalibus quibusdam conditionibus, ad constructionem navium necessariis, satisfiat; unde certis modis limitantur æquationes generales, pro iis concinnandæ. Commemorat denique divisionem navium, vel ex eorum usu vario, vel, quod præcipuum est, e varietate virium, quibus moventur, petendam. Præter viam fluminis, navem secum rapientis, vel hominum animaliumve, eam trahentium, potissimum notatu dignissimæ vires sunt, remi, ac ventus, quæ insignem prorsus in ipsa navis constructione pariunt differentiam. In navibus enim, quæ remis propelli debent, potissimum requiritur, ut vi certa maximus effectus producat; hinc resistentia imprimis, quoad licet, minuenda est: præterea solus cursus directus locum habet. In navibus contra, vi ventorum movendis, non hoc curandum, ut resistentia diminuat, sed ut satis sint firmæ, ne a vento subvertantur; prætereaque cursus obliquus maxime usu venit.

His generatim expositis, ipsam nunc contemplationem variorum capitum, ad construendas dirigendasque naves perti-

nen-

nentium, aggreditur Auctor; & quidem primo naves in *situ*
æquilibrii considerat *Cap. II.* Dum hic de situ æquilibrii Pag. 47.
 quæritur, non eo respicitur, ut pro navi aquæ innatante deter-
 minentur situs varii, quos recipere possit; sed eo potius,
 ut versa vice definiatur, quomodo navis sit instruenda, ut in
 situ æquilibrii certis proprietatibus gaudeat; verbo: ut situs
 ille non ad quæsitam, sed datam, referatur. Ex hydrostaticis
 iam abunde constat, ad æquilibrium navis duo requiri: pon-
 dus totius navis, & locum centri gravitatis; quorum utrum-
 que debito modo comparatum sit, necesse est. Ponderus debet
 esse æquale ponderi massæ aquæ, eiusdem voluminis cum
 parte submersa. Componitur autem pondus illud e ponderi-
 bus navis ipsius, & onerum ingestorum. Iam cum requira-
 tur, ut non solum navis penitus omnia, sed & eadem variis
 oneribus impleta, debitum situm erectum teneat; hoc optime
 fiet, si prora & puppis semper æqualiter immergantur, seu se-
 ctio aquæ sibi semper sit parallela. Maximi hoc est mo-
 menti in navium constructione. Dein, centrum gravitatis
 totius navis, & centrum magnitudinis carinæ, debent esse in
 eadem recta verticali posita. Hæc igitur recta imprimis est
 definienda. Eam in planum diametrale incidere, facile pa-
 tet; qualis vero speciatim eius debeat esse in hoc plano posi-
 tio, tam constructione navis, quam oneratione, obtinenda, e
 principiis hydrostaticis hic determinatur. Optime autem
 huic scopo satisfiet, si singulæ sectiones habeant suum centrum
 gravitatis in eadem recta verticali situm; quo facto, non poterit
 non centrum quoque totius carinæ in eandem incidere. Hoc
 itaque, ceu palmarium navium construendarum requisitum,
 (quod præterea aliis quoque emolumentis se commendat,)
 constituere, merito convenit. Secundum ideam hanc, de-
 cem supra memoratas navium species sigillatim examinat
 Noster, & an? & quatenus ad hunc finem sint idoneæ?
 distinctissime eruit. Inter has præ reliquis huc apta est
 species illa, quæ omnes sectiones horizontales habet inter se
 affines. Generatim duplici modo quæsitum obrineri pot-
 est; altero, si carinæ pars anterior parti posteriori sit pror-
 sus

sus similis & æqualis; altero, (cum prior variis sub circumstantiis locum habere nequit,) species illas ita restringendo, ut præscriptam proprietatem de recta verticali per centra gravitatis omnium sectionum transeunte, obtineant; quod non impedit, quominus ambitus figurarum navis possibilium adhuc maneat valde indeterminatus.

Pag. 97. Cum ipso situ æquilibrii satis naturaliter cohæret *stabilitas* eiusdem, de qua *Cap. III.* commentatur Noster. Hæc in navi adeo debet esse magna, ut absque subversionis periculo, omnibus maris & tempestatis iniuriis exponi navis possit. Revocando iam in mentem, quæ ad *Partem priorem* hac de re attulimus, constat, stabilitatem imprimis examinandam esse pro duobus axibus, longitudinali altero, altero latitudinali; ad quam dein reducitur stabilitas pro alio axe quovis: deprehenditur enim, eam semper fore satis magnam, modo sit talis pro utroque dictorum axium principalium. Ut iam horum fiat ad ipsas naves applicatio, primo figuras varias, tam simpliciores, quam compositas magis, pro sectione aquæ assumit Auctor, & pro singulis quantitates, in expressionem stabilitatis ingredientibus, calculo definit. Res dein eo reducitur, ut pro quavis nave, e structura & onere imponendo assignetur ratio, quam latitudo sectionis aquæ ad profunditatem carinæ obtinere debeat, ut stabilitas fiat satis magna; seu potius limes aliquis huius rationis, ultra quem, poscentibus aliis circumstantiis, absque dubio transiri possit. Præterea eam rationem in construenda navi observando, alia quoque obtinentur commoda. Navis nimirum non adeo profunde immergitur, ita ut neque brevia reformidet, neque facile in scopulos impingat. Non vero solum constructione navis debita stabilitas, sed etiam oneratione obtinetur; quare & quomodo ea a varia dispositione onerum afficiatur, hic disquiritur. Ceterum, non nova res apud nautas est, quam hic sub stabilitatis nominæ examini subiecit Auctor, sed ita iis definita, ut dicant: navem velis sufficere, seu vim ventorum sustinere debere: quippe cum vis, navem inclinare conans, sit venti in vela flatus, cui maxime resistere navem oportet. Cum iam

jam experientia doceat, naves constructas, & aquæ immixtas, non raro vitio stabilitatis infuso minoris laborare, hocque ex defectu perire: eo imprimis respiciendum est, ut navibus jam fabricatis, stabilitas debita concilietur. Istud quidem per maiorem onerationem, onerumve translationem, obtineri posset: verum hoc remedium plerumque vel nimis parum prodest, vel ob reliquas circumstantias adhiberi nequit, quin simul navis reddatur inutilis; ut si quis velit in navi bellica omnia tormenta infra aquæ superficiem detrudere. Tribus autem in universum modis stabilitas augeri potest. Primo, centrum gravitatis navis in humiliorem locum reducendo, nempe gravioribus oneribus deorsum transfereendis, quod vero plerumque parum adiuventi præstare, modo diximus. Dein, centrum magnitudinis carinæ altius promovendo, quod tamen sine dilatatione in parte superiori fieri nequit; hoc autem facto, tertius modus simul obtinetur, qui in eo consistit, ut sectio aquæ fiat amplior. Huc pertinet usitatus modus, navi circa superficiem aquæ utrinque quasi alas adiungendi; quo quidem stabilitas multo magis, quam translatione onerum, augetur; sed exinde hoc nascitur incommodum, ut resistentia in motu directo ab allisione aquæ ad has alas multum augeatur, in motu autem obliquo cursus adversus ventum non parum impediatur. Alium itaque modum, utilitatem ex alis desideratam absque isto detrimento obtinendi, proponit Auctor: eas nempe navi post maximam latitudinem versus puppim adiungendo, ita quidem, ut sectionis aquæ pars anterior maneat immutata, posterior vero abeat in parallelogrammum rectangulum; quo pacto non solum resistentia non augebitur, sed & in cursu obliquo accessio adversus ventum adhuc magis promovebitur, dum nempe declinatio a cursu directo diminuitur. Quæ sane emolumenta, remedio *Euleriano*, præ vulgari, haud dubie palmam deferunt. Inficias tamen iri nequit, nec hanc applicationem suis penitus carere difficultatibus, (aliter enim, quidni naves statim ab initio sic fabricari conveniret)? Primo enim centrum gravitatis sectionis aquæ nimis versus puppim deducitur, sicque de recta verticali, per centrum gravitatis navis trans-

eunte remouetur, quo itaque oscillationes navis magis redduntur impetuosa. Sed hoc incommodum, stabilitatis inopia sublata, facile tolerari posset. Alterum est majoris momenti. Cum enim, ob inclinationes navis, alæ istæ ad satis magnam profunditatem porrigi debeant, ab iis allisio aquæ ad gubernaculum vehementer impediatur. Tertio, eandem ob rationem, centrum magnitudinis carinæ versus puppim reducitur, quod centrum gravitatis sequi debet; unde navibus vento propellendis ingens incommodum affertur. Ex quibus omnibus intelligitur, quanta adhibenda sit cura, ut navi debita concilietur stabilitas, antequam ad eiusmodi remedia recurras: quod maxime obtinebitur proba constructione, cum dein operatio non sit plans in arbitrio posita.

Hactenus considerata est navis in quiete adhuc constituta; pergit nunc A. ad eandem in motu positam. Ante omnia hic sese offert præ reliquis simplicior, *motus oscillatorius*, eo quod is sine potentiis sollicitantibus externis cognosci potest; navis enim, a quacunque causa situ æquilibrii deturbata, vi propria se restituet, & oscillationes peraget. Præterea in eo differt ab aliis motibus oscillatorius, quod ipso status æquilibrii navis continuo perturbatur; illi autem fiunt salvo statu æquilibrii: quales sunt, motus progressivus, & rotatorius circa axem verticalem, vi gubernaculi productus. Pertractatur is *Cap. IV.* Palmarium motus huius requisitum est, ut sit maxime tranquillus; cui satisfieri patet, si oscillationes fiant, quantum possunt, lentissimæ. Duplicem autem modum, navem e situ æquilibrii depellendi, duplicem hinc quoque motum oscillatorium, dari, iam in *Parte priori* vidimus: alterum, si navis magis minusve aquæ immergatur, ex quo orientur oscillationes verticales; alterum, si vi quacunque circa axem horizontalem fuerit inclinata, unde se in æquilibrium restituere conans, oscillationes peraget circa axem horizontalem, eumque vel fixum, vel variabilem, prout inclinatio est facta, adeoque aut regulares, aut confusas. Iam cum in omni navis æquilibrio duo diversa occurrant, voluminis, aquæ merfi, quantitas, & rectæ, per centrum gravitatis navis & centrum magni-

magnitudinis partis submersæ ductæ, positio: poterit quoque inter oscillandum mutari vel alterutrum horum, vel utrumque. Illas oscillationes Auctor vocat *puras*, has *mixtas*. Ita puræ erunt verticales, si, manente recta dicta perpetuo verticali, volumen saltim maius minusque navis aquæ immergatur; puræque eæ alterius generis, si, volumine semper æque magno in aqua versante, ea tantum recta situm suum permutet. Patet vero, in oscillationibus mixtis, ob duplicem motum combinatum, eas fore admodum irregulares, hinc non solum magis violentas, sed & perturbatas. Id ergo perfectæ navis requisitum, ad quod hic præcipue attendendum est, Auctor statuit, ut vi constructionis, utrumque oscillationis genus seorsim suscipere valeat. Hoc autem pro utroque casu obtinebitur, si centrum gravitatis sectionis aquæ, centrum grav. navis, & centrum magnitudinis carinæ, in eadem verticali sint posita; ad quam constructionem iam supra *Cap. II.* perventum est, ostensis illic figuris navium idoneis. His positis, primo motum oscillatorium verticalem purum, pro navi quavis data, desinit Auctor, & conditionem, sub qua possit esse lentissimus. Invenit vero, hoc fieri non posse, quin stabilitati navis ab altera parte detrahatur, adeo ut, si eum vel uno minuto secundo tardiosem reddere lubeat, stabilitas prorsus evanescat. Quare non magnopere in computum ducendus erit hicce motus in constructione navium, qui & ipse parum saltem durare potest. Magis vero attendendum erit ad alterum genus oscillationum, circa axem horizontalem; quæ & frequentissime occurrunt, ab appulsu aquarum ad latera navis, & diutius perdurant. Inter has primo considerandæ sunt regulares, seu, quæ fiunt circa axem quendam fixum; earumque iterum duæ potissimum, quæ nimirum circa axem longitudinalem, & quæ circa latitudinalem fiunt. Solent quoque ambæ a nautis iure separari, ac illæ gallice *le Roulis*, hæc *le Tangage*, appellari. Facta iam utriusque pro data navi determinatione, reperitur, ad eum lentiosem efficiendum, vel stabilitatem minuendam esse, vel onera, quantum fieri potest, ab axe vel longitudinali, vel latitudinali, removenda; quorum

vero illud penitus est incongruum, hoc autem exiguum tantum effectum præstare potest. Ceterum e formulis, pro hoc motu oscillatorio inventis, ex observata eius celeritate, determinari potest ratio inter stabilitatem navis, & momentum ipsius respectu eius axis, circa quem fit oscillatio, & ad quem quoque refertur stabilitas; unde cognito uno invenitur alterum, quod usum habere poterit non contemnendum. Ostendit vero Auctor, quomodo hunc in finem definiiri possit momentum illud ope experimenti de motu oscillatorio navis, in libero aere ex dato axe suspensæ; quod institui potest cum navicula, seu exemplari, secundum easdem dimensiones proportionate constructa. Quod iam ad oscillationes circa alium axem, ac duos istos principales, attinet, ex rarissime circa axem talem fixum contingunt, propter partes navis utriusque circa axem illum dissimiliter positas. Qualescunque tamen sint, vel regulares, vel irregulares, vero satis prope cognosci possunt e cognitis oscillationibus circa duos axes principales. Hinc & eius generis oscillationum, quas supra diximus mixtas, determinationem aggreditur Auctor: ubi autem, excepto unico casu, motus semper prodit maxime irregularis, & formulæ pro eo nimis complexæ, quam ut multa de eo colligere liceat.

Progreditur nunc Auctor ad considerandas vires externas navi applicatas, effectumque ab iis producendum. Sunt autem effectus omnes, quos vires quæcunque in navi exerere possunt, ad quinque genera reducendi. Prioris sunt, quibus centrum gravitatis, adeoque navis ipsa, sursum vel deorsum urgetur; secundi, quibus navis horizontaliter propellitur; tertii, quibus circa axem verticalem per centrum gravitatis gyratur; quarti & quinti, quibus circa axem horizontalem, vel longitudinalem, vel latitudinalem, inclinatur. Horum duo posteriora examinat A. *Cap. V. de inclinatione, quam navis a viribus quibuscunque patitur*, inscripto. Qua de re generatim nosse convenit, ad cognoscendam inclinationem, a vi quacunque oriundam, opus tantum esse investigare, quantam ea circa axem utrumque principalem producat, ac inde colligi posse tum
axem

axem obliquum, circa quem inclinatio fiet, tum ipsam huius quantitatem. Id, deductis e principiis mechanicis formulis satis simplicibus, exequitur Noster. Colligitur exinde, navcs, quo maiores, eo minus subversionis periculo fore obnoxias, hinc multo maiorem tempestatum vim sustinere posse; etsi vicissim a minoribus in eo superentur, ut hæ & multo facilius regantur, & scopulos syrtisque tutius transire valeant. Post præmissa generalia, iam sigillatim vires, navem inclinare conantes, A. examinat. Hæ, præter vim venti in vela impingentis, in aqua sunt positæ, & ad duo genera redeunt. Primo enim navis progrediens, in mari etiam tranquillo, resistantiam patitur, cuius effectus partim quoque ad inclinationem eius tendit. Alter vero effectus multo vehementior cernitur, si aqua undis turbatur, quo non solum inclinatio navis consequitur, sed &, ob superficiem aquæ non amplius horizontalem, situs æquilibrii maxime turbatur; unde ingentes in parte aquæ submersa inclinationes & alterationes oriri possunt. Priorem quod spectat, ea deprehenditur hoc maior, quo magis obliqua constituitur prora; unde merito reiecta sunt prælonga illa rostra veterum. Eandem ob causam, latera nimis divergentia in regione aquæ superiori, non sunt construenda. Debet contra navis, supra, versus proram & puppiam, incurvari; quod & aliis adhuc titulis se commendat. De posteriore autem inclinatione parum definiri potest, propter motum undarum nimis irregularem, verasque leges, quas aqua in statu violento possit, ubi eius superficies non est horizontalis, in pressione observat, deficientes. Quod reliquum est, docet adhuc Cel. Auctor, quomodo vicissim ex observata inclinatione, e datis viribus producta, definiri possint quantitates præcipuæ ad navem pertinentes, ut centrum gravitatis, hinc & stabilitas navis, idque pro navi magna, modo cognoscatur pro minore. Tandem quoque inclinationes, quæ hactenus in doctrina stabilitatis assumptæ sunt saltem infinite parvæ, considerat finitas, &, qualia exinde ad evitandam navis subversionem colligi debeant, evolvit.

Pag. 245. *Cap. VI. de actione gubernaculi agit.* Inter primarias navis proprietates ea censenda est, ut gubernaculo instructa sit, quo cursus propositus & facile teneri, & si opus sit, celeriter mutari queat. Actio gubernaculi, mechanice considerata, consistit in productione motus rotatorii circa axem verticalem, per navis centrum gravitatis transeuntem. Huic autem motui generando se immiscet præterea vires omnes externæ, modo non sint verticales, aut per ipsum illum axem directæ. Principia itaque generalia motus rotatorii e *Parte priori* repetit Auctor, & ad casum præsentem applicat. Vis externa, gubernaculum urgens, est appulsus aquæ ad ipsius superficiem. Duo hic casus distinguendi veniunt, prout cursus navis est vel directus, vel obliquus. Utrumque sigillatim persequitur Auctor, & tam effectum gubernaculi, quam fluentem hinc debitam constructionem, determinat; præterea quoque gubernaculum circa axem horizonti inclinatum mobile, considerat. Ad directum primo cursum quod attinet, vis aquæ haud parum pendet a figura puppis; naves enim semper post se trahere solent portionem quandam aquæ tranquillæ, *mortuam* dictam, eamque eo maiorem, quo magis navis circa puppim convergit; unde & sedulo evitant, ne hæc construat debito latior. Cum vero aqua mortua penitus evitari nequeat, constat hinc, effectum gubernaculi in aquæ superficie fore minimum, eumque sub hac crescere continuo, donec in imo loco, ubi navis in spinam desinit, fiat maximus. Hæc ratio est, cur gubernaculo in infima parte maxima latitudo tribuatur. Cursus obliquus maxime instituitur, si navis adversus ventum velorum ope propelli debeat; quo casu deprehenditur, effectum gubernaculi hoc esse minorem, quo velis anterioribus maior vis conceditur, quod iam nautas docuit experientia.

Aliam nunc altioris indaginis materiam, & a nemine adhuc pro dignitate evolutam, de *actione remorum*, aggreditur Cel. Auctor *Cap. VII.* En methodum, qua in hac disquisitione versatus est. Cum effectus remorum præcipuus a resistentia aquæ, hoc est obstaculi mobilis, oriatur; simpliciore primo casum

casum, quo remi fulcro immobili applicarentur, assumit. Hic itaque primo tantum res eo redit, ut e data vi hominum, ope funis vel vectis applicata, & resistentia aquæ in computum ducta, definiatur motus navis progressivus. Dein modum ipsum, quo remi ad navem applicantur, examinat A. (posito adhuc obice immobili); unde prodit motus navis angularis duplex, alter circa punctum, cui remus applicatur extremitate una, alter circa punctum in navi, in quo remus convertitur. Hoc disquisitionem eam reddit valde arduam. Absoluto hoc casu, (qui & ipse in praxi subinde occurrere potest,) tandem remos more solito in aqua vibratos considerat, ubi aqua ipsa actioni remorum cedit. Hic non solum motum navis, pro datis remis, datoque remigum numero, determinat; sed & vicissim remorum constructionem, numerumque remigum, ad obtinendum motum celerrimum: quam theoriam exemplo triremis, de qua mentio fit in *Comment. Acad. Paris. a. 1702.* confirmat. Cum vero in consueta remorum applicatione, nequaquam tota vis remigum ad movendam navem impendatur, sed duæ tertiæ temporis in elevatione remorum, novaque applicatione, consumantur; ideoque & quavis agitatione motus de novo generari debeat, quod iterum est virium dispendium: alios remigandi modos proposuerunt quidam, ut nempe vel remi, in rotam dispositi, ope ergatæ, motu continuo in gyrum agantur; vel, (cum hæc machina sit nimis composita & prægrandis, quam ut in praxi adhiberi queat,) ut eiusmodi rota, ope axis incurvati, a hominibus in navi sedentibus, hinc inde trahendo, circumagatur. Et hos igitur accuratori examini subicit Auctor; omninoque reperit, posteriorem insigniore emolumento anteire vulgarem, ita ut e. g. triremis a 96 operariis una hora per milliare german. promoveri queat, cum solito remigandi modo plus quam 200. homines ad id requirantur. Ceterum, in præcedentibus simul insigne specimen theoriæ de motu machinarum, adhuc parum exultæ, continetur. Sed neque hoc sicco pede transire possumus, cum id mirum videri posset iis, qui præsens *opus Eulerianum* comparabunt cum *Tractatu gallico de Navi Cl. Bougueri, 1745 edito,* (de quo

& nos verba fecimus in his *Nov. Act. A. 1751. Mens. Maio p. 252. § 99.*) in determinanda nempe proportione inter partem remi exteriorem & interiorem, tali, ut exinde maxima vis ad propellendam navem oriatur, demonstrare *Eulerum*, partem exteriorem longitudine semper excedere debere interiorem, idemque & in praxi observari, contrarium verò adstruentem *Bouguerum*, neglectu quarundam circumstantiarum in errorem eum inductum fuisse. Sed levis hic lapsus, fatente ipso Nostro, excellentia reliquorum, quæ in illo opere pertractantur, argumentorum, largissime compensatur.

355. E præcedentibus iam derivatur *constructio navium, remis propellendarum, Cap. VIII.* Missis proprietatibus, navi cuiusvis, sive remis, sive velis propellendæ, communibus, hic tantum in censum veniunt eæ, quæ navi, remis instructæ, competunt. Spectat huc potissimum diminutio resistentiæ, qua celeritas navis augetur; ea enim in navibus a vento propulsis, multiplicatione velorum facile reparari potest, in triremibus autem non item, nisi numero remigum, haud sine ingenti sumptu, aucto. Obtinetur autem illa, construendo naves has tam longas, quam fieri potest, salvo robore, ad firmitatem requisiti; quod praxis docet fieri adhuc, si longitudo sit latitudinis sextupla, vel septupla, quin, urgente necessitate, decupla: profunditas tamen semellem latitudinis excedere non debet. Præterea huic scopo adhuc propius accedi potest, latera navis ita proram versus coarctando, ut in aciem coeant, idque tam in latitudine, quam in fundo. Quales figuræ huic sint idoneæ, & quænam commoda aut incommoda secum ferant singulæ, Auctor hic sigillatim evolvit.

380. Offert sese nunc alterum genus navium, quæ vi venti agitantur. Ante omnia hic determinanda est *vis, quam ventus in vela exercit*, de qua *Cap. IX.* Ut a simplicioribus fiat initium, vela hic primo considerantur ceu rigida, ut figura eorum a vento non mutetur, illa adeoque pro data assumi possit; sicque impulsus venti appulsui aquæ redditur simillimus. In eo casu Noster pertractat primo vela plana, dein curvilinea quævis. Deinceps vela, prout actum sunt, flexilia, sub examen vocat; ubi

ubi quidem primo figuram, quam velum induit, tum vim inde resultantem, determinat. Fatendum vero est, omnia ista fieri sub hypothese venti, ad velum ita allabentis, ut liberrime ad latera defluat; (quemadmodum fieri solet in theoria percussionis fluidorum;) quæ tamen in natura locum non habet, cum potius pars venti in velo remaneat, ibique aerem stagnantem & condensatum efficiat, a quo effectus, tam respectu curvaturæ, quam vis, orietur longe alius: sed cuius determinatio, principia mechanica adhuc cognita prorsus superat. Calum itaque præcedentem resumit Auctor, sed gravitatem veli, antea neglectam, simul in computum ducit, quo & positio ac figura veli mutatur, & vis venti aliter se exerit. Hac occasione proponit Anemometrum novum, valde simplex, constans e tabula circa axem horizontalem mobili, cuius ex inclinatione facile cognoscitur venti velocitas.

Cap. X. versatur circa aliud argumentum maximi momenti in theoria navium velis instructarum, de *malorum constitutione*, quod hic magna cum cura persecutus est Cel. *Eulerus*. Aute omnia distinguendus est in hac disquisitione cursus navis directus, & obliquus. In obliquo enim, præter formam navis, positio malorum plurimum confert, ut navis maxime adversus ventum procedere queat, quo itaque imprimis respiciendum est in malorum collocatione. In directo autem navis a dato vento quam, celerrime promoveri debet, quod requisitum non nisi debita malorum constitutione impetrandum est. Directum iam primo considerans Auctor, initio, ope præcedentium de vi venti in vela, eruit motum progressivum navis, ex impulsu venti directi, vel obliqui, in velum unum, plurave, oriundum; hinc ipsam velorum magnitudinem, positionem, & numerum, ac proinde numerum malorum, determinat: quibus omnibus obtinetur, ut navis maxima cum celeritate progrediatur. Postea conversionem navis debitam, ope gubernaculi, quatenus a velorum malorumque constitutione pendet, examinat. Denique, quomodo iidem respectu inclinationis navis circa axem longitudinalem comparati esse debeant, A. disquirit. Per hanc nempe imprimis definiuntur limites, quibus velorum nu-

Pag. 436.

merus, & malorum altitudo, contineri debent, ne navis subversioni fiat obnoxia. Hæc autem tutissime evitabitur, si ii disponantur ita, ut media directio vis venti transeat per punctum, *centrum velare* a Cl. *Bouguero* appellatum. Oritur hoc concursu rectæ verticalis, per centrum gravitatis navis ductæ, & medio directionis resistentiæ aquæ. Patet hinc, altitudinem malorum, proinde copiam velorum, maxime pendere a figura proræ. Hæc igitur qualis esse debeat, facta attentione ad alia requisita bonæ navis, determinat Noster, eamque talem invenit, ut simul navis, convenienti velorum copia instructa, & celerrime progrediatur, & nullam profus inclinationem sensibilem patiatur.

Alter nunc casus de *curso navium obliquo* expeditur *Cap. Pag. 488.* XI. & inquiritur in constitutionem malorum talem, ut navis, sine periculo, maxima cum celeritate, minimaque deviatione, secundum directionem axis longitudinalis, progredi queat. Quomodo enim figura navis debeat esse comparata, ut deviatio sit minima, iam in *Parte præc.* dictum est. Quod primo ad positionem velorum ad axem longitudinalem attinet, iam constat, eam in praxi reduci solere ad tres casus; qui sub nomine venti pleni, venti dimidii, & adversus ventum, comprehendi solent, prout angulus velorum cum axe est rectus, aut semirectus, aut quarta pars recti. Quamvis autem theoria generalis, pro quavis venti directione positionem velorum optissimam monstrans, condi posset: maluit tamen Auctor, in gratiam nautarum, quibus hæc videri posset nimis ardua, aliquot tantum velorum positiones evolvere, & pro singulis certas notas docere, secundum quas ipsi vela, vel ad plenum ventum, vel ad dimidium, vel ad contrarium, possint disponere. His exhibitis, ipse dispositionem velorum optimam curatius examinat; quæ cum pendeat ab ipso navis motu, antea hunc, qualis a dato vento quovis, & pro dato quolibet velorum situ, prodeat, definit; hinc autem vicissim positionem illam, pro variis conditionibus, quæ desiderari possunt, eruit. Tandem eodem modo, atque antea, in cursu quoque obliquo, investigat velorum malorumque con-

constitutionem, ipsamque navis figuram, respectu habito tam ad inclinationem navis, quam ad eius gubernationem debitam.

En contenta palmaſia Operis egregii, de quo merito gratulamur ſcientiæ navali, quæ iam habet de quo gloriatur præ aliis ſcientiis bene multis, quibus ad id theoriæ faſtigium evadere nondum contigit. Ipſum vero hoc ſpecimen affirmare non dubitamus ita comparatum eſſe, ut vel ſolum Auctori, niſi tot inſignibus ingenii monumentis iam meruiſſet, parare immortalitatem poſſit. Ceterum, commendat ſeſe per totum opus incomparabilis illa perſpicuitas, cum egregio ordine coniuncta, quam in omnibus Viri ſummi ſcriptis iam dudum admirari conſuevimus.

Unicum adhuc haud prætereundum eſſe cenſemus, quibus hiftoriam ſcientiarum & inventorum pertexere curæ cordique eſt. Appariturum nempe iis, qui præſens Opus cum *Tractatu navali* Cl. *Bougueri*, (qui fere quadriennio ante prodiiit,) comparabunt, in eſſe illi, quæ quoad tractandi methodum adeo exacte cum iis, quæ in hoc expoſita ſunt, conſpirant, ut alterum ex altero ea hauſiſſe, ſibi perſuadere quis poſſit. Sed profecto inique. Ut enim ab omni omnino ſuſpitione rei, Viro ſummo adeo indignæ, ſe liberaret Auctor Noſter, ad teſtimonium Academiæ Imperialis, plurimumque amicorum, ſolenniter provocat, ſe Opus præſens iam ab a. 1737 conſcribere cœpiſſe, priorem Librum abſolviſſe omnino a 1740, poſterioreſ vero dein ſtatim poſt adventum Berolini penitus perfeciſſe; cum contra *Bouguerus*, ſuum opus in America ſe conſcripiſſe fateatur.

TRAITE DES HERNIES OU DESCENTES, &c.

i. e.

TRACTATUS DE HERNIIS, IN PARTES DUAS
diviſus.

Parifis, 1749, 12. mai. Part. I. plag. 18.

Part. II. plag. 15.

L 1 2

Inter

Inter externos corporis humani morbos ex frequentioribus est hernia, variis sane iisque periculosis sæpe stipata symptomatibus, ita ut eius cognitio non artis salutaris peritis solum maxime sit necessaria, sed alios quoque, eiusmodi morbo vexatos, multum instruat. Hunc autem sibi potissimum huius libelli Auctor præfixit finem, ut aliis, hoc malo afflictis, & morbi naturam, & modum sibi ipsis succurrendi ostenderet. Negari tamen non potest, multa in eo contineri, quæ de Cel. Auctoris, quem Arnoldum inniorem, Chirurgum Parisiensem esse putamus, peritia testantur, & medicis quoque ac chirurgis prodesse possunt. In præfatione, succincta hernias tractandi apud veteres legitur historia, exposita postea illa, quam Auctor in tractando hocce studio impendit, opera, anatomiz, ut vocat, pathologicæ, summa demonstratur utilitas, quippe quæ doceat, in obscuris quid agendum sit morborum eventibus, quod variis exemplis, ut curatione herniæ ventriculi in spatio triangulari, quod a latere cartilaginis xyphoidæ, pro transmittendis vasibus, paratum esse dicit, & hernia per foramen ovale ossium innominatorum, aliisque, declarat. Sed cum morbi natura cognitionem partis, in qua morbus est, requirat, totius abdominis, sed brevis præmittitur descriptio. Deinde ad hernias sese convertens, eas per tumorem præternaturalem superficiei abdominis definit, factum vel per mutatum partem, in eo contentæ, situm, vel per humoris cuiuscunque collectionem. Duplici itaque modo fieri cum possit hernia, illas, ubi a situ suo declinant viscera, veras, reliquas spurias vocat. Sed utraque species varias habet diversitates. Differentiæ verarum desumuntur vel a partibus, quæ herniam patiuntur, vel a loco, quem occupare solent. Omnium tamen generales quædam causæ, & communia quædam signa sunt ac symptomata. De his vero ita agit, ut ea in chronica & acuta distinguat. Ad priora refert illa, quibus sensim assuescit aeger, ut animi deliquia, colicos dolores, a flatibus excitatos; ad posteriora vero adhesionem & constrictionem seu incarcerationem herniarum, quam in internam ac externam dividit, & accidentia huic symptomata accurate describit. Omnes
postea

postea herniæ species sigillatim exponit: de umbilicalibus nimirum dispicit, de ventralibus, & de inguinalibus, quas completas & incompletas esse docet, nec non de cruralibus. Possunt autem omnes stringi, frequentius inguinales. Quod si hoc accidat, & protinus iis succurratur, priusquam malum incrementa capiat, spem facilioris restitutionis facit situs supinus ægri, & convenientium remediorum usus, inter quæ unguentum, a se inventum, recenset, quod ex auro in aqua regia soluto, margaritis, aliisque variis admistis, cum oleo pistaciorum, & aqua fl. Aurantium in unguentum conversis, constat; nec non devolutæ partis repositio, quam suscipiendi modum explicat, & signum, illam, licet dolores non illico cessent, factam esse, ex eo desumit, quod oleum, per os assumptum, iterum per alvum redditur. His quidem mediis in pristinum cedunt elapsæ partes locum; ne vero revertantur, cavendum est. Hunc finem male, eo iudice, per adstringentia interna obtinere tentant nonnulli. In universum fascias convenire asserit, præterea vero ad causam respiciendum esse. Si ab humorum abundantia in abdomine orta fuerit hernia, victus convenit exsiccans, & ptisanæ: in lactantibus infantibus sola sufficit fascia, sed nutricis victus simul accommodandus est: in adultis, ubi causa est relaxatio peritonæi, præter fasciam cataplasma ex adstringentibus, nec non decoctum vulnerarium laudat; contra lympham viscidam amara profunt, victusque humectans, dein asperientia & salina, imprimis commendat spiritum salis communis, vel balsamum salis gemmæ Hartmanni, cuius parandi modum exponit. Alio tempore mercurialia & martialia exhibenda, denique desiccantibus utendum, & fasciæ usus per aliquod tempus continuandus, qui tandem, obfirmatis omnibus partibus, relinquendus est. Attamen horum remediorum usui varia obesse possunt, quæ accurate dignosci oportet, si v. c. in infante testiculi nondum prodierint, noxia est fasciæ applicatio, prout debilitas pulmonum mercurialium & martialium usum vetat; in hernia adhærente solæ fasciæ sufficiunt. De fasciis porro fusius agit, earumque materiam & formam perpendit; eas vero,

Pag. 87.

145.

quæ ex chalybe fiunt, iis, quæ trochulo instruantur, præfert, elasticas insufficientes, lineas tandem periculosas pronuntiat, in sola hernia umbilicali admittendas. In usu tamen earundem, & morbus, & ægrotus respiciendus est; potest enim morbus vel exacerbari, vel minus recte sanari, si vel relaxetur, vel adstringatur nimis fascia, & partes subiectæ premantur: ægro autem, ratione fasciæ, & ob obesum, & ob macilentum eius habitum, difficultas nascitur, cum fascia ita sit aptanda, ut sub omni casu æquali comprimat modo, quare ad parandam eam, in diverso hoc statu diversa ratione mensura capienda est, ipsaque applicatio differt. Hanc herniarum, uteri excipit consideratio. Primo de inversione eius agit, quæ repositionem & quietem corporis requirit; relaxatio vero eius evenit, dum ligamenta extenduntur, quo ipso ex situ suo in vaginam decedit & prolabitur, vel totus, vel ex parte. Eadem in vagina tantum contingere possunt. Repositio autem fieri nequit, si tumor sit & durities uteri, quibus accuratus victus, balnea, & fomenta opponi debent, quo tandem in locum suum restituantur. His autem peractis situs observetur corporis, & uterus ab inhaerentibus spissis humoribus purgetur, quod sacculo quodam sericeo, aromaticis & stimulantibus repleto medicamentis, in vaginam uterumque immisso, peragere conatur. Ad curam palliativam pessi quidem pertinent: hos tamen in genere inutiles esse putat, quocumque modo se habeant, propterea quod comprimunt partes, nec uterum retinent. Novum quoddam genus invenit, quod ex ebore conficitur: rotundæ figuræ est, in superiori parte elatius, ab inferiori longius. Sequitur deinde ani procidentia, quæ facilius restituitur, & pello tandem retineri potest. Expositis itaque iis, quæ ad verarum herniarum cognitionem pertinent, ad spurias progreditur, easque, quoad suam naturam & causas disquirat, & in quinque genera distinguit; in hydrocelem nimirum, sarcocelen, cirlocelen, spermatocelem, & pnevmatocelem. De quovis genere sigillatim in sequentibus tractat capitibus. Sub hydrocele varias alias comprehendit hernias, & diferentes species adducit; in aliam enim sensum immittitur &

coacervatur serosa colluvies; in aliam per rupta vasa effluit; in alia dilatatio partis præcedit, quæ humoris retinendi egressum liberum concedit. Ad primam speciem refert hydropem feroti, penis, & labiorum pudendi muliebris; ad alteram, si humor supra vaginali testiculi tunica colligitur; ad ultimam hydromphalon, & si in vaginali tunica succus effusus continetur. Omnium harum herniarum causas, signa, & curandi rationem recenset; pneumatoceles vero existentiam negat.

Alteram huius libelli partem duas complectitur dissertationes, quarum altera de incarceratis, altera de accretis agit herniis. Utraque plures continet observationes, quibus quæ proponuntur, corroborantur. *Prima* itaque incarceratas tractat hernias, quæ vel ab anulo musculorum abdominalium, vel a peritonæo, saccum herniæ efformante, stringi possunt. Posteriores casum hic potissimum curatius disquirunt, qui autem vario discrepat modo. Saccus namque herniosus, vel in uno, vel multiplici in loco coarctatur; si multiplex est coarctatio, altera vel crassior, vel remissior, vel propinquior, vel distans magis est ab altera, & tunc intestinum, aut quicquid intus continetur, reponi potest vel non. Id fit, ubi sacci in abdomine est coarctatio, nonnunquam cum adhæione intestinorum coniuncta. Deinde herniæ diversum habere possunt situm, qui earundem constrictionem producit, postquam fuerint reductæ, ut vel ossa ilium, vel musculus rectum versus, devolvantur. Sunt tamen certa, quæ peritonæi constrictionem declarant, signa. *Alteram*, ut diximus, dissertationem, accretas hernias scrutatur. Data harum definitione, & descripta, qua eveniunt, ratione, quatuor earundem differentias esse affirmat. Prima per agglutinationem dicitur, quam succi spissi, & extra vasa sua missi, producant; alteram fibrosam vocat, quam ex egresso per rupta vasa succo, in fibras vel varia frenula perforato, oriri autumat; tertiam carnosam dicit, si succus amplum occupat spatium, & adhærendo herniæ cicatrices magis minusque firmas format; quartam spongiosam est vel fungosam, ab excrecentiis nata, quæ in parte herniæ læsa, post vulnus acceptum, propullulant. Symptomata in omnibus conveniunt.

mutan-

Pag. 158.

mutantur tamen si stringatur hernia. Reponi possunt herniæ, dummodo cum seroto non fuerint glutinatæ, hoc autem dolores colici & spastici circa ventriculum manifestant. Si non potest reduci hernia, eadem fere accedunt, quæ in incarceratis observantur, symptomata, nisi quod flatus & fæces libere per alvum procedunt. Neque tamen ab omni auxilio tunc abstinendum est chirurgo, quod & inflammatio & contractio facile superveniant. In genere averti possunt tales adhesiones per vitam sobriam, & commodum fasciarum genus; tolli vero, dum vel iniuriæ, quibus sunt obnoxia, removen-
 ventur, vel dum partes iam iunctæ instrumentis separatur. Si hernia ingens fuerit, & mesenterium ob glandulas obstructas tumefactum, hydrargyrum convenire docet Cl. Auctor. Contra graviora symptomata militant cataplasmata emollientia, anodyna, enemata, & similia. Hæc si non sufficiunt, ad operationem veniendum est. Adhæsiō per agglutinationem facile digito removetur, si autem supra anulum sit in abdomine, singulari utitur instrumento, a se invento, argenteo, sex circiter digitorum longitudine, ab una extremitate spatulam quinque lineas longam referente. Adhæsiō fibrosa forcice vel lanceola separanda est, carnosæ, quæ cicatrix est, simul cum ipsa hernia reponitur. Fieri vero potest, ut intestina inter se coalita, & variis in locis gangræna tacta deprehendantur, tunc totam herniam tollere suadet, partes vero dissectas inter se consuere, vel anum artificialem relinquere, quod feliciter cessisse, observationibus adductis, confirmatur. Itidem & spongiosa adhæsiō, si intus est in abdomine, curationem non admittit, externam ablatione forte intestini tolli posse sibi persuadet. Pollicetur Cl. Auctor, se alium adhuc de herniis tractatum esse editurum. Adiciuntur in fine operis variz de specialibus herniis observationes, ex aliis scriptis collectæ, nec non index & explicatio vocum technicarum adhibitarum, eorum in gratiam, qui artis sunt imperiti.

IOANNIS ANTON. VULPII, PUBLICI PHILOLOGI ac Rhetoris in Gymnasio Pasavino, divinisio in diptrychum

chum eburneum Vaticanum, olim vero Eminentiff. Card. Ang. Mariae Quirini, Episcopi Brixienfis, ad rem uxoriæ, ut videtur, pertinens. Editio tertiâ, prioribus auctior & emendatior.

Patavii, excudebat Iosephus Cominus, 1750. in 4.
Superiorum permiffu.

Plag. 5.

Sunt, qui notiffimum illud diptychon, olim Quirinianum, nunc vero Vaticanum, quod multa iam eruditiffimorum virorum ingenia exercuit, de obfcœnis illis Paridis atque Helenæ amoribus interpretantur. Hos refutat auctor noster, atque ostendit, iis, quæ in Ovidianis illis Paridis ad Helenam, & huius ad illum epistolis, ea de re habeantur, parum cum diptychi nostri figuris convenire. Alii Endymionem, a luna seu Diana dilectum, tabellis diptychi exprimi arbitrantur: sed & hoc a vero aberrare doctiffimus Vulpus existimat, docens, mythologorum de his amoribus narrationem itidem parum respondere iis, quæ in diptycho hoc exhibentur. Suspicati porro sunt aliqui, Cybelem, quæ & tellus, & magna mater, & mater Idæa, & Ops, & Rhea, & Berecynthia, & dea Pessinuntia olim vocata sit, ipsique cariffimum Atyn, Phrygium pastorem, in his tabellis, saltem in priore, exhiberi. Hos in eam suspicionem perduxit adolescens formosus, amputatis, ut videtur, genitalibus, quippe quam *τῶν αἰδίων* exfectionem, huius *Deæ* sacerdotes, *Galli & Corybantæ* adpellati, furore ac superstitione perciti, pati solebant. Librum vero, quem pueri in manibus vident, librum mysteriorum esse credunt, in cuius verba impuris his sacris initiandi iurarent. Addunt, mulierem adstantem labia adolescentis digitis comprimentem, haud obscure significare silentium ab initiatis servari solitum. Sed neque hæc interpretatio doctiffimo Auctori factis videtur probabilitatis habere; quam sententiam de iis quoque fert, qui in hac tabula Venerem & Adonidem videre sibi videntur, maxime quod huius & illius figuræ, quas finxit supersticiosa antiquitas, parum illis respondent, quas expressas in

Pag. 1.

6.

7.

Mm

ta.

- Pag. 10. tabula hac cernimus. Neque ipsi placet doctissimi *Io. Georg. Wachteri* explicatio, qui priorem diptychi tabulam Adonidi accommodat, qui ab inferis redux adferat Veneri decretum Calliopes, cuius decreti vi Proserpina & Venus debeant amore ipsius alterius vicibus frui, quælibet sex mensibus. Observat enim, quum binæ illæ tabellæ eburneæ unum diptychon conficiant, non sufficere, si unam tantum aut alteram, fabulæ alicui vel historię significandæ aptare studeas. Addit & alias causas, quæ eum, ut ab hac sententia discederet, moverint. Neque desunt, qui nudum in tabella iuvenem, cum cane & venabulo, ad Meleagrum, eiusque historiam a poetis & mythographis conflatam, retulerunt. Quorum interpretationi etiam aliquot in diptycho figuræ favere videntur, multa tamen in contrariam partem adferri possunt, quæ & eam coniecturam improbabilem efficiunt, id quod doctissimus *Vulpinus* luculenter ostendit.

- Quemadmodum vero omnes hæc allatæ ab eruditissimo auctore diptychi nostri interpretationes, poetarum fabulis nituntur: sic alii ad historiam romanam, ut ex ea figuris illis in diptycho exstantibus lux accendatur, confugiunt. Putant igitur, exhiberi in altera tabula M. Aurelii Antonini Philosophi, Imperatoris, & Faustine filie Antonini Pii, imagines:
15. quod tamen a vero quam longissime abhorret. Alii Titi Cæsaris & reginæ Berenices amores in hoc diptycho referri arbitrantur; cui sententiæ multa, quæ ad amoris eius historiam pertinent, suffragari, Auctor quidem putat, deserit tamen etiam hanc, quoniam in diptycho iuvenis exhibetur mollis, imberbis, glaber, nulla in facie auctoritate, proceri corpore, quæ omnia in Titum neutiquam cadant; ad quod accedit, Titi coniugium a Berenice adpetitum & speratum, Romanis moribus infaustum obscenumque, pessimi augurii fuisse, ideoque nullo modo nuptiis felicibus, ad quas tamen diptychum spectat, accommodari olim potuisse. In medium deinde doctissimi *Baldini* de hoc diptycho coniecturæ adferuntur, ad nuptias Honorii Imperatoris, pueri eo tempore adhuc imberbis, & Mariæ, filie Stilichonis, comitis, & Serenæ

renæ reginæ, referri illud commode posse arbitrantis. Et huic quidem lententiæ multa favere videntur, præsertim quod Claudianus poeta, immo & historici, Imperatoris istius speciem formosam multis verbis extollunt, cum quibus & antiqua monumenta, quæ Honorium referunt, consentiunt, itemque nostra tabella eburnea, ne de aliis momentis dicamus, quæ cum Honorio eiusque uxore apte videntur convenire. Sed & hæc explicatio clarissimo Vulpio non ita placuit, ut plenum illi adlesum tribueret. Eandem is opinionem fovet de *Alexii Symmachi Mazochii* interpretatione, nullam in ebore Quiriniano veterem fabulam vel historiam agnoscentis, verum in priore anaglypho mentionem tantummodo & repromissionem futurarum nuptiarum, quod negotium totum per servum aliquem transigi olim oportuerit. Iuvenem autem in diptycho expressum, tamquam internuntium & sequestrum, ignobilem quendam servum fuisse putat Mazochius, de evnuchorum peregrinorum genere, qui propterea fictus sit a sculptore sine ullo virilitatis vestigio. Existimat quoque, evnuchis heræ ministrantibus, vix aliter quam nudis adparere licuisse. Sed & hæc interpretatio, licet ingeniosissima, multum improbabilitatis habere doctissimo auctori nostro videtur, quod fæse doctæque ostendit; inter alia observans, quum tabellæ Quiriniani diptychi ad nuptias spectaverint, nullum fœdus aut infelicius auspiciis *νεγαιμοις* exhiberi potuisse, quam evnuchum talem, qui amputatis genitalibus sponsæ portenderet sterilitatem. Hanc ob causam & Mazochianam diptychi explicationem refellit A. multaque erudite de quæstione disputat, fueritne olim in usu, ut evnuchi nudi dominæ ministrarent? Negat hoc auctor noster, & si etiam hæc olim invaluerit consuetudo, apud fordidos & barbaros invaluisse tantummodo eam suspicatur, neutiquam vero apud moratas & cultiores gentes. Ostendit simul, ex *Claudiani libr. I. in Eustropium* v. 105, nihil peti posse præsidii ad defendendam sententiam Mazochianam.

Quibus expositis, doctissimus *Vulpius*, suam diptychi huius, eamque novam, interpretationem in medium adfert. Quod

antequam facit, id præcipue dari sibi vult, rudem, quæ in hoc diptycho est, architecturam, non obtare eiusdem anti-
 quitati, quum ceteræ figuræ elegantissimæ sint: raro pictorem
 aut cælatores inveniri, ita sollertem, ut *ἔργα* simul & *καίπερ-
 γα* in tabulis suis eadem cura atque elegantia perficiat: esse
 alios, qui hominem scite expriment, cetera levius adumbrent;
 alios, qui effingendis quadrupedibus aut avibus gloriam studeant
 consequi; alios, qui in locorum situ, nemoribus, pascuis, cet-
 pingendis excellant. Addit, unius eiusdemque diptychi val-
 vas esse, eburneas tabellas duas, amoribus, sed castis, dicatas,

- Pag. 27. immo par legitimorum coniugum significantes. Aperit si-
 mul, quid de *Iuvenalis* loco sentiat, quem attulerunt viri do-
 ctissimi ex Parisiensi Academia inscriptionum & humaniorum
 litterarum, ut ex eo ostenderent, diptycha amatoria figuris
 ornata, diptychis consularibus longe esse antiquiora: obser-
 vat, item, Baldini sententiam, qua per *blandas* illas *assiduas*
densasque tabellas apud *Iuvenalem* intelliguntur epistolæ, spis-
 sis verbis & prolixis, sive pollicitationibus, sive blanditiis
 refertæ, haud improbabilem videri. Communem quidem fuisse
 28. diptychi adpellationem duplicatis pugillaribus, at *diptycha*
κρυπῶς adpellari consuevisse tabellas huiuscemodi, amoribus
 & lenociniis sacras, nondum expeditum esse. Scholiastem Iu-
 venalis tanto minus fidei habere, quod ipse ille, de quo dispu-
 tatur, locus, variz lectioni subiectus sit, & in aliis editionibus
diptychis, in aliis *chypiciis* legatur: non esse probabile, impu-
 ro illi nebuloni apud *Iuvenalem*, semper sculptorem, qui dipty-
 cha eiusmodi amatoria conficeret, ad manus fuisse; ceterum,
 aliquid simile continere vetus illud epigramma *πρὸς Θόδω
 κρητικόν*:

*Obscenis rigido Deo tabellas
 Ducens ex elephantidos libellis,
 Dat donum Lalage, rogatque tentes,
 Si pictas opus edat ad figuras:*

29. quod ibidem ex ludorum gladiatoriorum apud veteres ratio-
 ne egregie illustratur; vocatis in subsidium locis *Horatii*
 libr.

libr. II. sat. 7. & Ovidii libr. I. art. amat. v. 163. dein ostenditur, in ludis eiusmodi libellos editos fuisse, in quibus ante pugnam tota spectaculi series, nomina item ac virtutes gladiatorum, describerentur. His expositis, redit auctor Noster ad supra dictum Iuvenalis locum, inque eo *tabellas densas* nihil aliud esse suspicatur, quam epistolas tabellis inscriptas, prolixas, verbosas, *ἐπιδορυραφῆς*, non unam aut alteram, sed plures paginas implentes. Utum eiusmodi tabularum ad amores pertinentium antiquissimum esse agnoscit, non tamen adiectas illis, credit, nisi perraro, pictas, vel in ebore scalptas historias. Occurrunt eiusmodi tabellæ apud *Propertium*, qui *libr. II. eleg. 20.* eas *supplices* vocat. Fuerunt etiam tabellæ quædam communes inter amatores, ceratæ videlicet, quas inscriptas, iuvenis ad puellam, hæc vero, priore deleta scriptura, cum responsione ad illum mittebat, ut ex *Propertio libr. III. eleg. 23* patet. Hæ tabellæ sæpe erant multi pretii, occasioneque postea dederunt, diptycha consularia, quæstoria, & aliorum magistratuum conficiendi, de quibus *Claudianus de altero Stilicbonis consulatu, v. 345.* De his diptychis multa præclare docet auctor noster, & quamvis supra laudatum *Iuvenalis* locum, de diptychis amatorii ipse haud interpretetur, quod supra iam diximus: probat tamen sententiam *cel. Claudii Bazii*, existimantis, tempore Iuvenalis, amatoria diptycha, penes homines vitæ elegantiam cultumque amantes, ad usum & subitos eventus iam prompta & parata fuisse, quemadmodum & anuli erant, item sigilla, vascula, lampades, & sexcenta alia.

His præmissis, *cel. Auctor* ipse sententiam suam de hoc diptycho profert. Existimat vero, figuras, quæ in eburneis eius tabellis conspiciuntur, pertinere ad nuptias *Ptolemæi Evergetæ*, regis Aegypti, & *Berenices* sororis eius, quorum pater fuit *Ptolemæus Philadelphus*, Aegypti rex, germana mater *Arfinoe Lysimachi*, cui maritus adoptavit liberos, quos ex priore susceperat, quum illam, ob insidias sibi structas, dimisisset, atque in *Coptum* relegavisset, altera vero uxor sterilis viveret, uti testatur *Scholias* vetus *Theocriti*. Arbitratur porro,

- porro, in utraque tabella figuram muliebrem hanc Berenicem significare, sed in prima puellam & innuptam, in altera vero, nuper posita virginitate, ex maritali thalamo prodeuntem. Juvenem nudum, in dextera diptychi parte, addit, non esse ipsum Ptolemæum, sed eius genium, qui libellum virgini ostendat, in quo memoria benefactorum Berenices literis consignata sit. In sinistra tabella idem par novorum coniugum Auctor agnoscit, Ptolemæum nempe ipsum, tunicatum, succinctum, ad Syriacam expeditionem paratum; Berenicem vero in gaudio dolentem, & propterea mirum γλακί-
πικρον facie præferentem. Gaudet scilicet, quod iam regina sit; dolet, quod a regis, fratris & mariti, latere tantisper avelli debeat, donec is, victis hostibus, ex Asia redierit. Ob expeditionem hanc, Ptolemæum cum clypeo & hasta effectum esse, Auctor sibi persuadet. Nova nupta, quod in hac tabula mariti labium digitis comprimit, eo putat Auctor doctissimus significari, nolle illam mariti sui iussis acquiescere, sed cupere in Syriam proficisci, ac simul militiæ labores perferre, licuti a prima ætate facere solita fuisset. Hæc est doctissimi Vulpii, de celeberrimo illo diptycho sententia, quam sequentibus veram, saltem reliquis probabiliorē, omni contentione, his potissimum argumentis efficere studet. Observat, se quidem ex historia antiqua interpretationem huius diptychi dare, ipsam tamen hanc historiam occasionem dedisse fabulæ de septem stellis, apud *Hyginum poetic. astronom. libr. II. cap. 24.* inde patere, nuptias istas Berenices celeberrimas fuisse, proptereaque facile apud antiquos tamquam exemplum felicitatis matrimonii adhiberi in diptychis potuisse, idque tanto magis, quod Berenicem Ptolemæum coniugem unice dilexisse, veteres tradant. Neque putat, obstare bonis nuptiarum auspiciis, expressum in hoc diptycho sororis & fratris coniugium. Quod enim nostris moribus barbarum, incestuosum, ac nefarium esset, id solemne fuisse, si non romanis, aliis tamen gentibus, quod erudite ibidem evincitur. Quod ad nudum adolescentem, qui in priore tabula visitur, attinet, & quem genium Ptolemæi putat doctissimus Vulpius, ostendit A. veteres
36. in
38. in

in ea opinione fuisse, deos genis his usos, quotiescun-
 que hominibus mandare aliquid vellent, quod ibidem ex
 Platonis apud Plutarchum effato comprobatur. Hoc ita refert
 ad nostram tabellam Auctor, ut Ptolemaum, tanquam Deum
 aliquem misisse dicat genium suum ad Berenicem, mortalem
 adhuc mulierem, quod nondum regi matrimonio iuncta esset.
 Figuram itaque nudi adolescentis, putat, nihil aliud nisi consi-
 lium significare Ptolemæi, de uxore ducenda Berenice:
 nudum esse effectum, quoniam genis omnia nuda & aperta
 essent. Multa hoc loco commemorantur de genis, & iura-
 mento per eos, atque Iunonem. Genio canis adponitur, propter-
 ea quod genius & Iar Deus idem erant. Fingebantur vero la-
 res, viatorum habitus, cum pelle & cane. Eandem ob causam
 adolescens ille nudus pellem gerit, in summo sinistro humero.
 Nudus porro fingitur genius, quod videlicet dii veste non in-
 digeant, vel ut significetur amor sincerus neque simulatus, ma-
 nifestus, neque occultus. Apparet porro *δερυφόρος*, sive hasta-
 tus, ob duplicem, ut Auctori nostro videtur, causam. Alte-
 ram esse credit, quod Deorum simulacris hasta addi ut pluri-
 mum soleret, alteram, quod genius Ptolemæi esset, regis bel-
 licosi, armati, & hasta instructi. Forinosus hic adolescens si-
 ve genius, siue iis partibus corporis, quas velari pudor iubet,
 effectus est, quod ita interpretatur Vulpus, nuptiis Bereni-
 ces expetendis, non præcipue concubitum, sed vitæ commu-
 nionem, & animorum potius quam corporum coniunctionem,
 a Ptolemæo spectari. Liber, quem adolescens manu tenet,
 & quem plerique putaverunt amatoriam esse epistolam, nihil
 aliud ex Auctoris nostri sententia est, quam *σύμβολον* &
 significatio memoris animi regis Ptolemæi, ex quo non exci-
 derant præclara facinora Berenices, quibus potissimum rex
 ad eam sibi matrimonio iungendam inductus esset. Docte hic
 monstrat Auctor, ex veterum Græcorum Romanorumque scri-
 ptorum testimoniis, usitatam fuisse loquendi rationem: *scri-
 bere in animo & memoria*, tanquam *ἐν πινάκι καὶ γραμμα-
 τείῳ*, gratoque & memori animo, fortium benefacta, a regibus
 non solum condi, sed præterea factis & monumentis adcurate
 mandari solita fuisse.

Pag. 39.

40.

41.


43.

45.


46.

48.

In



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

(DIE FEHLERHAFTE PAGINIERUNG DER
ORIGINALVORLAGE WURDE BEIBEHALTEN)

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

- Pag. 50. In posteriore diptychi huius tabella, ipsum Ptolemæum nunc maritum, & Berenicem ex virgine mulierem, videre sibi videtur doctissimus Auctor. Velum, sive aulæum, seu *περιστερασµα*, reductum cernitur, quale prætendebatur sacris principum cubiculis, ac thalaminis reginarum, immo adytis & penetralibus Deorum. De his velis cubicularibus varia hic in medium adferuntur. Breviore vero statura exhibetur Ptolemæus, quam genius ipsius, quod decere existimat Auctor noster, hominem, quamquam regem, Deo minorem fingere. Procerum enim habitu corporis olim effingebantur, quod ibidem erudite probatur. Putat simul Cel. Vulpus, similitudinem imaginum huius tabellæ cum archotypis non querendam, neque in eiusmodi sculpturis expectandam esse.
51. Solebant enim amatoria ista diptycha mittentes, ad historiam quidem aliquam celebrem, vel fabulam, respicere, verumtamen oris proprii lineamenta, & puellarum, quas amarent, sculptis figuris accommodabant. Hastam vero & scutum gerit Ptolemæus, ob expeditionem in Asiam post nuptias susceptam, id quod occasionem auctori nostro suppeditat, nonnulla de veterum scutis disputandi. Effingitur porro Ptolemæus, succinctus, & tunicatus. Vestitus hic femineam tunicam imitatur, & manicas habet, quod barbarum & peregrinum regem significabat. Adduntur his nonnulla de pileo, eiusque apud veteres usu.
52. Berenicem, credit Auctor, ex comæ pulchritudine facile agnosci posse. Capillos, in vertice ipso capitis, eleganter admodum nodus colligit. Hos nimirum vocit regina, & suspendit in templo Arfinoes seu Veneris Zephyritidis, ob mariti victoris reditum. Chlamys porro, & gemmata fibula, reginam aperte demonstrat, & Ægyptiam quidem. Eo putat
53. Auctor Berenices consilium indicari, maritum in castra sequendi. Regina primoribus digitis labium Ptolemæi attingit familiariter, vel silentium indicens, quod moleste ferat, eum sibi præcipere, ut viro absente ac in Asia militante, ipsa interea domi maneat, ius dicat, & Ægyptum regat; vel modeste deprecans laudes sibi a marito tributas, indignationemque Nemeseos timens. In frontibus harum tabellarum

rum sunt conchæ, quas itidem nuptiis Ptolemæi & Berenices convenire putat doctissimus Auctor. In paludibus enim Indorum conchylium quoddam nascebatur odoratum, cui nardus alimentum dabat. Huius conchylii testa utebantur veteres ad unguenta servanda, eamque, ut ex Horatio patet, *onychem* adpellabant. Coma vero Berenices, apud Catullum, iubet nuptas mulieres, si quæ a maritis male haberentur, imposterum ipsi, tanquam deæ, liquores odoratos ex onyche li-
bare. Pag 59.

Quilibet fatebitur, hanc doctissimi Vulpii interpretationem multum ingenii prodere. Tradidit simul omnia solida cum eruditione, nec sine magno lectionis apparatu. Quod uti libentissime confitemur, ita simul, ut æqui harum rerum iudices libere dicimus, totam eius explicationem coniecturis, quæ parum præ se ferre nobis videntur probabilitatis, niti, faciliusque ipsi fuisse, ceterorum diptychi huius interpretum nævos & errores ostendere, quam veriorem sententiam in medium adferre. Uti enim alterius principis nuptiæ æque facile ac Ptolemæi in hac tabella effingi potuerunt, ita nec in ipsis diptychi figuris aliquid reperitur, ex quo, maiori verisimilitudine ad Ptolemæum quam ad alium regem illas referri debere, pateat. Tota, ut ex dictis intelligimus, doctissimi viri explicatio, eo potissimum redit, ut nudus ille adolescens, sine genitalibus, cum libro in manibus, genius Ptolemæi sit. Quum vero quævis veterum monumentorum interpretatio, quæ a moribus & institutis veterum abhorret, parum in se habet probabilitatis, quidni idem de hac Vulpiana sentias? Nunquam enim bonos genios, ut ex eorum simulacris apud *Cartarium, Mich. Ang. Cauffeum, dela Chauffe*, aliosque, adparet, ut nudos iuvenes, nedum sine genitalibus, aut cum libris expressos, in antiquis monumentis videmus. Et unde, quæsumus, probabitur idem illud officium, quo in his nuptiis genium perfunctum esse, eruditissimus auctor existimat? Quid, quod eadem, quæ aliorum sententiis, neque immerito, obflare Auctor putat, ipsi eius sententiæ opponi possunt.

LETTRES DE MR. DE MAUPERTUIS

h. e.

EPISTOLÆ DOMINI DE MAUPERTUIS.

Nec mihi, si aliter sentias molestum.

Dresdæ, apud Georg. Conradum Waltherum, 1752. 8.

plag. 14½.

Fama nominis atque ingenii huius philosophi, apud omnes iam ita pervagata est, ut, quis sit ille, aut quam rationem sequi soleat, lectores monendos haud putemus. Scripsit nunc ingeniosissimus ille vir epistolas, aut, si mavis, dissertationes: neque enim, præter nomen, aliquid, iis proprium, habent; sed philosophi persona plane dignæ sunt, ac de rebus gravissimis agunt. *Prima* quidem earum tamquam prologi loco est, rationemque, quam in scribendis iis sequendam sibi maxime putaverit, exponit. Cogitanti nempe sibi, epistolas scribere, tam brevitati, ait, studere, quam ordinis legere, sanctas illas philosophis alias, migrare visum esse. Res, utcumque se ingesserint menti, & quæcumque meditati sponte se obtulerint, etiam si repugnare aliis viderentur, chartis mansuris esse mandatas. Immo fidei non optimæ esse, pronuntiat, in conficiendis libris, sententias alias, quod reliquis, quas quis iudicio suo prober, non satis respondeant, damnare; alias, & diversas quidem illas, reiectis interdum haud paulo etiam deteriores, adoptare. Se nihil scribere profiteretur, nisi quod eo ipso tempore, quo pennam habuerit in manu, verum esse iudicaret. Si quis sit, qui has ideo epistolas cogitationum suarum velit ephemerides vocare, id eum, se auctore inprimis, facturum. Neque enim quidquam sibi esse molestius, quam iis de rebus, oppido sane paucis, de quibus non, nisi una ratione cogitare ac sentire oporteat, læpius cogitare. Sed hæc tamen ratio, si quidem aliquid hic videmus, iis sine dubio magis probabitur, qui, qua via invenire philosophus, quod in una quaque re verum certumque est, scire gestiunt, quam qui, quæ scri-

scribere ille, ad usumque humani generis, consignata litteris, dare foras debeat, quærent. *Alter* epistola, de vi, humanæ menti insita, recordandi aliquid & prævidendi, exponit; quæ, quum velut dux quædam ad felicitatem esse nobis debeat, mater hodie dolorum sæpenumero reperiatur. *Tertia* de felicitate agit, cuius tamquam mensuram quamdam, quam neque impleant res secundæ, neque minuunt adversæ, cuius homini tributam esse arbitratur. *Quarta*, modum percipiendi comprehendendique persequitur, atque ita primum originem pervulgatarum inter philosophos, de commercio animi & corporis, sententiarum aperit; deinde autem, quas singulæ difficultates habeant, ostendit. *Quinta* verlatur in contemplandis bestiarum animis, ubi contra eos maxime disputat, qui, vel metu Theologorum, vel alia quadam speciosa ratione inducti, eas negarunt; quas tamen, vel assensionis firmitate quadam flatui, vel reiici plane oportere, ideo negat, quia sui sibi conscium esse, primum sit, animos esse in nobis, argumentum, quod tamen de aliis, extra nos, cognosci non possit. *Sexta* tradit animantium iura, quæ, Indorum, Pythagoræ, Senecæ, aliorumque hac de re sententiis expositis, cibi causa occidere quidem; non autem ob voluptatem cruciare, fas esse pronuntiat. *Septima* vocat ad censuram *ευσχηματα*, a quibus quam alienum habeat animum, ex initio statim apparet, ubi, ea verum esse malum, quod disciplinarum obstet progressibus, iudicat: omnem autem eam disputationem propterea videtur instituisse, uti, quam minime faveat Leibnitio, quem ab affectis inter divos referri opinatur, eiusque disciplinæ, declararet. Hinc *octava* *Monades* exagitat, quarum distinctam notionem Leibnitii ipsius animo negat observatam esse. *Nona* corporum naturam perscrutatur, quam in eo cerni ait, quod penetrari non possint, quam vim philosophi dixerint *soliditatem, duritiam*. - Simul eos reprehendit, qui omnia corpora elasticitatem quandam habere, ut nunc loquuntur, neque ullum corpus perfecte durum esse posse, opinentur. *Decima*, leges motus complectitur, eam ob causam, ut videtur, scripta, ut haberet occasionem inventi sui, *de quantitate actionis*

Pag. 3.

6.

10.

19.

43.

48.

55.

58.

65.

- Pag. 72. *nis minima*, ostentandi, virique docti, qui Leibnitio illud iam suboluisse dixerat, certe putabatur dixisse, carpendi. Meliora promittit epistola *undecima*, nempe artem, vitæ suæ tempus efficiendi longius, quam neque in metallis, neque in aliis rebus quærendam putat; sed in sola scientia, vel re-
 81. morandi *vegetationem* corporum, vel suspendendi eius functiones, positam esse credit. *Duodecima* de lapide philolophorum, quem dicunt, quærit, eiusque inventionem e genere *ἄνυλον* esse, inde probat, quod univèrsa materia sit homogènea, ut loquuntur philolophi, omnesque illius partes ad certum aliquem generum numerum redigi possint, omnesque materiæ partes non minus reperiantur variæ, quam ipsa in natura corpora. *Decima tertia* de locorum longitudine exponit, cuius inventionem in mari tum sperari posse sibi persuadet, si aut horologium, cuius motus navigatione non immutetur, aut telescopium, contemplandis Iovis satellitibus non idoneum modo, sed tantum etiam, ut, agitata ventis nave, oculis illi subdaci non possint, perficere aliquis doceat; aut rationes lunæ tam diligenter computet, ut, quem
 96. illa locum teneat in cælo, accurate scire nullo tempore non possimus. *Decima quarta*, perpetuum mobile, uti vulgo loquuntur, sperare vetat; *decima quinta*, varia de quadratura circuli movet; ut sequens epistola de medicina, in quam animo
 116. est admodum offenso. *Decima septima* de animantium agit generatione, cuius arcana eleganter indicat. *Decima octava* de divinatione exponit, cuius rationem, in tanta ignorantia animi corporisque, non esse difficiliorem intellectu indicat, quam recordationem præteriti, aut præsentis cognitionem.
 157. *Undevicesima* de litterarum progressu, seu, ut ait Baconius, augmentis scientiarum, agit, easque inprimis scientias indicat, quarum incrementa sperari nequeunt, nisi principum ac regum opibus adjuventur, ut est terræ australis detectio, quam tanto utiliore futuram ratur, quanto magis in ea, a tribus reliquis orbis terræ partibus seiuncta, non fruges tantum fructusque diversi generis, sed *homines etiam caudatos* inventum iri existimat, cuius unius e consuetudine se plus, ait, delectationis capturum, quam ex Europæi cuiuscunque, quam-

quamvis politissimi ingenii. Porro etiam in hoc genere ponit detectionem terræ *Patagonum*, sitæ in parte extrema Americæ, atque a Gigantibus habitatæ: item commentum per septentriones in Indiam, quem per ipsum eum locum, qui solet in globo terræ polus appellari, quærendum esse iudicat: observationes de variationibus acus magneticæ, quæ nautis hodie tamquam cyuofuræ loco est: continentem Africæ: Pyramides Aegypti, quas velut serinia quædam, quibus singularia historiarum scientiarumque Aegyptiacæ sint monumenta condita, esse suspicatur: collegium scientiarum peregrinarum: civitatem Latinam, quo mitteretur inventus linguæ discendæ causa: astronomiam, cuius cultores, neque fixas stellas, neque solem satis cognoscere putat; parallaxin lunæ, ac relationem eius ad figuram terræ; observationes in artem medicam: experientias denique metaphysicas. Hæc tamquam ossa sunt epistolarum philosophi nostri: colorem ac sanguinem noscere qui cupiunt, eas ipsas legant, oportet.

Pag. 171.

173.

178.

182.

184.

187.

188.

193.

205.

221

OBSERVATIONS SUR LES ARTS ET SUR QUELQUES morceaux de Peinture & de Sculpture, &c.

h. e.

DE ARTIBUS, DE QUE PICTIS QUIBUSDAM sculptisque tabulis Lutetie A 1748. publico obtutui expositis, observationes; in quibus & de utili, ornamdarum urbium, consilio, disputatum est.

Lugduni, apud Eliam Luzac, iuu. in 12. 1748.

Plag. 9.

Quum gratissimum oculis spectaculum præbent tabulæ, a variis artificibus pictæ, variamque morum formam, quam *καρταίηρα* Græci dicunt, exprimentes: tum magnam in primis utilitatem ex afferunt ad civitates, iis exornatas. Ut enim de incredibili voluptate, qua animos ad spectus egregiarum tabularum tamquam pascit, non dicamus, ipse sensus elegantiarum eodem in nobis, & excitari solet facillime, & vulgo confirmari potissimum. Non male igitur operam suam Auctor,

N n 3

quis-

quisquis * est, politissimus certe & eruditissimus est, collocavit, iudicium ferens accuratissimum de picturis & sculpturis summorum Francogalliæ artificum, quas, moris est, in Ludoviciana arce regia Parisiis omnibus ad intuendum proponere. Neque enim dubitandum est, quin ea re studium eorum accenderit vehementissime. *Primo* vero, unde factum sit, ut, quum iaceat hodie passim pingendi sculpendique ars, ea quondam in Græcia eo fuerit loco, ut Alexander Macedo eam inter disciplinas liberales primum adolescentibus ingenuis tradi iusserit? quærit: atque eius rei causas in religione Græcorum, ac reipublicæ forma, invenit. Illa enim Deorum imagines requirebat: hæc, ut iis temporibus, quibus tam parvæ erant Græciæ civitates, tanque pauperes, magnorum hominum merita, statuis, monumentis, basibus, & id genus aliis rebus illustrabat; quo ipso quum privatæ utilitatis studium coercebatur, tum magistratus, ut fovendas eas artes susciperent, incitabantur, & ipsæ civitates æmulatione admirabili accendebantur. Quo facto, *quid sit, cur minus hodie floreant?* quamvis Francogalliæ reges ab octoginta inde annis earum artium susceperint patrocinium, disputat, eiusque rei causas in eo reperire sibi videtur, quod proceres fere sunt obæcati, divites avari, rude vulgus arte, artifices plerique lucri quam famæ cupidiore, ideoque æquabilis in omni picturarum genere facultatis iactatores vani. Quibus accedit suæ cuiusvis ætatis invidia, qua vexati, admodum pauci sint, qui posteritatis cogitatione animum leniant: & tironum earum artium perveritas, qui, tantum quod aliquam sui expectationem excitaverunt, viribus propriis confidentes, præclara exempla deserunt, spernque aliorum fallunt. Sed *his malis ita Francogallorum rex obviam ire studet.* Aperuit is Academiam, ut Franco-

* Si *Essai sur la Peinture, la Sculpture, & l'Architecture*, cuius altera editio revisa, correctæ, & aucta 1752 Parisiis prodierit dicitur in Mercurio Franciæ mens. Aug. p. 99. anni 1752, opus est a nostro non diversum, ut suspicamur, dubium non est, quin *Buchanontius* politissimus illius auctor sit.

galli loquuntur, in qua pictores quatuor, duoque sculptores, artem suam excolant, totidemque, munificentia regia sustentatos illius alumnos habeant. Idem quoque vetuit, in porticu pag. 24. aliquid ad intuendum publice proponi, nisi quod arbitri eius rei idonei probassent, adeo, ut, quod picturarum in posterum multitudini decederet, earundem excellentia compensaretur. Quibus expositis, iudicium fert de clarissimis aevi nostri per Francogalliam pictoribus, ut de Bucherio p. 26. Natoirio p. 32. Halleo p. 34. Petro p. 35. Dumontio p. 52. Troyo p. 53. Restutio p. 57. Chardino p. 89. Nattierio p. 97. Tocqueo p. 92. Turio p. 94. Lebello p. 105. Oudrio p. 106. Verneto p. 107. aliisque artificibus, atque eorum operibus; sed ita iudicium fert, ut ubique idoneum se arbitrum probet, ac plurima dicat, & pictoribus, & iis, qui aliquem rerum pulcerrimarum velut gustum habere gestiunt, utilissima. Quorsum apprime pertinet, quod de exprimenda morum forma, quam *Χαρακτῆρα* vulgo dicimus, in argumentis historicis scienter monet, p. 72. item quod de eo disputat, si eadem actio herois cuiusdam hunc & magnum oculis sistat, & vehementiori animi motu concitatum, utrum magnitudo potius, an *πάθος* praeferi a pictore debeat? p. 74. Neque minus illud nobis praecclare dictum esse videtur, quod de momento actionis, apto maxime ad vehementissimam animi commotionem indicandam, affert; illud nempe captandum esse docens, quo res, non tamquam iam facta, sed velut talis oculis subiiciatur, quae in eo sit ut iam existat; propterea, quod gravius animos percellat unius cuiusque actionis timor, quam ipsum illud malum, quod effici ea debeat, p. 81. 82. Ita etiam utilissima sunt pictoribus, quae idem de picturis, eminus adspiciendis, p. 98. sequi in medium affert. Sed veniendum nunc est ad reliqua, & a pictoribus transeundum ad *sculptores*, quorum principes aetatis nostrae apud Francogallos, & nominantur, & iudicium de operibus illorum, scitum sane, fertur. Eminent ex iis Adamus iunior, Coustou, Pigallius, & Buchardonius, p. 121. A quibus auctor ad *architecturam* progreditur, p. 132. de qua multa non inutiliter monet, ea ma-

xime, quæ ad ornamenta aularum principum & urbium spectare videantur, p. 136. ad quæ varia deinde ædificia Parisiensia exigit, & quid recte in iis, quid prave factum sit, ostendit: horrendum autem dictu esse pronuntiat, si a regis discedas palatii, vix ædificiorum quicquam in Gallia reperiri, quod in sui admirationem contemplantes rapiat, p. 161. cuius rei causas investigat, & cur aliter fiat in Italia, quærit, ductis rationibus ex ipsa utriusque gentis indole. Extremo denique libello, quum tam excellentia Francogallia tulerit in scenica poesi ingenia, tamen carceri cuidam, quam theatro similiorem esse locum, ubi fabulæ illorum agantur, non sine moriunculis quibusdam conqueritur, p. 169. Quamobrem, qua ratione amphitheatrum sit exstruendum, in quo musica etiam dramata, *operas* dicunt vulgo, decantari possint ita, ut loci etiam natura & ornamenta ingentem hominum multitudinem alliciant, docet. Sed hæc iis legenda relinquimus, quibus vitia urbis Parisiorum, ac theatri, quod in ea est, cognoscere, quaque ratione emendari possint illa, volupe est intelligere.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iunii Anno MDCCCLV.

Pars I.

TRAITE PHYSIQUE ET HISTORIQUE DE L'AU-
rore Boréale, &c.

h. e.

COMMENTATIO PHYSICA ET HISTORICA
*de Luce boreali. Auctore D. de MAIRAN &c. Edi-
tio altera, recognita, & multis
scholiis aucta.*

Lutetiz, e Typographia regis, 1754. 4. mai.

Alph. 3. plag. 6½ Tab. zn. 17.

Cum egregium hoc Opus, quod primum Anno 1733. Lu-
tetiz Parisiorum, una cum Commentariis Academiæ
Scientiarum regiz ad A. 1731. prodiit, omnibus Physi-
cæ studiosis satis iam sit cognitum: non expectabunt
a nobis lectores nisi hoc, ut, quid hac eius nova editione
prælitum sit, indicemus. Ipse quidem Auctor celeberrimus,
in brevissima præfatione, certiores nos fecit, se cuncta, quæ
de argumento huius Operis, post primam eius editionem, vel
comperisset, vel meditatus esset, in scholia, sub finem Operis
posita, contulisse, ipsi vero commentationi pauca, eaque tantum
non semper in notis, textui subiectis, addidisse. Intelleximus
tamen, hæc huius Operis editionem ad priorem comparando,
magna illud cum cura ab Auctore fuisse recensitum, & in
ipso contextu, passim, tum accessiones, tum emendationes haud
levi-

o o

levidensesprehendimus, veluti in Sect. II. Cap. 1. & Cap. 3. (ubi lucem borealem, a *Gaffendo* Peynierii in Provincia observatam, etiam Aleppi in Syria visam esse, ex libro *Bullialdi* manuscripto confirmatur); item Cap. 6. passim, ubi de longis crepusculis in regionibus septentrionalibus aliquot additamenta reperimus; porro in Sect. III. Cap. 5. ubi locus de columnis lucis boreæ verticalibus insertus est, & Cap. 10. sub initium, nec non in Sect. IV. Cap. 9. denique in Sect. V. ubi Quæstione 19, quæ nova est, breviter disquiritur, num etiam planetis inferioribus contingat lucis borealis phænomenon. Quæstiones autem 22. & 23. prioris editionis hic omissæ sunt, & Quæstionem 25. quæ etiam passa est linam, excipit nova Quæstio, cur planetæ inferiores careant coma, qua cometæ fulgent?

His præmonitis, convertimus nos ad Scholia, quibus *Cel.* Auctor hoc Opus auxit, & quæ plus quam tertiam partem huius Voluminis occupant. In primo Scholio breviter enarrantur huius libri fata. Cum Vir *Cel.* non ignoraret *E. Halletium*, ac *C. Kirchium*, a sua sententia esse alieniores, eos, cum primum hunc librum in lucem emisisset, sollicitabat, ut quæ in eo reprehendenda viderentur sibi indicarent: sed frustra. Anno autem 1738. inopinato nactus est adversarium, *Serantonium*, ex Augustinorum familia, & Professorem publicum Luccensem, qui de lumine boreali dialogum composuit. Contra, eodem anno, *Cel. Mairanii* sententiam ornandam suscepit *Rev. Bosovicus*, Iesuita, & Romæ Professor mathematicum publicus, in Disputatione de Lumine boreali. Et cum anno 1747. Romæ prodiret *Noceti* poema Latinum, de Luce borea, quo *Mairanii* systema explicatur, idem ille Vir doctus, quippe qui curam edendi huius poematis susceperat, in Annotationibus poemati subiunctis, ea fere omnia, quæ *Serantonius* reprehenderat, defendere & confirmare studuit; quin paulo post, in singulari libro, *Dialogi sub Aurora boreale*, totum hoc systema ad captum eorum, qui in Physica, Mathesi, & Astronomia non multum sunt versati, explicavit, ea quidem, iudice *Mairanio*, arte & perspicuitate, ut plerumque sola factorum narratione, dubitationes cunctas vel anteverteret, vel tolle-

tolleret. Circa idem tempus, quo *Serantonius* contra *Mairanium* scripsit, alius Italus, *Eusebius Sguarius*, Philosophus ac Medicinæ Doctor, Venetiis degens, Distribens edidit de Lumine boreali, quam *Mairanius* pro suo propemodum libro, ad aliam formam reconcinato, habet. In Germania idem fere, quod in Italia, huic systemati accidit. Nam laudavit illud & amplexus est *G. W. Kraftius*, in duabus disputationibus Tubingæ annis 1746. 1747. habitis; atque eodem tempore illud reiecit, aliudque in eius locum surrogare voluit, celeberrimi nominis Geometra, *L. Eulerus*, in Commentariorum Academicæ Scientiarum Berolinensis Tomo II. ubi in causam comæ Cometarum, lucis borealis, & luminis zodiacalis, inquisivit. Cum *Cel. Mairani* ea, quæ tanti nominis adversarius contra systema suum monuerat, digna viderentur, quæ accuratissimo examini subiiceret: hac opera perfunctus est coram Academia Scientiarum Lutetiensi, in diversis commentariis anno 1747. prælectis. Editi illi quidem sunt nuperrime cum reliquis commentariis, in illa Academia eo anno lectis: sed & eosdem huic operi, tanquam convenientissimo fundo, inferere voluit *Cel. Auctor*; occupant hic locum octo proxime sequentium Scholiorum.

In II. *Scholio* exponitur, quid inter systema Auctoris, & hypothesin *Cel. Euleri*, intersit. Ad explicandum crinem cometarum, lumen zodiacale, & lumen boreale, adhibet *Eulerus* atmosphas cometarum, solis, & terræ, atque impulsione, quam radios solis in particulas istarum atmosphas exercere sumit: *Mairanius* vero solam atmosphas solis, nisi quod ad cometarum formandas comas, radiorum solis impulsione admittat. Lumen zodiacale uterque habet pro ipsa atmosphas solis: sed *Mairanius* eam superficiem solis continuam putat, eiusque figuram & dimensiones, ex observationibus luminis zodiacalis, atque ex solis circa axem proprium rotatione, determinat. *Eulerus* contra, atmosphas solaris figuram, partim e motu solis circa proprium axem, partim ex actione radiorum solis in particulas atmosphas solaris, derivat, & fieri posse autumat, ut solis atmosphas, neque super-

ficiet solis sit continua, neque illum undiquaque circumfundat, sed eum sic cingat, quemadmodum Saturnum annulus. Lucem borealem Auctor statuit esse copiam particularum atmosphaeræ solaris, ex ea per vim telluris, tunc, cum tellus prope atmosphaeram solis, vel potius per eam transeat, avulsarum, & in summa atmosphaeræ telluris regione collectarum: at iuxta *Eulerum*, lumen boreale non est nisi copia subtilissimarum particularum aeris nostri, per radios solis, ex atmosphaera terræ, in regionem, ab hac atmosphaera longo intervallo seiunctam, expulsarum.

In *III. Scholio* de extensione atmosphaeræ solis agitur. Extensionem huius atmosphaeræ, figuram lenticularem habentis, vocat *Cel. Mairanius* altitudinem eiusdem iuxta planum æquatoris solaris. Ex observationibus *Cassinianis*, methodo eadem, qua definitur solet planetarum inferiorum a sole distantia, collegerat, atmosphaeræ solaris extensionem nonnunquam æquare, imo aliquot gradibus superare, intervallum inter solem & terram. Porro hic conicit *V. C.* ex pluribus rationibus, sæpius ad orbitam usque terræ extendi solis atmosphaeram, etiamsi extremitas eiusdem, seu luminis zodiacalis apex, orbitam telluris tunc non attingere videatur. Plura autem nobis de atmosphaeræ solaris figura atque extensione constare posse dubitat; neque analysin & calculos, quibus *Cel. Eulerus* illam figuram atque extensionem investigare voluit, nos quidquam in harum rerum cognitione iuvare posse iudicat; cum inter huius analyseos elementa sint quædam, scilicet gravitas particularum atmosphaeræ solaris, & vis, qua radii solis illas impellant, quæ tam incognita nobis sint, quam ipsum quæsitum.

In *IV. & V. Scholio* doctè ac copiose disputat contra *Cel. Euleri* de figura atmosphaeræ solis annulari coniecturam. Demonstrat primo, observationibus istam opinionem non solum non confirmari, sed potius refelli posse; tum per leges gravitatis ac virium centrifugarum, quantacunque ponatur vis impulsiois radiorum solarium, nullo modo existere posse annularem atmosphaeram; tandem neque illam ipsam lineam curvam,

vam, cuius circa axem suum rotatione atmosphæra solis gigni *Eulero* videtur, figuram annularem ullo in casu exhibere. Non possumus hic silentio præterire, quod Auctor refert, ipsum *Cel. Eulerum* a *Cel. Clairaulto* per litteras monitum, statim ea, quæ magnos viros decet, ingenuitate, fassum esse suum in determinanda figura atmosphære solis annulari errorem. Et hac confessione profitetur Auctor, se facile adduci potuisse, ut hæc duo Scholia omnino supprimeret, nisi magis rem ipsam dilucidandi, quam celeberrimum adversarium refutandi, consilio scripisset.

In VI. *Scholio* præcipue *Cel. Euleri* obiectioni occurritur, inde petitur, quod nonnulli cometæ, atmosphære solis nondum immerfi, tamen iam crinem habere visi sint. Quum enim pro concessio habeat, crinis cometarum & lucis borealis eandem esse originem, negat idcirco, verisimile esse, ut illa lux ex atmosphæra solis, seu lumine zodiacali, originem ducat. Auctor concedit quidem, se semper in ea fuisse sententia, cometarum, & lumen boreale, eiusdem originis esse, quatenus utriusque materia eadem sit, atque eodem ex fonte, atmosphæra nimirum solis, hausta: sed negat, in systemate suo, eam esse explicationis lucis borealis cum explicatione crinis cometarum conjunctionem, quæ in systemate *Euleri*, ut, si hanc falsam esse contingat, illa etiam deferenda sit. Quæ responsio si cui minus idonea videatur, is sciat, in sequentibus Auctorem plura afferre, quæ ad obiectionem eam diluendam faciant.

Posthæc *Cel. Auctor* ipsam *Euleri* explicationem lucis borealis sub examen vocare incipit; & in VII. quidem *Scholio* disquirat, utrum causa illi luci a *Cel. Eulero* assignata, & cetera, quæ ad hanc lucem explicandam ab eo simul sumuntur, conveniant cum principiis Physicæ, atque observationibus. Hypothesin *Euleri* ad tres propositiones revocari posse ait, 1) materiam lucis borealis non esse nisi particulas subtiles atmosphære terrestris; 2) materiam illam hære in regione, a terra aliquoties forsan mille milljaria distante, & proinde ab atmosphære terrestris, vix uno milliari Germanico altioris, extremitate, permultum remota; 3) eandem materiam in hanc ma-

xime distitam regionem, continua radiorum solis impulsione ferri. Circa quarum propositionum primam, monet Cel. *Mairanius*, exhalationes terrestres, ad tantam altitudinem elevatas, rem esse sine exemplo; neque intelligi posse, quomodo particulæ aeris ibi hæere possint adeo densæ, ut lumen, quod a nobis sensu queat percipi, ad nos reflectant, cum crepuscula ultra viginti, aut ad summum triginta leucarum altitudinem, videri cessent. Ad secundam propositionem quod attinet, miratur Auctor, quibus rationibus Cel. *Eulerus* de atmospheræ terrestris altitudine opinionem sibi persuaserit, quam vel solæ observationes barometricæ, & dimensiones, in altissimis montibus Teneriffæ ac Peruviz, a *Fuillco & Bouguero* institutz, manifesti erroris arguant; nec non quibus observationibus nixus, materiæ luminis borealis tam immanem a terra distantiam assignet, cum ex parallaxibus luminum borealium observatis, vix trecentarum leucarum altitudo colligi possit, & vel ex hoc ipso, quod lumen boreale motu communi ab ortu in occasum careat, satis intelligatur, illud in terræ nostræ atmospheræ hæere. Tertiam propositionem concedi non posse docet hac præsertim ratione, quia, si vera esset, lumen boreale nunquam nisi exadversus solem cerneretur, & semper hæreret in zona torrida, contra experientiz fidem. Plura autem contra assumptam radiorum solarium impulsione, infra disputat, de quibus paulo post dicendi nobis fiet occasio.

Scholion VIII. accuratiorem disputationem, de origine crinis cometarum, continet. Sententiam, quæ originem crinis cometarum radiorum solis impulsioni attribuit, & quam *Keplerus*, iam superioris seculi initio, in libris de cometis proposuit, suam fecit Cel. Auctor, eamque *Newtoni* sententiæ antetulit, non aliam ob causam, quam quod illa faciliorem & brevioris explanationem habere videbatur. Proprium autem in hac theoria sibi, ait, esse hoc, quod materiam comæ ex atmospheræ solis hausitam esse statuat; neque ut nunc contrarium credat, idoneis rationibus adduci. Quod enim Cel. *Eulerus* opponit, plures cometas iam crine instructos ante esse visos, quam atmospheræ solis immergi fuerint, id primo non satis

vere dici ostendit. Scilicet, inter triginta sex cometas, quorum perielii distantias suas a sole *Halleius* & *Callius* assignarunt, & qui ab initio seculi post Christum natum decimi quarti usque ad nostram ætatem apparuerunt, non sunt nisi quinque, quorum perelia longius a sole distant, quam orbis annuus; & horum tres sine coma visi sunt, duorum reliquorum alter quidem ab *Hevelio*, anno superioris seculi quarto & sexagesimo, observatus, coma 14 gradus longa fuit, alter autem anno 1746 visus, vix conspicuum crinem habuit. Existimat ergo Auctor, multitudinem istam cometarum, sibi ab *Eulero* oppositam, re satis expensa, tandem ad unum illum cometam anni 1664. reduci; cuius distantia perelia cum semidiametrum orbis magni non nisi trigesima nona circiter parte excefferit, haud quidquam obstare, quo minus etiam hic cometa in atmosphæram solis descendisse dicatur, quippe quæ interdum ad tantam, imo maiorem distantiam extensa, oculis conspiciatur. Secundo monet, salva sua hypothese fieri posse, ut aliquis cometa, antequam perielium suum attingat, iam crinitus appareat; cum non solum verisimile sit, ut idem secum afferat materiam, ex atmosphæra solis in pristino per eum transitu haustam, quæ in permagna cometæ a sole distantia, atmosphæram ipsius propriam in modum spheræ cavæ circumdederit, simul autem atque cometa ad solem rediens, certam a perelio suo distantiam nactus sit; radorum solis impulsione iterum expandi in comam incipiat; sed etiam a ratione & motuum cælestium analogia haud alienum sit, cometæ perielium, quod nunc a sole valde remotum est, olim soli fuisse satis vicinum. Quibus sui defendendi causa expositis, doctissimus Auctor contra adversarii sui systema urget, partim incrementum comæ cometarum maius, quam pro ratione incrementi vis, quam radii solis habent, quadrato distantia a sole reciproce proportionalem; partim extensionem nebulosæ atmosphære cometæ, in vicinia solis, quæ ob ingentem materiæ, in comæ formationem impensæ, copiam, magis imminui, in accessu cometæ ad solem, quam applicari & augeri debere videatur; tum comæ ipsius maiorem, post transitum

tum cometæ per pericelium suum, quam ante illum in æquali a pericelio distantia, extensionem, utut, iuxta *Euleri* hypothesin, omnia, quæ ad hanc extensionem aliquid conferre possunt, utrovis tempore paria sint.

Progreditur denique V. C. in IX. *Scholio* ad diiudicationem efficaciz, quam in *Systemate Cel. Euleri*, radii solis, ad propellendas particulas subules atmosphæræ, habere ponuntur. Constat, de lucis propagatione duplicem eruditos sententiam fovere, cum alii quidem lucem a sole ad nos per emanationem & motum progressivum particularum lucis statuunt pervenire, alii vero lumen per ætherem, æque ac sonum per aerem, motu vibratorio propagari existimant. Iam vis radiorum propellens, admitta quidem priori sententia, ob magnam, qua sol eos iaculatur, velocitatem, haud dubia esse potest: sed cum altera sententia, quam *Cel. Eulerum* amplexum esse, atque egregie ornasse constat, vis illa propellens radiorum haud bene convenire videtur. Quod etsi *Eulerus* ipse haud diffitetur, tamen existimat, vim illam a se recte & consentiente experientia assumi; cum primo eam vim radiis revera inesse experimenta speculorum causticorum doceant, in quorum focus, exigua corpuscula, magna violentia commoveantur, & dispellantur, & secundo, a motu vibratorio ætheris effici posse motum progressivum minorum corpusculorum, etiam experientia monstrante cognoscitur, ex eo nimirum, quod, vehementiori sono excitato, non solum aerem in motum vibratorium cieri, sed & levissimos pulvisculos, in aere volitantes, simul propelli videamus. At enim vero, utrumque negat *Cel. Mairanius*. Quod enim ad experimenta speculorum causticorum attinet, sic statuit, neque *Homburgi* experimentum, in *Commentariis Acad. Scient. Paris. A. 1708.* descriptum, neque experimenta, a se ipso sæpius & diversis modis, (quos hic recenset,) capta, aliud quidquam demonstrasse, nisi hoc, corpuscula facile mobilia, in foco leutis causticæ, inordinatis motibus huc illuc iactari, adeo ut prorsus incertus maneat, sintne illi motus impulsioni radiorum, tanquam causæ, tribuendi, an potius soli expansioni subitanæ aeris in foco
cale.

calefacti. Deinde quod pulvisculi in aere volitantes, sono vehementiori excitato, agitentur; item quod orbis fenestrarum vitrei, vel ipsi parietes, concutiuntur tremantque, eius rei causam, ait *Mairanius*, a nemine unquam in vera, qualem *Eulerus* ponere debet, translatione aeris, corpus sonorum ambientis, in locum remotum, esse quæsitam. Nam manifesto eam causam deprehendi in amplitudine vibrationum aeris, & in eo, quod aer se permultum comprimî patiatur; hinc ex istis soni effectis profus non sequi, ut vibrationibus ætheris continuatis, subtilissima corpuscula in eo natantia possint recta in longinquum propelli. His vero, aliisque argumentis, quæ hic silentio præterire brevitatis gratia iuvat, ubi Auctor commonstravit, impulsionem radiorum experientie auctoritate neutiquam constare: addit, adversarii sui hypothesein, etsi ista radiorum impellens vis concedatur, tamen nihilo inde certiore vel probabiliorem fieri. Scilicet restare adhuc, ut determinetur ista impulsio & celeritas motus, in particulis vel ipsius ætheris, vel ætheri innatantibus, ea impulsione geniti, utque illa celeritas circiter tanta demonstretur, quantam sibi postulant phænomena per radiorum impulsionem explicanda, veluti, quod particulæ atmosphære alicuius cometæ, quæ vibrationibus ætheris se promoveri patiantur, trium quatuorve dierum spatio per ter quaterve millena millia leucarum ferantur. Atqui hoc fieri ostendique nondum posse, cum densitas elasticitasque ætheris, amplitudo ac duratio vibrationum ætheris, pondus particularum, quæ impulsioni radiorum cedere debent, multaqua alia, ad hanc quæstionem requisita, a nemine adhuc ullo modo reperiri determinarique possint.

Missis nunc *Cel. Euleri*, Auctor se ad alios quosdam locos libri sui enodandos & illustrandos convertit, in sequentibus scholiis, quæ singula etiam academice scientiarum Parisiensis prælegit.

Decimi Scholii argumentum est falso credita luminis septentrionalis perpetuitas, præsertim in regionibus borealibus. His, quæ huius opinionis refellendæ causa, iam sub finem se-

tionis II. huius libri Cel. Auctor attulerat, duo gravissima testimonia addit, alterum *Andreae Celsii*, alterum *Ioannis Andersonii*. Ille in proœmio *observationum de lumine boreali*, Norimbergæ 1733. editarum, narrat, lumina borealia maiora, quæ ibi descripsit, ipsa in Suecia pro insolitis habita esse, & hominum septuagenariorum, fide dignorum, Upsaliæ degentium, memoria, nunquam tanta esse visa; qua re inductus statuit, eorum apparitiones periodicas esse. Idem, cum Torneæ, fere sub ipso arctico circulo, luces boreales a Kalendis Octobris A. 1736, usque ad finem Aprilis anni sequentis data opera observaret, haud amplius quam 46 eiusmodi lumina vidit, quod in *Actis litterariis & scientiarum Sueciæ* ad A. 1737 litteris prodidit. *Andersonius* autem, in *historia naturali Islandiæ*, relatum sibi refert, incolas insulæ frequentiores nuperis annis lucis boreæ apparitiones miratos esse. Ceterum, in nostris quoque climatis hoc phænomenon posteriori parte superioris seculi, aut omnino non contigisse, aut certe tam imperfectum & tam parum notabile fuisse, ut diligentissimos cœli observatores fugeret, argumento est, partim silentium Academiæ scientiarum Londinensis & Parisiensis, partim admirationis, quacum *Halleus*, *Fontenellius*, *Kirchius*, huius phænomeni, tum, cum nova hæc illius periodus incepit, mentionem fecerunt.

In *Scholio* XI. tres arcus describuntur, iridi similes, quos *Cel. Mairanius* anno 1750 tanquam comites luminis borealis observavit. Primum vidit die 27. Februarii, paullo minus latum iride ordinaria, coloris in utroque margine rosei & subviridis, admodum diluti, in medio inter margines albidum, inter punctum verticale & polum sic positum, ut segmento obscuro, limboque lucido, luminis septentrionalis, quod eodem tempore conspiciebatur, fere parallelus esset, & declinationem apparentem a zenith haberet circiter 18. graduum. Evanuit hic arcus post horæ quadrantem, per quod tempus nullam mutationem pati visus est. Alterum huiusmodi arcum vidit Auctor die 24 Augusti. Fuit ille tam bene terminatus, & tam claris coloribus adeo ordinatim pictus, ut iridem ordinariam pulcritudine
lon-

longe superaret; latitudinem ubique habuit uniformem, æque ac prior, duorum circiter graduum; sed a puncto cœli verticali versus austrum declinavit duobus aut tribus gradibus, & margo eius superior flavo, inferior puniceo colore splenduit, qui colores gradatim versus medium dilutiores facti, in lucem albidam abierunt; disparuit post octavam horæ partem, luce boreali remanente. Tertium arcum, Auctor, nocte inter 26 & 27 Augusti, in eadem fere cœli regione cum altero, observavit, nisi quod uno gradu, vel duobus, magis versus meridiem declinavit; latior illo fuit, sed minus præcisus, minusque splendidus, & non, nisi per decimam horæ partem, conspicuus. Lumina borealia, quæ tres illi arcus comitati sunt, singula ex eorum fuere genere, quæ Auctor tranquilla appellat, & eorum materia prorsus eadem cum materia arcuum visa est. Primus arcus etiam Hagæ Comitum observatus fuit a Petro Gabryo I. V. D. quam observationem cum sua comparando, Auctor, per methodum suam parallaxium, invenit altitudinem huius meteori circiter 168 leucarum, quarum 25. unum circuli maximi terrestris gradum absolvunt. Cum illis arcibus satis similis fuerit Zona, in cœlo una cum luce septentrionali anno 1730. d. 15. Febr. Genevæ observata a Gabriele Cramero, cuius mentionem Auctor cap. 3. sect. 2. iam fecerat: eandem, hac occasione, Auctor, ex epistola Crameri accuratius describit. Deinde ostendit, arcus illos a se observatos, non fuisse irides lunares, quæ tam raro apparent, ut Auctor valde proclivis sit ad credendum, aliquos eorum arcuum, qui pro iridibus lunaribus habiti sunt, præcipue is, qui in Phil. Trans. N. 331. commemoratur, eandem omnino cum iis, quos ipse observavit, originem habuisse. Magna autem cum veri specie docet, arcus illos constitisse ex materia atmosphæræ solaris, in atmosphæram telluris abrepta, & terræ vertigine in Zonam multo ante, quam apparuerunt, atque in regione aeris longe sublimiore compacta, ex qua regione cum deinceps delapsa sit ista materia, ex ipsius cum aere commixtione ortum in ea esse incendium, (sicuti phosphori quidam aeri expositi inflammantur,) & tunc sub arcus figura conspicuam factam esse.

Duodecimum Scholion inscriptum est: *Sur l'Anticrepuscule*, qua voce Cel. Auctor aptissime sua lingua compellat meteoron, ordinarium quidem, & tantum non quotidianum, sed cuius tamen in scriptis Astronomorum & Physicorum, quod mireris, vix ullibi mentio iniicitur. Unum Cel. *Mairanius* novit Auctorem, qui expresse eius mentionem fecit, *Ioannem Casparem Funccium*, in libro *de coloribus cæli*, Ulmæ 1716. edito; & ex *Gabriellæ Crameri* litteris intellexit, huic etiam doctissimo viro, (cuius præmaturæ obitum, pro eo ac par est, vehementer dolet.) meteoron illud diligenter observatum fuisse. Conspiciendum se illud præbet in cælo sereno, paulo ante ortum solis, vel paulo post eius occasum, proxime horizontem, in plaga cæli soli opposita, in figura segmenti spheræ obscuræ cærulei, cui superne incumbit limbus luminosus, in inferiori parte albidus, in media flavus, in summa roseus, aut nonnunquam puniceus. Vespere, cum sol iam aliquanto profundius sub horizontem descendit, limbus ille luminosus a segmento obscuro, cuius tunc color in cinereum abit, recedit, sese continue altius tollendo, donec punctum cæli verticale attingat, & paulatim pallidior factus, tandem cerni desinit; nonnunquam, aere nempe puro existente, adhuc cerni potest, cum iam punctum verticale cæli tetigit. Huius meteoræ crepusculo oppositi, Cel. *Mairanius* hoc loco mentionem prætermittere noluit, duas ob causas: primo, ut errorem præcaveret, per quem hoc phænomenon pro lumine boreali haberi posset, cum non sit nisi lumen solis, per reflexionem & refractionem, in diversis aeris regionibus contingentem, ad oculos spectatoris repercussum; dein, ut huius phænomeni explicatione, simul novum pondus adderet iis, quæ in ipso Opere contra eorum opinionem dixerat, qui lucem borealem ex reflexione radiorum solis ab aere superiori, & a nive glacieque montium circa polum telluris, existere autumant.

Quod sequitur *Scholion XIII.* pertinet ad illustrationem Cap. III. Sect. II. & Cap. IV. Sect. III. huius Commentationis. Initio Auctor comparat methodum suam per parallaxes determinandi altitudinem materię lucis borealis, cum methodo

F. C. Mayeri, tradita in Tomo I. & IV. Comment. Acad. Scient. Petropolitanae, atque utriusque methodi commoda & incommoda expendit. *Mayeri* methodus, latitudine loci observationis, & tam altitudine quam amplitudine apparente arcus borealis super horizonte, datis, definiendi veram altitudinem materiae lucidae, elegantissima est, quod non nisi unum observatorem, unamque stationem, requirit. Sed hoc simul habet incommodi, ut rarissime occurrant observationes, ad quas applicari possit; quoniam non solum supponit, arcum luminosum esse circulare, eiusque centrum in axe telluris producto positum esse, id quod & raro contingit, & num revera contingat tunc, quando contingere observatori videtur, vix sine pluribus observationibus, eodem tempore aliis in locis habitis, sciri certo potest. Sed etiam exactam amplitudinis arcus borealis determinationem requirit, quae saepe admodum difficilis est, & haud raro haberi prorsus nequit. Inter omnes sane lucis borealis observationes, sibi cognitae, *Cel. Mairanius* duas tantum deprehendit, ad quas *Mayeri* methodus tuto applicari posse videatur, nempe lucis boreae anno 1621. die 12. Septembris a *Gassendo* observatae, & luminis borealis 3. Februarii anno 1750. vili; ex quarum observationum priore, per illam methodum, eo, quem *G. W. Krafftius* in Tomo IX. Comm. Petropolit. docuit, computo, altitudinem verticis arcus lucidi invenit leucarum circiter 160, ex posteriore 169. leucarum. Methodi autem parallaxium commoda maiora, & incommoda minora, indicat Auctor. Incommodum quidem accidit huic methodo, ut duo observatores in diversis locis requirantur, qui eodem circiter tempore, altitudinem apparentem eiusdem puncti in phaenomeno metiantur; haec tamen conditio longo minus rara est inventu, omnibus conditionibus methodi *Mayeriana* simul sumtis. Cum vertex limbi, seu arcus lucidi in lumine boreali, tantum non semper sit punctum phaenomeni maxime distinctum & observabile, facile plerumque altitudo eius apparens, vel instrumenti ope, vel

per positionem eius inter stellas fixas notas & maxime conspicuas, definiri poterit. Et quanquam eccentricitas arcus, quam declinatio phaenomeni a plaga septentrionis indicat, etiam tunc, cum ambo observatores in eodem meridiano consistunt, maxime autem cum in locis longitudine differentibus habitant, errores notabiles parere potest, quatenus vertex arcus ab utroque visus, neque idem est punctum, neque eandem a polo distantiam habet: tamen errores illi multo minores sunt iis, quibus *Mayeri* methodus in eodem casu obnoxia est, & in nonnullis casibus plane evanescunt, in quibus *Mayeriana* methodus eos tollere vel imminuere nescit; id quod Auctor, per singulos casus eundo, docet. Quibus copiose disputatis, V. C. altitudinem arcus lucidi in phaenomeno, d. 19 Octobris anni 1726. viso, quam in Sect. II. Cap. III. ex observationibus Lutetiae Parisiorum ac Romae factis, 266. leucis aequalem invenerat, corrigit hic ex observatione eiusdem meteorii propria, & ex Hafniensi, secum post primam huius libri editionem communicata, eamque altitudinem ad 187. leucas reducit. Deinde methodum suam, in loco huius libri modo nominato expositam, ad undecim paria observationum diversorum luminum borealium, quae intra annos huius seculi trigesimum primum & quinquagesimum primum apparuerunt, accommodat. Denique ex 23. altitudinibus verticis limbi lucidi, partim sua, partim *Mayeriana* methodo definitis, mediam sumendo, concludit, ordinariam altissimi in illo limbo puncti distantiam veram a superficie telluris esse 173. leucarum, qualium 25. in unum gradum circuli maximi terrae sphaericae computantur.

Scholion XIV. continet additamenta ad Sect. V. quae XI. quae est de causis, cur nihil adhuc de lumine australi memoriae sit proditum. Quum in nostro hemisphaerio, locis, quorum latitudo 40. gradus haud excedit, aut nihil, aut parum luminis borealis conspicuum fiat; ideoque in altero hemisphaerio rem etiam sic se habere, respectu luminis australis, non sit dubium: facile intelligitur, cur ex illa terrae parte, quae a promontorio bonae spei versus orientem solem, & versus austrum extenditur, nullas de lumine quodam australi relationis.

lationes habeamus, quippe in qua terræ parte adhuc minus frequenter navigatum est. Quod ad partem telluris, inde ab eodem termino versus occidentem solem & austrum porrectam, attinet, sunt ibi quidem magnæ continentis regiones, & maria vasta, frequenter navigata; sed partim ob defectum Observatorum, aliqua huius phænomeni notitia iam instrutorum, partim ob ipsius phænomeni raritatem, maxime vero ob cælum istarum regionum, quæ hodie maxime frequentantur, iis anni temporibus, quæ lumini boreali observando idonea sunt, fere semper nebulosum & caliginosum: haud mirum est, nihil quidquam de lumine australi notitiæ ex illis terræ marisque tractibus ad nos pervenisse. Et hanc postremo loco adductam causam veram esse, neque nunquam, in his regionibus australibus, lumen circa polum antarcticum visum esse, satis confirmat relatio *Antonii Ulloæ*, clarissimi nominis Navarchæ Hispani, in litteris ad Auctorem datis, quæ hic insertæ sunt, exhibita.

In sequenti *Scholio* Cel. *Mairanius* cum lectoribus communicat Rev. *Jacqueti* relationem, de phænomeno in luna viso, Romæ d. 11. Aprilis anni 1742. Scilicet observatoribus, occultationi stellæ ϵ in Geminis per lunam intentis, visus est \bullet luna exire radius albidus, dimidiam fere diametrum lunæ latus, & duas circiter diametros longus, limbum boreum lunæ arcus contingens, ibique valde splendidus, splendore versus oppositam extremitatem decrefcente; hicce radius, lunam usque ad occasum eius comitatus est. Cuius phænomeni mentionem faciendi Auctor inde arripit occasionem, quod illud pro lumine boreali in luna haberi posset. Ipse vero, cum Rev. *Boscovico* assentiatur, qui nuper in libro, *de luna atmosphæra*, docere annisus est, lunæ atmosphæram, si qua sit, dissimilem prorsus esse aeri nostro, & constare e liquido, quale est aqua, sed multo rariori & pellucidiori, negat, phænomenon lucis borealis proprie sic dictæ in luna locum habere posse, ideoque coniicit, radium illum fortassis non fuisse nisi longum vastumque tractum materiæ zodiacalis, in lunam decidentis, a sole illuminatum, vel per se lucidum.

In *Scholio XVI.* Auctor ex legibus projectionis rationem reddit, quare in schemate 13. & 18. columnas luminosas & radios lucis boreæ divergentes repræsentaverit, quos alii Auctores solent horizonti perpendiculares exhibere.

In *XVII. Scholio V. C.* iudicium fert de eorum opinione, qui cum *Franklino* electricitatem pro causa luminis borealis habent; & hanc hypothesein, pronuntiat, omni fundamento esse destitutam, cum nemo adhuc ostenderit, materiam electricam, in distantia ducentarum leucarum a superficie terræ reperiri, cum nulla adhuc probabilis causa allata sit, cur illa materia, in tonitru & aliis meteoris igneis præsens, & se quotannis manifestans, in illa maiori altitudine, per 50. vel 60. annos nullum præsentia suæ signum edat, & cur circa polos terræ colligatur hæc materia, quæ, a tellure oriunda, potius versus æquatorem, ob rotationem telluris, resuere debebat; cum denique nulla prorsus appareat cognatio electricitatis cum motu annuo telluris, per quam intelligi posset maior luminum borealium frequentia, tellure circa perihelium suum versante, neque minima deprehendatur similitudo inter effectus electricitatis, & pleraque lucis borealis phænomena, qualia sunt segimentum obscurum, flocci albidus, qui se undique ab horizonte versus zenith attollere videntur, corona verticalis, alia.

Eadem fere contra *Halleii* hypothesein dicenda sunt, quæ tamen *Franklini* hypothesei hoc est aliquanto probabilior, quod, *Celfo* & *Hiortero* indicantibus, aliqua inter lumen boreale & acus magneticæ variationes cognatio intercedit. Quæ res cum nuper luculentissimo *Cl. Wargentinii* testimonio, quod in *XLVII. Volumine Transactionum Philosophicarum* legitur, sit confirmata, permotus ea est *Cel. Matrausius*, ut, num quid inde contra suum systema colligi possit, expendere. Recensuit itaque in *Scholio XVIII.* memorabiles *Cl. Wargentinii* observationes vacillationis acus magneticæ inter aliquot luminum borealium anni 1750. apparitiones, eisque suas animadversiones subiunxit, quibus conficere studuit, observationes illas, neque evincere *Halleii*, de causa lucis boreæ, sententiam, neque suo systemati adversari, quippe ex quo potius eorum per-

perturbationum acus magneticæ haud obscura ratio existat, cum perspicuum sit, necesse esse, ut materiæ zodiacalis in atmosphæra terrestri lapsu atque agitatione vario afficiatur & commoveatur sphaera illa fluidi magnetici, a cuius intestino motu, directio & vacillatio acus nauticæ pendent.

In XIX. *Scholio* Auctor tres collegit relationes de apparitione luminis zodiacalis, quibus valide confirmatur, quam in Cap. VIII. Sect. IV. ostendere iam erat annisus, coniunctio lucis boreæ cum lumine zodiacali.

Proximum *Scholion*, ex aspectu lucis boreæ, pro climatum differentia, diverso, atque ex maiori minorive frequentia huius phænomeni in diversis regionibus, explicat diversitatem descriptionum huius lucis, quas diversarum nationum historici, tum antiquiorum, tum proxime superiorum seculorum, literis consignatas tradiderunt. Omnium maxime inter arcticum circulum, & extremitatem Europæ australem degentium nationum scriptores, miras, & phantasie monstrosas deformatas dedere luminis borealis descriptiones, quia, tum infrequentia, tum magnitudo spectaculi, animum vulgi, prodigiorum & præfagiorum curiosi, facile terrore implere poterat, ut radios lucis boreæ ad zenith convergentes, coronam verticalem, floccos albos vel versicolores, & maculas rubicundas hinc inde dispersas & agatas, pro armis caelestibus, & pro copiarum caelestium cruentis præliis, similes terris calamitates portendentibus, haberet. Contra ab incolis regionum prope arcticum circulum sitarum, nullas tam tristes terribilesque lucis boreæ descriptiones traditas Cel. Auctor reperit, quoniam, etsi initio periodi cuiusque apparitionum huius lucis, novitas spectaculi homines attonitos reddere potuit, eosque proximi magnique incendii terrore percellere; tamen frequens & pene quotidiana phænomeni repetitio, animum eorum, terrore, adeoque admiratione, cito exsolvere debuit. Illis autem populis, qui inter 35. & 40. gradum latitudinis, in extremitate australi Italiæ, Græciæque, & septentrionali Siniæ, habitant, cum eorum oculis exigua spectaculi pars, & plerumque in forma lucis tranquillæ, exhibeatur, semper quidem admirationi, nun-

nunquam vero terrori fuit lucis borealis apparitio, quantum ex paucis scriptorum, inter illos populos degentium, hac de re monumentis colligere licuit Cel. Auctori, qui adeo antiquissimam illam fabulam, de Deorum Dearumque in monte Olympo confesso, ex hoc fonte manasse haud temere coniecit.

Scholion XXI. quod ultimum est, agit de maiori minorive frequentia apparitionis lucis borealis, prout terra alium aliumve litum habet erga solem atque atmosphæram solis. Cum ex theoria Cel. *Mairanii* sequatur, necesse esse, ut lumen boreale frequentius tunc appareat, cum tellus in orbita sua loca soli & atmosphære solari propinquiora permeat, quam cum in remotioribus versatur: vix quidquam aptius afferri potest ad fidem illi theoriæ conciliandam, quam si per experientiam ostendatur, vere rem ita se habere. Quod probe intelligens V. C. iam in IV. Sect. Cap. IX operam dederat, ut experientia cum theoria sua consensum, per inductionem ex observationibus luminis borealis sibi tunc temporis cognitis, ostenderet: postquam autem ab illo tempore longe plurium observationum copia ipsi facta est, nulli pepercit operæ, ut, omnes observationes inter se conferendo, consensum illum in luce poneret multo clariori. Quo consilio primum ex catalogo luminum borealium *N. Frobesii* V. Cl. eas huius luminis observationes selegit, de quibus, quo die, vel saltem mense habitæ sint, constat. Has in tabulam, quæ hic exhibetur, iuxta annos & menses novi stili redegit, ut oculis statim pateat, quoties quolibet cuiusque anni mense lumen boreum apparuerit. Deinde horum phænomenorum, quæ sunt numero 796, inde ab anno post Christum natum 583. usque ad annum 1739. observatorum, ea quæ mensibus Octobri, Novembri, Decembri, Ianuario, Febuario, & Martio, quibus terra orbitæ suæ dimidiam partem perielium continentem peragrat, visa sunt, in summam collegit, cetera, quæ reliquis mensibus sex contigerunt, ad aliam summam retulit. Illam summam 550, hanc 246, reperit, qua inductione multitudine

titudo horum phænomenorum, dum terra partem orbitæ suæ soli proximam pervadit, ad multitudinem eorundem, terra reliquam a sole remotiorem viæ partem conficiente, quotannis repetitorum, eam proxime rationem habere est censenda, quam 9 ad 4. Huic inductioni, quam Auctor sententiæ suæ permultum probabilitatis asserre docet, alias deinceps iungit, quæ, etsi non tanto ex numero observationum formantur, neque tantum temporis spatium comprehendunt, tamen haud multo minoris sunt ponderis, cum observationes, & in regionibus, ad observandam lucem boream, ob situm maxime idoneis, & per sufficientem annorum seriem, & ab Astronomis, atque ad observandum cœlum instructis viris, habitæ sint. Sunt nimirum illi, *A. Celsius, C. Kirckius, E. Zanottius, I. B. Beccarius, I. F. Weidlerus, I. Delisle*. Singulorum horum clarissimorum virorum observationes, eo modo, quem paullo ante descripsimus, in ordinem redactæ, eandem fere suppeditant rationem apparitionum phænomeni, ab initio Octobris ad finem Martii, & ab initio Aprilis ad finem Septembris, scilicet rationem 9 ad 4. Porro eandem iterum rationem reperit Auctor, ex comparatione observationum omnium lucis borealis in *Transactionibus Philosophicis* memoriæ proditarum; & per catalogum luminum borealium maxime notabilium, quem *Thomas Shortus*, in libro, *a general chronological History of the Air, Weather, &c.* Londini 1749 edito, exhibuit, illam sæpius commemoratam rationem determinat, æqualem rationi 2 ad 1. Deinde, cum contra hanc ab A. adhibitam inductionem, unum hoc, cum aliqua veri specie, obiici possit, causam, ob quam hoc phænomenon, in mensibus autumnalibus & hibernis sæpius, quam reliquo anni tempore, conspiciatur, non nisi in noctes, illis, quam his mensibus, longiores atque obscuriores, conferendam esse: huic dubitationi V. C. ea argumenta opponit, quibus illa omnino tolli videatur. Quo facto, omnes illas lucis borealis apparitiones, quarum antea observationes separatim, in diversis diversorum Auctorum catalogis traditas, consideravit, coniunctim in una tabula, iuxta annorum & mensium ordinem repræsentat, & ostendit, ex his 1441 diversis apparitionibus, (inde ab anno 583 usque ad annum 1751,)

in mensibus quidem autumnalibus & hibernis 972, in vernis autem & æstivis 469. contigisse, quorum numerorum ratio iterum quam proxime rationi 9 ad 4 æqualis deprehenditur. Tandem Cel. Auctor leges frequentiz huius phænomeni, diversis anni temporibus diversæ, adhuc exactius per theoriam suam determinat, habito, non solum ad perielium & aphelium, sed etiam ad nodos æquatoris solaris, respectu; & denuo tantam ubique horum sui systematis conlectariorum cum experientia confessionem ostendit, ut, qui eam casui fortuito tribuere, neque per eum hoc systema ad summum probabilitatis gradum promotum agnoscere voluerit, is profecto inter incompetentes harum rerum existimatores censendus esse videatur. Atque hæc sunt summa capita, libri egregii, quem nos eruditissimo amplissimoque Auctori, reipublicæ litterariæ causa, iterum iterumque gratulamur. Plura non addimus: nam & humanitatis modestiæque Viri Celeberrimi credimus a nobis rationem haberi oportere.

*ABILFEDAE ANNAIES MOSLEMICI. LATINOS
ex Arabicis fecit IO. IACOBUS REISKE.*

Lipsiæ, prostant in officina Gleditschia, 1754. 4.

Alph. 1. plag. 20.

Si qua sunt in Reiskio doctrinæ ornamenta, quæ sentimus, quam sint egregia, eorum omnium vel imprimis hic Abulfeda dignitatem æquare prope suo iure videtur. Nam quod cum usu, consuetudineque viri Arabice doctissimi, tum ex Tharabæ Moallacæ, magno doctrinæ suæ documento, perspexisse nobis videbamur, eum, si quemquam alium, fore dignum, qui male affectam eruditionem Arabicam constituat; gravi testimonio cum maxime declaratum & confirmatum videmus. Etenim, cum primum hieroglyphicis rudentum sibilus, & Gussætiæ voces, quam gloriosæ illæ! palam & impune iactatæ essent, immortalis Deus! quanta strages, quanta vastitas orientalis doctrinæ subsecuta est. Nunc vero, cum clara Schultensii & Reiskii voce, Arabicæ Muzæ ab inferis quasi revocata, & caput efferre, & exultare, iisve vitis gratias age-

re

re videantur, quid est, quod utrumque consecutum haud esse putemus? Huic certe obrigit, felicitate cum fortis, tum magnitudine doctrinæ & consilii, ut, cum campo rerum, a septimo Seculo usque ad nonum, in oriente gestarum, quasi novum agricolam immisisset, maximum gloriæ maioribus denegatæ fructum caperet, fides autem illius, multo, quam per se, foret illustrior. Nam cum is esset Abulfeda, qui generis primum nobilitate, quod cum Saladino, amplissimo viro, ad Eubidas referebat, & imperio Hamatenfi, sed maxime commentariis rerum orientalium, & geographicis tabulis, omnibus denique magnis artibus, pace belloque decoris, in eunte quarto & decimo Seculo, celebraretur; cum igitur is esset Abulfeda, ne doctissimi unquam viri dubitarunt, quin quibusdam illius historiarum, tanquam resolutis membris, vel promittenda latina interpretatione utriusque operis, omnes accederent. Quam quidem spem, cum nos vehementer fefellisset, sic tulimus, ut tamen magnam haberemus Gagnierio & Schultensio gratiam, non modo partis ex annalibus editæ, sed illius etiam luculentæ, quæ fidei, ordinis, & reliquorum similitum aliquem afferre gustum possit. Quare, quis est tam averfus ab Ebraea vel Arabica lingua, aut quis Reiskium iure reprehendat, si, quantum superiorum adversus Abulfedam merita superavit, tantum illis ipsis summorum virorum exemplis, & imitandi longe præstantissimæ disciplinæ tribuendum putaverit, ut instituta ab illis perpoliret. Quamobrem, cum Auctor Schultensius ita de Reiskio, disciplinæ suæ alumno, statuisset, ut non auctoritate modo consiliove, ad Abulfedæ commentarios interpretandos adduceret, sed ipsi quoque historici & geographici codicis copiam faceret, imo & librarium curaret, ad eam commendationem, quis est, quin neget, cumulum accedere posse? Tantus accessit, quantum soluta Reiskii fide allatum videmus! Quarevis enim orientalem historiam, quæ ipsa latissime patet, Abulfeda descripsisset potius, quam confecisset, vel ita tamen non obscuram lucem nobis videmur sperare posse earum rerum, quibus continetur historia Mæstrenica, Græca, Sicula, magnæ Græciæ, Hispanica, Francica, bellum denique sacrum. Quam historiarum constat

ita miseram esse faciem, ut non tam virium & coloris, quem admodum aliptæ, sed ut medici, salutis & integritatis curam habere debeamus. Ortus igitur est ab ea operis parte Reiskius, quæ ipsa & novi quidquam, & operæ pretium afferre videbatur, hoc est, quæ res Mohammedis & Mohammedanorum, ubivis terrarum, per plura quam septem secula gestas, complectitur. Quæ, quemadmodum reliquis partibus multo largior est, & accuratior; ita rebus excellit maxime iis, quas alii, qui nobiscum sunt, aut omnino nesciverunt, aut prætermiserunt, certe non æque diligenter & perspicue percontaverunt. Contra, cum res veterum Iudeorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, Christianorum, & Arabum, Mohammede antiquiorum, tam exiliter & ieiune hic proditæ sint, ut, si cum annalibus Moslemicis, sexto eodemque postremo libro, contuleris, Reiskio teste, ægre decuisse operis æquent, nihil est, quod quemquam illius omissionis pœniteat. Nemini certe cenemus fore dubium, quin quisque longe luculentiores suarum rerum Auctores sequatur, Ebreus, Græcus, Romanus. Accedit, quod Reiskio, Auctore gravissimo, illa ipsa regum Persicorum memoria, eave multo uberior, Bibliothecæ Herbelotæ sit inserta, Pocokius autem, in eo libro, quem Specimen Historiæ Arabum inscripsit, pleraque, quæ his in commentariis leviter negligenterque, turbatis vel omittis temporum notis, tradita sunt, in latinum converterit. Quibus se profitetur adductum, Reiskius, ut ex eo filo, quod Hamzæ Hspahanensi refert acceptum, chronologicam regum Arabicorum historiam pertexeret. Qui profecto libellus, dubium non est, quin, si quando lucem adspexerit, plurimum illi difficultati allaturus sit adiumenti. Sed ne quis sit admiratus, Abulfedam in primo quasi actu indecore prævaricatum esse, in extremo usque adplaudite! stare, probe tenendum est, fuisse non modo Arabum, sed omnino omnium, qui medio, v. aiunt, ævo vixerunt, proprium vitium, ut, qui res ab O. C. usque ad suam memoriam gestas, suo quasi instituto, conderent, umbram quasi capitis, reliqui corporis monstruosam dicamus, aut perfectam, imaginem effingant. Licet tamen

tamen multis virtutum documentis. fideque Abulfedæ, apud omnes gloriari. De quibus, quod Reiskius diligenter & eruditè disputavit, plura nil attinet dicere. Ufus autem est, (ut eo, unde digressa est, referat se oratio,) codice bibliothecæ Leidensis, illo quidem ipso non spernendo, sed qui propterea, quod ab auctoris morte prope abest, reliquis longe præstiterit. Latina ceterum oratio, paulo solutior est & liberior, quæ suaviter emolliat Arabicam peregrinitatem. Qua versione, dum est, cum nihil vidimus, neque rebus definiendis fructuosius, neque ad delectandum aptius, neque tandem ad usum historiæ accommodatius, & ut vere dicamus, humanius, atque adeo amabilius. Verborum enim & formularum tanta est puritas, membrorum & complexionum tam apta connexio, universus autem orationis ambitus ita perspicuus, ut ne barbara quidem, & fera Arabum nomina, quæ ad Romanam lenitatem inflectere non placuit, neque resurgere, neque mitigatæ orationis integritas imminuta videri possit. Quam quidem etsi ad fontem non exigimus, summa fide præstitam a se, Reiskius non modo confirmat, sed etiam recipit. De qua re nos sic iudicamus, ut, si cuncti parem in ea re sollicitudinem adhiberent, summorum adversus orientalem doctrinam ingeniorum studia nunquam defutura putemus. Nunc vero, cum etiam multi, qui magistros rerum earum appellari se volunt, inepte nimis & pueriliter verba amplectantur, quid est, quod quemquam vehementer admiratione orientalis sapientiæ retinere possit? Ars enim omnis de industria fructum in se quasi involvit, & oculis subtrahit, qui esse nullus potest, nisi verbis & sententiis, ad exprimendum idoneis, significetur & declaretur. Sed hæc hæc hæc.

Quod si vero forte fuerint, qui Arabicam orationem requirant, illis habemus quid respondeamus. Neque enim tironum res hic agitur, quos præstat poëta, scholasticus, & lexicographis legendis assuescere; reliquorum autem, qui certe optandi, vel nulli sunt, quorum interfuisset, tempore haberi ratio potest. Quid igitur? Chartæ scilicet indignamini! Est enim elegans, atque adeo pereruditum, chartarum & scripturæ munditie

ditie magis libros, quam usu scriptorumque consilio, æstimare. Imo vero venustatis illius tantam, intelligant, ab optimo viro habitam esse rationem, quanta e re sua fieri potuit. Quæ profecto maior fuisset futura, nisi quidem tempus quandam quasi necessitatem ipsi imposuisset, suis sumptibus libri fidem solvendi. Ex quo enim literariam rem profana librorum cupiditas, irato numine, involavit, tota fere librorum edendorum ratio, temporibus necessaria facta, & ad facultates Auctorum accommodanda, & mediocritate moderanda fuit. Quæ res adduxit Reiskium, ut universum omnino librum per tres partes describere mallet, de quibus iam videbimus. Ultimum igitur volumen, reliquis paulo longius, continebit ea, quæ superioribus declarandis & illustrandis inserviant, h. e. complectentur Abulfedam, auctoritate librorum, cum editorum, tum scriptorum; enarrabunt præterea instituta, mores, rituumque rationes; explicabunt denique ea, quæ sibi neque satis constare, aut aliiscum pugnare videantur, & si quæ alia interpretationem postulent. Sed ut nemo pictor esset inventus, cum Apelles Coæ Veneris caput, & summa pectoris, politissima arte perfecisset, reliquam corporis partem inchoatam reliquisset, quin illius imitandi spem abiiceret; sic vereri possemus, ne reliquum annalium corpus, si forte Reiskius imperfectum & rude relinquat, neque perficiat, propter eorum, quæ perfecit, præstantiam, persequi nemo possit. Cuius tanto nos studio vix videmur nobis satisfacere posse, si utamur verbis iis, quibus, cum diligentissime quid egimus, uti solemus. Nova quædam postulat, quæ ab exquisita quadam ratione efficiantur. Quod quanto minus assequi possumus, tanto nobis acciderit optatius, si in hac sententia fuerint eruditi viri, ut omne genus benevolentia, quod & ab humanitate, & potestate illorum proficisci poterit, non modo verbis, sed etiam re exprimerint. Hæc enim Reiskii, aliorumve, adversus nos studia, si nos languescere ac ruere patimur, quis casus divinitus immissus retinebit? vel quæ tam inusitata plane ars eriget? aut quæ nova tandem, ac inaudita vis, ad ultimam posteritatem transfundet?

NUO-

NUOVO METODO PER CURARE SICURAMENTE
ogni canchero coperto. &c.

h. e.

*NOVA METHODUS TUTO SANANDI CANCRUM
occultum, singulariter autem glandulas scirrhosas mam-
marum, & aliarum humani corporis partium. Accedunt
varie epistole, quæ successum curationis indicant. Opera
MARIE IOSEPHI QUADRIO, Acade-
mici excitati.*

Venet. apud Ioannem Tevernin, 1750. 4to.

Plag. 13.

Permissa glandularum, tum aliarum, tum speciatim earum, quæ
mammæ constituunt, historia, natura cancri occulti, eius-
demque origo exponitur, illius scilicet, qui sponte nascitur; quan-
doquidem Auctor, huius mali causam in decubitu materiæ im-
puræ ad glandulas, earundemque folliculos redundante, ponit.
Etiam si enim causæ variæ externæ, violentæ, quibus glandu-
læ quandoque comprimuntur vexarique solent, cancro nascituro oc-
casionem subministrare possunt, nihil tamen istæ nocebunt:
nisi cachecticus mulieris status est, maxime ille, qui in ano-
malia mensium subsistit. Accidit enim, ut mala materies, in-
terfusa fibris, per vim externam laxatis, motu suo orbata, con-
quiescat, & quiescendo circulum sanguinis, in quo vitæ omnis
ratio ponitur, supprimat; quapropter, veluti eiusmodi glandu-
la scirrhosa mortuæ similis æstimatur, fieri quoque aliter ne-
quit, quam ut illa, ad instar cadaveris, in saniem rodentem
diffuset, partesque vicinas devoret. Id quod quando factum
est, ut servari scirrhosa glandula nequeat, tunc plerique ad fer-
ramenta confugiunt, & de extirpanda parte illa scirrhosa at-
que ulcerosa cogitant. Enimvero Cel. Auctor mitiori via pro-
cedendum esse putat, & locum medicationi præter ferrum esse
arbitratur. Igitur medicamenta proponit, quibus hoc effici
possit; & primo quidem ex auctoribus pharmaca varia propo-
nit, quibus, interno usu receptis, humores lenti distici, amis-
sum

R c

sum

sum autem robur partibus solidis restitui queat; laudatque in universum amara vegetabilia, eorundemque succos, scilicet, *Abntbium*, *Carduum benedictum Censaureum minus*, *Vincetoxicum*, *Aloen*, nec minus prædicat plantas succo acri volatili turgidas, *anagallidem aquaticam seu Beccabungam*, *Chamaedrim*, *Chelidonium minus*, *Cochleariam*, *Levisicum*, *Nasturtium aquaticum*, *Trifolium palustre*; excitat quoque quantum ad externorum usum, varias curationes, *Emplastro de Cicuta*, *Magisterio Stanni*, *Saccharo Saturni*, *Lsbargyrrio*, aliisque id genus adstringentibus, institutas. Eniunvero, parum fiduciæ in his omnibus esse, quandoquidem intellexerat, novum proponit consilium, & optima quæque de *aqua picis*, vel illa quæ ex *tada* aut *picca* arbore coquitur, sperari posse asserit, si externa curatio accedat, fatus nempe partis affectæ cum cerato. Successu non caruisse hæc tentamina, epistolis docet, sub finem adnexis, quæ curationis istius eventus felices indicant. Retinet tamen Auctor illius aquæ præparandæ modos, siquidem vulgarem illam aquam, ex pice navali coctam, quam *Berklemus* Anglus invenit, quamque per Germaniam vendunt, suam esse negat. Gratulamur Auctori de novo invento, quod, veluti innoxium, ab aliis quoque ad usum revocari posse arbitramur.

*FRID. LUD. ABRESCH DILUCIDATIONUM
Thucydidearum Pars prima.*

Traj. ad Rhen. apud Abr. v. Paddenburg. 1733. in 8.
Plag. 18.

Quarum dilucidationum, ante hoc biennium, specimen emiserat Cel. Abresch, earum nunc prima pars, duos priores Thucydideæ historiæ libros complexa, prodit: plena illa quidem, uti solent Batavorum libri, collectis undique observationibus, scriptorum locis, sed digressionum maxime diverticulis, quæ, nisi data opera a sese quæsitæ ipse præ se ferret Auctor, subinde non modo longissime repetita, verum etiam alienissima viderentur: absque quibus si foret, intra ter-

tizæ

tiae partis modum magnitudo libelli constitisset, & unum tale Volumen omnes Thucydideas dilucidationes cepisset. Sed ne illa ipsa quidem utilitate sua vacant. Nobis quidem, uti excerpere omnia non licet, ita exempli loco afferre quaedam placet, ex illa utique parte, quae ad celeberrimum illum de pestilentia Attica locum spectat; ubi quidem ad ipsum primo Thucydidem illustrandum complura egregie attulit. L. II, 47. v. 55. in verbis, *εὐδιφθόρα οὕτω ἐμνημονεύετο γενέσθαι*, ad *οὕτω* intelligit *μεγάλη*, quod in praeced. τοσοῦτός γε λοιμὸς lateat: exemplis ulus Xen. VII. Κυρ. Ἄν. p. 560. *χίων πολλή ἦν, καὶ ψύχος οὕτως, ὥστε* &c. Herodot. III, 57. *ἰούτων χρυσίαν καὶ ἀργυρίαν μεταλλάων, οὕτω, ὥστε*, quia etiam leguntur Matth. 9, 33. Marc. 2, 7. Luc. 1, 25. quae ex Hebraismo duci improbat: eaque ratione corrigendum negat apud Athen. L. II. p. 51. verba Hegesandri Delphi: *περικεσῆν οὕτω τὸ δεινὸν τῷ αἰπολίῳ ὡς τὰ δύο μέρη ἐνεχθῆναι*: ubi Casaub. maluit: *περικε. τούτω τῷ δεινῷ καὶ τῷ αἰπολίῳ*. Neminem tamen fore credimus, cui non multo simplicius videatur, ad verba illud *οὕτω* in singulis locis referre. C. 48. v. 73. verba illa, perplexa sane, ita ordinat atque illustrat: *Λεγέτω μὲν οὖν περὶ αἰλοῦ (τοῦ νοσήματος, vel δεινοῦ) καὶ ἰατρὸς καὶ ἰδιώτης - - ἀφ' οὗτου (αἰτίου) κινῆς ἢ γένεσθαι αὐτὸ, καὶ τὰς αἰτίας (λεγέτω) ἀστίναι νομίζει τοσαύτης μεταβολῆς (ὥστε, ἀνάσσει γιγνομένης τοῦ ἔτους, οὕτως ἄγαν ἐγένετο νοσῶδες, vel, ὥστε τὸ ἔτος ἐκείνο, ἐκ πάντων μάλιστα ἀνοσίου ἐς τὰς ἄλλας αἰθερίας τυγχάνειν ἐν, τοσοῦτον μεταβάλλεσθαι, καὶ) δύναμιν σχῆν ἐς τὸ μεταστῆσθαι (τοῦ ἀνθρώπου ἀπὸ μηδεμιᾶς προφάσεως, ἀλλ' ἐξ αἰφνης ὑγιᾶς ἔντας, ἐς τοσαύτην ταλαιπωρίαν καὶ νόσον. Qua ratione neque extrema illa verba, δύναμιν ἐς τὸ μεταστῆσθαι σχῆν, pro glossa & synonymis priorum abigit Vir Cel. & καὶ supplere cogitur: quorum alterum nimis evidens nobis quidem videtur, glossam illa verba sapere, aliterum non est, unde arcessatur: nec dignum Thucydide, tam manifesta synonyma sic continuare. Quod autem μεταστῆσθαι trahit ad sequentis, τοῦ ἀνθρώπου - - ὑγιᾶς ἔντας, & supplet, ἐς τοσαύτην νόσον, id cum tota verborum serie pugnat, cum ὥστε praecedat. Ad cap. 50.*

v. 37. observat vocab. *ἀπειθεῖν* de avibus carnivoris adhiberi, locis usus Malchi rhetoris de Legat. & Chrysofostomi in Matth. Omnino hoc habet Vir Cel. ut exempla maxime ex recentioribus scriptoribus, Chrysofostomo, Procopio, Porphyrio, Aristide, Heliodoro, Numerio, Xiphilino, & aliis afferat. Sic ad I, 2. ad verba, *ὅτι τοῦ ἐπιπλήθον ἀσασίας εὐσαν*, iungit *ἐκ τοῦ ἐπιπλήθον*, scil. *χρόνου*, veritus scil. *εὐσαν* pro *ἄνω* accipere. Quasi vero talia in Thucydide metuenda sint. At quibus exemplis utitur, ut probet hunc loquendi modum? Non ipsius Thucydidis, non æqualium, non Xenophontis aliorumve, non Polybii saltem, aut Philonis, sed eorum, quos diximus, scriptorum; quos, ut plurimum largiamur, imitatores nostri, talem sibi structuram in Thucydidis loco finxisse agnoscimus. Ad cap. 51. v. 45. ad verba, *ἐν οὐδὲν ἴαμα*, illustrat & illud ipsum, *ἐν οὐδὲν*, locis Herodoti, L. I, 32. ult. Philon. pag. 158. a. pag. 208. a. Porphyr. apud Euseb. Pr. Ev. V, II. cet. Sic & Mascul. *ὅς οὐδὲς*, unico Xiphilini, pag. 143. exemplo. Qua occasione etiam exempla affert *τοῦ οὐτε τι*, quasi ignotæ formulæ: nec illud, *οὐδὲ ἄς*, in sacris libris, ad Hebraismos vult referri. Eadem occasione negationum redundantium exempla affert complura: emendatque Charit. L. V, pag. 24. vers. 21. *ἐπέπεισο ἀγνοῖν εἶναι μὴ δύνασθαι*, ubi mavult, *μὴ εὐ δύνασθαι*, aut *ἀναγνοῖν εἶναι μὴ δύνασθαι*, ut in altero intelligatur *καὶ*, ubi & occasionem arripit vocabuli *ἀναγνοῖς* illustrandi. Ad id. cap. v. 55. *ἕτερος ἀφ' ἑτέρου θεραπεύει ἀναπιμπλάμενοι* - ἔθνησκον, sic intell. *ἕτερος ἀφ' ἑτέρου ἔθνησκον. θεραπεύει* (accusat. plur.) *ἀναπιμπλάμενοι*, pro *ἀναπιμπλάντες*, passivum pro activo; cuius rei exemplum affert unum Euseb. Dem. Ev. pag. 73. *ἐπιδίδου αὐτοῖς ἐλπίδι*: adeo necessarium erat, in re aut nota satis, aut ipsi Thucydidi usitata, aut in poetis certe nimis obvia, quasi in re desperata ac deperdita, Eusebium excitare! Sed occasione vocab. *ἡσανίης*, cap. 52. v. 90. feliciter sane emendatus est. Charitonis locus, Lib. I. pag. 5. v. 7. *καύφα ἐπιθόεις, κάμου σημῆα ἦσαν καὶ κατέλιπον*, pro *ἦσαν*, legendo, *ἔησαν, αἰτιολοῦσι*. Cap. 53. v. 95. verba:

ῥῆον

ῥᾶον γὰρ τίς, ἢ πρότερον ἀπεκρύψῃ, cet. sic intelligit: ῥᾶον
 γὰρ τίς, ὁρῶντες τὴν ἀγχιπροφῶν μεταβολὴν τῶν τε
 εχόντων, ἐτόλμα ποιῆν καὶ ἤδον ἢ πρότερον ἀπεκρύψῃ μὴ
 (scil. ποιῆν καὶ ἤδον.) Negativam abundantiam dicit post
 ἀποκρύψῃν, in quo ipso negativa notio inest, opposita τῷ
 φανεροῦν; qualis etiam ratio fit in κωλύειν μὴ, ἐκφυγῆν μὴ,
 δίδου μὴ, ἐπαρᾶσθαι μὴ, μίμνειν μὴ, sequente infini-
 tivo. Quæ omnia uti recte disputantur, ita nobis durissimum
 videtur, uti ipse h. l. collocavit ἀποκρύψῃσθαι μὴ, nullo
 sequente infinitivo. Si sic maluisse: ἐτόλμα, ἢ πρότερον
 ἀποκρύπτει μὴ καὶ ἤδον ποιῆν, ut in ἐτόλμα intelligere-
 mus e sequ. ποιῆν, recte omnia haberent. Cap. 54. v. 16. ver-
 bo, ἀνεμνήθησαν - Φάσκειες, per hypallagen expr. quasi
 foret: ἀναμνησθέντες ἑφασκον, recte haud dubie, sed more
 consueto Græcorum Latinorumque. Hæc fere sunt, quæ ad
 ipsum Thucydidem, Digressionum, quas captasse se dicit, exem-
 pla etsi iam complura attulimus, unum tamen alterumque in-
 super afferemus. Ad cap. 47. v. 55. occasione vocis οὐδα-
 μοῦ, asserit locum Luciani Cauc. s. Prometh. cap. 14. ubi di-
 citur Iovis templum conspici ἀπανταχοῦ, Προμηθεὺς δὲ ἐν-
 δαμοῦ; unde & factum esse, ut Brodeur ipsum Lucianum
 immerito reprehenderit. Occasione verborum, θεῶν φόβος,
 cap. 53. v. 5. aliter hic adhiberi θεῶν φόβον monet, quam
 θεῶν ὄρκους apud Xenoph. K. A. II. pag. 158. III. pag. 193.
 Sed & apud Latinos esse varis genitivi usus, quos attulerit
 Bynkershæck Obs. Jur. R. L. I, cap. 21. qui tamen eo referre
 non debuerit *insula deputationem*, ex l. 3. §. ad L. Cornel. de
 ficar. ubi *insula* tertio casu accipiendum; mirum quoque in
 illo, frustra quidem, usum Genitivi statui, apud Herodot. IV,
 69. ubi ἄμαξαι καμάρης, accipitur pro curru camerato, quasi
 per Hebraismum; cum tamen καμάρη ibi sit δίσμη, vel He-
 lychio Auctore, qui hunc ipsum locum haud dubie respexit,
 cum scripsit καμάρης, δίσμης. Neque vero ad ἄμαξαι ibi
 pertinet genitivus, sed ad verbum πλήσσει ἐπιών, inquit
 Herod. ἄμαξαι καμάρης Φρυγῶν πλήσσει. Eglegie ista
 qui-

quidem omnia, quamquam longe arcessita, & parum isto loco expectata aut requisita! Hesychio quoque, quem hic nominavimus, pluribus locis, uti vel in hoc ipso Herodoti loco, bene usus est. Ad I, 57. in verbo, *προσπεριστοιχίζουσα*, more vulgato vim in præpositione *προς* cum quælivisset, ut *praetera* significaret, & *προς τους Πηλοποιάτας*, quod ibi præcedit, dictum esset pro *περι*, quod ibi legendum quoque censet, similem vim inesse dicit vocabulo *ἐπιδικασίμος* (τοῖς Φίλων) apud Luc. Somn. c. 9. significare enim, *ἀπεθῆς τις τὸ δικάζουσα ἐπὶ πράγματι τῆν*. Cum autem ibi additum legeret, *ἀλλ' αὐτὸ μόνον ἰργάτης*, illud *αὐτὸ μόνον* expl. *οὐδὲ ἄλλο ἢ*, sive *οὐδὲν ἄ, τι εἰ μὴ*: integritatem suam Hesychio vindicantem dedit, scribenti voc. *πρωτόμα* ἐν τῇ *πρωτομα αὐτὸ μόνου ἰὰς ψήφους μελαμινούσι*, i. e. *οὐδὲν ἄλλο (ποιουσι) ἤτ. ψ. μ.* En ut aliud ex alio nascitur. Eiusdem Hesych. corrupta verba varieque & esita & tentata, voc. *πρωτομα*, emendat: *Πρωτομα, οὐδὲν ἄ, ἰργάτης, καὶ καθάπαξ τὰ περιτὰ τῆς νεῆς σκῆψ.* Glossam Hesych. *παραβαλλομένη, ἐξαπατώσα*, refert ad Eurip. Androm. 288. ubi illud ipsum; affert hac occasione I, 133. ubi Pausanias Themistoceli exprobrat, *ὡς οὐδὲ πώποτε αὐτὸν ἐν ταῖς πρὸς βασιλέα ἐπιστολαῖς παραβάλοιτο*. Quod autem ibi sequitur: *πρωτομαθῆν ἐν ἴσῳ τοῖς πολλαῖς ἀποθανῆν*, expl. *τιμηθῆν* (hoc proximo affectus esset) *πρὸ* seu *ὑπὲρ* scil. *ταύτου*, pro fide sua, *ἀποθανῆν ἐν ἴσῳ*, ut eodem modo, quo ceteri ante se, moreretur. Quod in se durum, minime iuvatur loco Herodot. III, 21. *πρωτομαῶν πολλοῦ ἐμὸν ἕνος γὰρ ἴσῳ*. Aut enim præpositio, quod agnoscit & ipse, ibi abundat, aut dictum loco medii, *πρωτομαῶν, πρωτομα, πρωτομα*, ut genuit. *πολλοῦ* inde procedat. Quod autem illo ipso Thucydidis loco antecedit, Pausaniam *λύην τὰς ἐπιστολάς*, de una dictum epistola, ea usus *ἀφορμῆ*, ineptiarum arguit, qui ex 2 Cor. X, 10. plures epistolas Pauli ad Corinthios extitisse suspicentur: cum ibi *epistola* de unica illa priori intelligendæ fiat. Sed meminimus, non tam excerpandos nobis eiusmodi libros, quam indicandos, & quibusdam speciminibus commendandos esse;

nec sane dubitamus, hunc librum Græcæ litteraturæ ac Criticæ studiosis pro utilissimo commendare, non tam ipsius quidem Thueydidis, quam aliorum scriptorum causa: quorum etiam index subiectus libello, consulendi de unoquoque viam aperuit.

INDEX CRITICUS VOCUM, AB IIS, QUI LATINE scribere velint, vitandarum, Auctore IO. MARCHELLO, Societatis Iesu.

Mediolani, prostant apud Federicum Agnellum typographum
in via S. Margheritæ, 1753. 4to.
Fol. 18.

Id sibi Auctor eruditus in hoc opere proposuit, ut colligeret vocabula plurima, ab iis, qui hoc tempore Latine scribunt, consuetudine diuturna trita, quæ licet parum sint latina, tamen latinis non dissimilia videantur. Atque ea de re criticum inscripsit hunc indicem, quod & ex criticis notationibus constet, & maximo esse commodo possit, tum ad sua, tum ad aliorum scripta, criticis oculis perlustranda. A septendecim itaque annis inde moris habuisse profitetur, ut quoties in novum aliquod opusculum, latine scriptum, incideret, illud diligenter evolveret, ea cautione, ut ne vocabulum ex illo aliquod sibi scienti prudentique in memoria inhæreret, quod antiquo optimæ latinitatis scriptore dignum non esset. Quam ad rem cum necesse haberet, multa sæpe vocabula accurato studio ad examen revocare, ea, de quibus, post non invidiosam adhibentem diligentiam, satis firma esset suspicio, aut barbara esse, aut dubia, se consuevisse, ait, memoriæ causa in aliquam schedam referre. Quæ vocabula cum crescerent multitudine, ordine eo disposuit, quo sunt in hoc commentario descripta, quibus ea deinde ex indicibus vocabulorum barbarorum, Facciolati, Noltenii, aliorumque, addidit, quæ usæ hodie maxime celebrari animadvertibat. Atque hic plurimum se adiutum fatetur *Lexico* Jac. Facciolati, thesauro *Littinæ* Linguæ, atque indicibus librorum ad usum Delphini.

Hæc

Hæc ipse in præfamine scire nos de instituto suo voluit, in quo præterea censuram agit Flamini, cuius carmina Veronæ 1740. in lucem edita sunt; ac nonnulla vocabula, in iis occurrentia, notat. In eodem etiam, (vocat vero dialogum inter lectorem & auctorem,) de Noltenio fert iudicium, cuius mirificam laudat diligentiam, amorem in bonas litteras singularem, & ordinem in rebus apte distribuendis exquisitum; optat tamen, ut ab usu vocabulorum barbarorum, quæ tam acriter notet, ipse magis abstinisset. Ingenua nobis hæc laus videtur, atque ab homine integro, neque ulla re corrupto, profecta. Sed, ut solemus fere homines, multo facilius aliis consilia damus, quam eadem sequimur. Quod si ipsi Auctori, viro eruditissimo, in his paucis paginis, quibus dialogus, præfationis agens partes, constat, aliquoties evenisse animo, id minime ille animo insectandi quemquam, sed studio potius ostendendi, quam facile fit labi, ubi cavere tibi maxime putes, tribuat. Recte enim ipse negat, continuo pronuntian- dum esse, Latinam linguam eos ignorare, qui imprudentes vocabulum aliquod minus latinum adhibuerint. Itaque, ut fides verbo nostro constet, parum latina nobis videtur potestas, nomini *vocum*, in titulo libri, & deinde sæpius, subiecta. Neque enim Romani usi eo videntur, nisi de homine sermo esset, re vera locuto. Deinde, *complurimus*, non eius ætatis esse nobis videtur, unde peti debeant probata grammaticis vocabula. Porro locutio, *nunc temporis*, non melius, sed deterius etiam illo, quod reiecit eruditissimus Auctor, *tunc temporis*, dictum existimamus. Tandem an recte scribatur, *a Latinis parum dissimiles*, (pro: *Latinis*,) vehementer dubitamus. Sed hæc, in una libri pagina, ea, qua diximus, mente observa- ta, levia sunt, neque aut præstantiæ, aut utilitati operis, in suo genere eximie laudandi, quidquam detrahunt. In verborum vitandorum indice omnia ponenda indicat, quæ a scriptori- bus tantum, post annum 117. a C. N. claris, usurpata repe- riantur: singulis vero vitandis, vocabulum aliquod latinum subiicit; ubi nullum occurrit, interpretationem eiusdem ap- ponit. Ut vero facilius quisque possit de auctoritate verbo- rum

rum existimare, ad calcem libri latinos scriptores adscribit, in suas ætates a Facciolato, aliisque Grammaticis, distributos. Indicem ipsum, quem cum aliis eius generis libris contulimus, copiosum, diligentiaque multa conscriptum deprehendimus, unde facile veteris elegantiz studiosi capere sibi possint, quæ sequantur, atque intelligere, quæ vitent, tamquam scopulos, in quibus nonnulla etiam sunt, ab aliis neglecta. Sed hæc in chartas nostras transcribere nunc nec vacat, neque necessarium est, neque etiam Lectores nostri a nobis magnopere expectant.

BIBLIOTHEQUE LORRAINE. &c.

h. e.

BIBLIOTHECA LOTHARINGICA, SEU HISTORIA hominum fama clarorum, qui in Lotharingia, in tribus Episcopatibus, in Archiepiscopatu Trevirensi, in Ducatu Luxemburgensi &c. floruerunt; per R. P.

CALMETUM, Abbatem Senonum.

Nanceii, apud A. Lefevre, typographum Regis ordinarium, &c.
1751. fol.

Alph. 7. plag. 8.

Ignorata fere fuit, ante Calmetum Nostrum, historia Lotharingæ litteraria, adeo, ut vix idonei ad litterarum studia feliciter perfequenda Lotharingi putarentur. Vindicare quidam ingenia Lotharingorum studuerunt: sed cum paucas tantum pagellas adhibuerint, nec probata satis, nec pervulgata laus Lotharingorum litteraria esse potuit. *Jacobus Perardus*, Gallus, societati Iesu adscriptus, orationem habuit A. C. 1599. Mussiponti, qua doctorum Lotharingorum quandam copiam affert. *Guibertus* etiam, medicus, e Lotharingia oriundus, libro, quem *de morte Alchymia* in lucem edidit, civium suorum in rem litterariam merita, contra Liba-

Ss

vium,

vium, asserere annitur. Sed pauca tantum *Perardus*, & *Guibertus*, speciminis loco, delibare voluerunt. *Benedictus Picardus*, e Capucinatorum ordine, Tullensis, de doctorum Tullensis dioceseos virorum vitis & elogiis diu & serio cogitavit: sed fata hoc institutum prævenerunt, & cum morte *Picardi*, eius etiam, quas collegerat, schedulæ perierunt. Hinc omnis istius instituti laus, sed simul fere omnis etiam labor, ad Nostrum devolvitur *Calmetum*. Hic plurium annorum vigiliis eo tandem feliciter pervenit, ut egregium hoc opus in lucem ederet, simulque suam patriæ & civibus laudem, successu non minus fortunato, assereret. Nonnullos sibi ea adiutrices in manus porrexisse, gratus agnoscit in præfatione operi præmissa. In primis laudat *Pet. Munier*, in historia Benedictinorum suæ congregationis; *Ioseph. Petitdidier*; *Nic. Abramum*, e societate Iesu, in academiæ Mussipontanæ historia; *Io. Blainpain* etiam, *Car. Peintre*, & *Nicolaum* iuniorem, mercatorem Nanceiensem: qui omnes opere & consilio *Calmetum* adjuverunt. Nec tamen omnibus numeris absolutum opus esse, Noster modeste fatetur; & quis illud, in tanta rerum & temporum varietate, unquam expectaverit? Hinc & aliorum emendationes, censuras, atque additiones, si quas acceperit, gratus agnoscat, iisque suo tempore utetur. Opus ipsum, quale nunc in manibus habemus, vitas Lotharingorum, fama clarorum, ordine sistit alphabetico; neque eruditorum modo, quos vulgo vocamus, sed artificum etiam, & aliorum, qui artificiiis, & novis inventis, famam sibi acquisiverunt, licet nihil omnino typis ediderint. Fontes, e quibus hausit Abbas *Calmetus*, vel in notis, vel in ipso etiam textu, plerumque indicantur. In notis & alia suppleantur, quæ in textu omissa fuerant, Multæ vitæ ab aliis iam elaboratæ, & editæ, ex hoc opere augeri poterunt, atque emendari. Quanta Manuscriptorum copia, in bibliothecis Lotharingicis lateat, mirum fere videbitur opus ipsum inspecturis. Et quamquam non omnia pari pretio sint aestimanda: sua tamen plerumque raritate commendantur, aut esse ad historiam patriæ perficiendam utiles poterunt. Doctorum igitur commodo factum est, ut, in qua

quis-

quisque codex bibliotheca lateat, a Nostro indicaretur. Hic idem, in doctissima præfatione, conspectum dedit historiæ Lotharingorum litterariæ, secundum ordinem temporum, ut fata & vicissitudines litterarum in illis terris uno quasi intuitu cognoscerentur. Iam tertio æræ christianæ sæculo Scholæ, influ Romanorum imperatorum, Augustæ Trevirorum apertæ fuerunt, in quibus Latina & Græca docebantur, Professores etiam Rhetorices alebantur, Theologia clericis relicta. Aderant etiam, qui cum dialectica, medicas scientias, physicas, & mathematicas docerent: sed qui vellent Iurisprudentiam addiscere, iis Romam eundum erat. Sub Austrasiæ principibus Franciis, nec idem languentibus litteris honos, nec iidem progressus, fuerunt. Interim viri quidam sanctitatis fama celebres, cum pietate litterarum etiam studium, successu non infelici, coniunxerunt. Linguae Græcæ adhuc quædam supersunt monumenta in terris Lotharingicis: plura autem Latinæ. Sub Carolo M. & post eum, caput iterum erigere cœperunt bonæ artes & disciplinæ, ut in aliis terris, ita etiam in Lotharingia. Scholæ apertæ fuerunt Metis, Metloeci, Luxemburgi, Epternaci, Prumiæ, Tulli, in Vogeso, Senonibus, Remiremontium, Augusta Trevirorum, Verodunum, iam ante ea tempora scholas habuerunt. Accesserunt postea scholæ Carmelitarum Baccaratensium. Post Ludovicum Pium, ut in ceteris provinciis fere omnibus, ita etiam in terris Lotharingicis, artes & litteræ frigeant, nec tamen ita, ut non interdum viri docti, & ingenio valentes, reperirentur. Adhuc paucis tantum urbibus Lotharingia gaudebat, quæ discentibus æque ac docentibus commodæ esse potuissent. Tum principes & dynastæ varii, sæpius bello se invicem petebant, & sic progressum litterarum cohibebant. Barrensi ducatu cum Lotharingia coniuncto, bonæ artes denuo vires recupararunt, Ducibus in primis Renato I. & II. Carolus IV, dux bellicosus, funesta quidem litteris minitabatur: sed hæc adhuc se florentes sustinuerunt. Hinc satis commode, volumen integrum, vitis eruditorum & artificum, implere Noster potuit. Non tamen omnes, quos recenset, nati fuerunt Lotharingi.

gi. Accesserunt etiam alii, natione exteri, qui tamen maximam, vel præcipuam ætatis partem, in terris Lotharingicis vixerunt. Præterea fociis congregationis S. Vanni, qui famam in litteris sibi acquisiverunt, locum in bibliotheca sua Nofter concessit, quamquam nec nati in Lotharingia fuerint, nec ibidem claruerint. Sancti etiam nonnulli adduntur, quamquam alia re nulla, nisi pietate sua, fuerint conspicui. Quandoque hominum fama minus clarorum, quædam poemata, vel aliæ elaboratiunculæ, speciminis loco, inferuntur, ut de his ingenii eo melius iudicare lector valeat. In fine operis adduntur *Laurentii Pilladi*, Canonici Ecclesiæ S. Deodati, Rusticiados libri VI. integri, in quibus Antonii, Lotharingæ, Barri, & Gueldriz ducis, gloriosissima de seditiosis Allatiæ rusticis victoria, copiose describitur. Accedunt & alia eiusdem poemata. Ante huius *Pilladi* carmina, epistolæ quædam cum lectore communicantur, quæ de conficienda Bibliotheca Benedictinorum generali exponunt, de qua iam *Pezius*, immo & Hispani nonnulli, cogitarant. Nostri diligentia *Calmeti* nulli parcat labori, ut insigne tale opus ad finem feliciter perducat; iam magno ad idem usui esse poterunt, quæ in hac bibliotheca Lotharingica inseruit, vitæ nimirum monachorum ex ordine D. Benedicti.

MEMORABILIVM FLENSBURGENSIUM
historiarum, ecclesiasticarum, luridico-politicarum, literariorum, sylloge, in lucem edita a IOH.
HENRICO a SEELEN.

Lubezæ, sumtu editoris A. MDCCLII.
 4to. Alph. 2.

Multum ad historiam totius Germaniæ illustrandam conferre, qui singularum illius regionum & urbium, litteris imprimis & commerciis elegantium, fortunam & res gestas in memoriam hominum conscientiamque revocent, nemo facile hodie infitiabitur. Itaque, ut aliorum hoc in genere hominum eruditorum studia mirifice probavit orbis litteratus: ita dubium non est,
 hoc

hoc, de quo agimus, opus, omnium, certe prudentissimorum, esse suffragia laturum. Prodit illud comitum ornatumque cura viri *Cel. Io. Henr. a Seelen*, cuius multa & antiqua in omnem litteraturam merita nemo unus ignorat. Hic enim, quum multos animadverteret, videndæ legendæque orationis, qua *Georgius Cladenius*, consul hodie civitatis Flensburgensis primarius, ac de illa republica meritisissimus, gymnasio Lubecensi quondam valedixerat, desiderio flagrare, a viro doctissimo, eius machinis exscribendæ potestatem sibi uti daret, etiam atque etiam rogavit, atque liberaliter, ad eam ornandam illustrandamque, quicquid posset, se collaturum recepit. Immo, quum eundem illum, nosset, amplissimum rerum Flensburgensium thesaurum concessisse, pro sancta, quæ cum eo ipsi intercedebat, amicitia oravit, ut ex eo, quod orationi illustrandæ & augendæ ferviret, secum benevole communicaret. Qua venia non solum impetrata, sed accepta insuper epistola, vel commentatione potius, rebus Flensburgensibus ditissima: rivis Clædenianis, non arva tantum sua largiter rigavit, sed integram etiam epistolam amici sui, etsi hoc ille noluerat, huic operi inseruit. Complectitur igitur hoc 1) *Georgii Claden* orationem de memorabilibus Flensburgensibus, cum annotationis *Io. Henr. a Seelen*. 2) *Io. Henr. a Seelen* epistolam ad *Georg. Claden*, qua res quædam Flensburgenses attinguntur, & plurium notitia ac documenta, eo spectantia, expetuntur. 3) *Georgii Claden* responsionem, magnam rerum Flensburgensium copiam complectentem. 4) *Henr. a Seelen* elogium virorum præstantissimorum, sive patria, sive muneribus, Flensburgensium, qui Lubecense gymnasium frequentarunt. 5) *Eiusdem* miscellanea Flensburgensia, sive memorabilia Flensburgensium spicilegium. 6) *Georg. Claden* monita, res Flensburgenses declarantia. 7) *Io. Henr. a Seelen* epimetron, ad memorabilia Flensburgensium syllogem. 8) *Georg. Claden* epistolam novissimam, splendidissimumque memorabile Flensburgense, reginæ augustissimæ, *Iulianæ Mariæ*, gratiosissimam præsentiam exponentem. Singula, etsi eiusmodi sunt, ut in compendium mitti non facile possint,

Pag I.

91.

95.

275.

287.

299.

307.

330.

- sint, quod ultro intelligent, qui plurimarum rerum, inter se non admodum connexarum, silvam hic inveniri recordabuntur: liceat tamen nonnihil, velut gustus ciendi causa, repetere, ac primo quidem ex observationibus *Cel. a Seelen* ad orationem Clædenianam. Urbis *Flensburgi* nomen, a deo commentitio *Ulin, Flins, Flynt, Flynz*, dicto, atque in Cimbria quondam culto, ducit, e Wormiique monumentis Danicis l. c. 4. (*de dis & idolis veterum Danorum*) veri simile illud, uti etiam ex aliorum locorum appellationibus, reddere studet. Qui varias illius nominis originationes, atque ineptas sæpe illas, cogitabit, haud dubie huic doctissimi *a Seelen* coniecturæ, feliciter! acclamabit. Idem, cum vulgaris opinio sit, *Flensburgi* originem ab anno MCC repetendam esse:
15. ex *Hel. Ivadero* ostendit, oppidum nono iam sæculo notum,
21. primoque *arcem (burg)*, deinde *vicum* fuisse, atque inde rationem, dubii, a *Mollero* Isagog. P. III. p. 282. moti, apte solvendi, colligit. Nempe, cum iste primam *Flensburgi* mentionem, in annalibus Cimbricis, ad annum 1232 occurrere putaret, quaerebat, qua tandem ratione, Poppo, illius urbis incolæ, cum ad decimum ipse seculum pertineret, Christianorum cœtui aggregare potuerit? *Hanseaticas*, quas vocant, civitates, etiam urbes *de Gensæ* dictas fuisse, ex *incerti scriptoris* supplemento Chronici Prussici, *Petri de Duisburg* chronico Prussicæ, a *Christ. Hartknochio* Francof. & Lips. 1679. edito, subiecti, observat; quod nomen, quantum scimus, omnium, qui de iis exposuerunt, effugit diligentiam. Tradit etiam ex *Holbergii* historia Dan. P. I. p. 455. 458. *Woldemarum* III. regem Daniæ, anserem imposuisse turri, *Wordingburgi* constructæ, & dictæ *der Gänseburm*, h. e. anserum turris, eique *Hanseaticos* cives bello captos tradidisse. *Flensburgenses* etiam cives, memoris beneficiorum acceptorum animi ductus officio, apte, & ab *Holbergii* criminationibus, (in *opuscul. Lat.* p. 145. ferocitatem, incommodosque mores, & avaritiam iis exprobrantis.) atque ab aliorum reprehensionibus, qui eorum linguam carperunt, defendit. Consultissimus *Clæden*, tam largam in epistola sua, vel commentatione potius, rerum *Flensburgensium* affert copiam, ut, quid speciminis loco potissimum seligamus, difficile sit

fit iudicare. Agit vero de iure civitatis, quod *Waldemar* Pag. 100.
dedit, ac præcipuis eius privilegiis, quæ nunc vocant; item de
magistratibus, ubi observat, senatores in statutis, ut nunc lo- 104.
quantur, dici *Sandmæne*, id est, veridicos, viros, qui ius 111.
dicant; de antiquitate & incremento civitatis; de ædificatio- 116.
ne primorum templorum; de campis, ad cives pertinenti-
bus; de nobilibus, Flensburgi commoratis, constructisque
ab iisdem ædificiis; de contribuendi modo vetusto, 134.
& vetere iudicii usu in causis capitalibus; de perditis, 157.
successu temporis, magistratus privilegiis, deque aliis rebus ad 163.
memoriam insignibus. Venit deinde ad lites, quæ Flens-
burgensium civitati cum aliis urbibus intercesserunt, atque 170.
ad varias clades, diverso tempore, bello acceptas. Nec me- 194.
morabilia Flensburgensia negligit, quæ vero copiose hic re-
petere nobis non licet. Porro curiam etiam, domum 221.
mercatorum, *Bursam* vulgo dicunt, civitatis instituta, re- 229.
gia rescripta, legataque civium bono facta, persequitur; 230.
ubi, occasione legati *Beyeriani*, nonnulla de hac gente illu-
stri commemorat: quæ, quum a *Christiano Beyero*, Saxo- 239.
nis cancellario, qui in comitiis Augustanis fidei confessio-
nem, coram Imperatore ordinibusque imperii, recitavit, ori-
ginem ducat, delata est primo *Geram*, ubi *Georgius*, filius
eius, consul fuit, atque hinc in Saxoniam inferiorem, ubi
hodieque, uti apud nos *Dresdæ* atque alibi, floret. Viros
tandem doctrinæ laude conspicuos, qui post scriptam ora- 248.
tionem, primo loco positam, inclaruerunt, attingit. Im-
mo ne inclitos quidem causarum patronos, medicos, ordi- 258.
nis sacri viros, hodiernumque civitatis Flensburgensis sta-
tum, plane silet. Reliquas operis partes copiose persequi
non licet; præsertim cum ex eorum indice satis de argu-
mento constare possit. Hoc confirmare, sine ulla assentatio-
nis suspicione, non dubitamus, vix ullam, per omnem eam re-
gionem, urbem reperiri, cuius adhuc de rebus tam plane co-
pioseque sit expositum, monumentorum præsertim fide, quæ
scripta adhuc in tabulariis latent. Optimæ igitur civitati,
consules tam doctos & disertos, patriæque amantes, hoc est
Che-

Cladenio similes; hospitesque tam gratos, acceptorumque beneficiorum tam memores, quam est *Seelenius*, V. C. perpetuo ex animo optamus.

DE NUMO ARGENTEO BENEDICTI III.
Pontif. Max. dissertatio, in qua plura ad pontificiam historiam illustrandam, & Ioannæ Papissæ fabulam resellendam, proferuntur. Accedunt nummi aliquot Romanorum Pontificum hactenus inediti, & appendix veterum monumentorum.

Romæ, excudebant Nicolaus & Marcus Palearini, 1749. 4to.
 Plag. 23. & tab. numorum aeri incisorum.

Auctor huius dissertationis est *Iosephus Garampius*, Ariminensis, qui eam in nomine Benedicti XIV. P. M. adparere publice voluit. Dissertit in præfatione ad eundem, de hominibus eruditis, & pontificiis, & emendatis sacris addictis, qui illam, de Ioanna Papissa, historiam, nunc oppugnant, nunc defenderunt. Cuius patroni recentissimi, *Frid. Spanhemius*, *Iac. Lentantius*, & *Vignolius*, VV. CC. in opere, *de Papa femina inter Leonem IV. & Benedictum III.*, quod Gallice mox 1694. 1720. & 1736. Hagæ Comitum editum est, præclare se præstitisse gloriantur, ut congruum nunc intervalum temporis esset, in quo Papissæ suæ pontificatus commode collocari posset. Nempe, quum Leonem IV. translatum e vita Kal. Aug. A. 854. Benedictum autem III. non ante Septembrem A. 856. ad Pontificis evectum esse fastidium, contenderent: omne illud temporis spatium, quod inter utrumque Pontificem hac ratione intercessisset, nempe a Kal. Aug. A. 854. ad Sept. 856. Ioannæ vindicant. Quas igitur computandi temporis rationes se hoc opere revocaturum ad examen, ac, præsidio numi, cuius sit in indice mentio, cusi a Benedicto III. sub Lothario imperatore, luculenter demonstraturum esse pollicetur, Leonis IV. mortem A. 855. die 17. Iulii contigisse; deinde Benedictum anno eodem duobus, cum dimidio, mensibus post, die nempe 29. Sept. in Apostolicam
 Ca-

Cathedram suffectum fuisse, adeoque nullum plane locum
 inonstrosæ Ioannæ relinqui. Quum enim numus ille cusus sit
 a Benedicto III. sub HLOTHARIO IMPER. hic vero d. 4. kal.
 Octobr. A. 855. diem obierit supremum, clare apparere iudi-
 cat Cl. *Garampus*, eodem circiter tempore a Benedicto III.
 Pontificatum initum fuisse, numumque cusum ante, quam
 nuntius de morte imperatoris Romam perveniret. Consecra-
 tum vero illum 3. kal. Octobr. eiusdem anni fuisse, se demon-
 stratum promittit. Numus ipse penes *Gregorium Pignat.* Pag 13 - 35.
tium est, *Cenobitici Camaldulensium ordinis Presbyterum*,
 qui, dum Procuratoris generalis in Urbe Comes fuit, selectam
 pontificiorum numorum seriem summo studio conquisivisse
 sibi, ac nonnulla *κεμήλια* invenisse dicitur, quæ diligentissi-
 morum hominum, Vignolii, Floravantis, Seyllæ, aliorumque
 oculos effugerint. Hæc est brevis operis totius designatio, in
 cuius argumento persequendo non tam iudicis, quam iudicis
 partes nobis sumemus. Descriptum illud est in *quinque Ca-*
pita, quibus *appendix veterum monumentorum, quæ in ipsa lau-*
dantur dissertatione, subiungitur. Capite I. fabulam de Ioan-
 na Papissa exeunte Sec. XIII. demum excogitatam esse docet,
 & quibus adhuc argumentis ea refutata sit, exponit. Tum
 Leonem IV. die 17 Iulii obiisse diem supremum demonstrat, 16.
 usus Anastasii, ecclesiasticarumque tabularum suffragiis, festi-
 que diei, in eius honorem celebrati, tempore nixus, quippe 17.
 quod a Seculo inde XII. in eundem diem incidere, Petri Man-
 lii, basilicæ veteris Vaticane descriptionis Auctoris, ac Marti-
 ni Poloni, Ptolemæique Lucensis, testimoniis probat. Annum 18.
 vero eiusdem æmortalis fuisse 855. tum ex pluribus pontifi-
 cum catalogis; tum ex *Annalibus Bertiniano*, æquali; & carmine
 eximio eo tempore concinnato, atque a Baronio *Annal. a.*
 855. n. 50. primum edito, efficit, & Nicolaum Aleman-
 num, illud de obitu Leonis III. & Caroli M. interpretantem,
 eleganter refellit. Quo facto Benedictum III. mox, interie- 22.
 cto nempe trium vel sex dierum spatio, electum, eiusque rei
 gestæ nuntios ad *Hiladovicum*, cui pater omnem Italiæ procu-
 rationem concessisse fertur, missos; decreto tamen utriusque
 T t Augu.

- Augusto inscripto, utpote qui parem in pontificia consecratione auctoritatem haberent; *Hudovicum* autem in Italia, & forte in Lombardia tum cominoratum esse, idoneis auctoribus persuadet. Tum de Benedicti electione, initio non admodum quiete, exponit: qua re factum etiam esse iudicat, ut mensibus duobus demum ac diebus XV. post mortem Leonis IV, atque adeo die 29. Sept. consecraretur. Qua in re quum dissentientem habeat Pabeprochium, huius argumenta dissolvit, ac tandem, in regis imperialibusque *Cancellariis* moris fuisse docet, ut, adhibita prolepsis, minime completos annos vel menses, pro integris numerarent: ne quis inde occasionem sumeret, rationes suas turbandi. *Capite altero* docet primo, Benedicti consecrationem male a quibusdam anno 856. adsignari, propterea, quod Lotharius in vivis adhuc erat, cum sacerdotes populusque Romanus electionis litteras ad Ludovicum legatis suis darent, quippe quæ inscriptæ erant: *Invisissimis Hlothario & Hudovico Augustis*. Iam vero hunc IV. kal. Octobr. obiisse, Annalium Bertiniaeorum fide confirmat: vel, ut alii tradunt, III. kal. Oct. nisi hoc sorte die terræ est illatus. Hinc apparere putat, altero, post Lotharii obitum, die, Benedictum consecratisse solium, nummum vero primis post consecrationem diebus ab eo cūsum esse. Refert is *in antica partis gyro S. Petri nomen, in medio autem Monogramma, ex implicitis B. E. N. P. A. litteris constat, Benedicti Papæ nomen clare exprimens. In averfa vero parte conspicitur HLOTHARIUS IMP. cum Monogrammate, quod legitur P. I. U. S.* Unde nihil superesse temporis indicat, quo Ioanna Romanæ civitati sacræ præfuisse credi possit. Nummum vero sincerum esse, & virorum, harum lautitiarum intelligentium, iudicio, & argenti metallo, litterarum forma, facie, crassitudine, aliis, constare satis arbitratur. *Benedicti* autem illum esse, & instituta cum aliis eius numis comparatione, & implicatione elementorum B. E. N. quæ iudicio est, eum non alteri prorsus pontifici, quam uni alicui ex *Benedictis*, convenire posse, demonstrat. Horum autem nullius ætatem in Lotharii cuiusdam incidere imperium,

nisi Benedicti III. ostendit. Ac quum privilegium Corbeienſe, *ſuper electione Abbatis*, ab adverſariis in dubium vocari ſentiat, fidem illius, ab obiectis, erudite defendit, tandemque de *ſecondiceris* nonnulla diſputat, ac duplici quosdam ea ætate nomine uſos eſſe, veri ſimile reddere ſtudet. *Capite tertio* *χρονόταξι* pontificiam, quam a Spanhemio mirifice perturbari dicit, reſtituit, nixus & aliis monumentis, & potiſſimum præſidio quatuor indicum Rom. pontificum adhuc ineditorum. Ut vero, quantum inter utrumque interſit, lucide appareat, pontificiam *χρονόταξι*, ex utriusque mente, hic ſubiicimus oculis. Pag. 45.
80.
53.

Prout a Spanhemio, Lenfantio, & Vignolio perturbata dicitur. *Prout ab Auctore defenditur & reſtituitur.*

Gregorius IV. electus A. 827. obiit circa Mart. A. 843. ſedit annos 16. Gregorius IV. el. A. 827. exeunte, obiit A. 844. ſedit annos integros 16. non completis 17.

Sergius II. el. mens. Mart. A. 843. obiit Maio A. 846. ſedit A. 3. menſ. 2. Sergius II. poſt 15. dies Gregorio ſucceſſit, obiit d. 27. Ian. A. 847. ſedit A. 3.

Leo IV. el. m. Maio A. 846. obiit Kal. Aug. A. 854. ſedit A. VIII. m. 3. Leo IV. coſecratur d. 11. vel 12. April. A. 847. ob. d. 17. Jul. 855. ſedit A. 8. m. 3. d. 5.

Io. VIII. Femina el. m. Aug. A. 854. obiit A. 856. m. Sept. ſedit A. 2. m. 1. Ceſſavit ſedes m. 2. d. 15. & deinceps, nullo alio intermedio, ſucceſſit

Benedictus III. el. menſe Sept. A. 856. obiit m. April A. 859. ſedit A. 2. m. 6. Benedictus III. conſecr. d. 29. Sept. A. 855. obiit circa diem 8. Apr. ſedit A. 2. m. 6. dies circ. 10.

Nicolaus I. el. m. April. A. 859. obiit Id. Nov. A. 868. fedit A. 9. m. 7.
 Hadrianus II. el. m. Nov. 868. obiit A. 872. fedit A. 4.

Nicolaus I. consecr. circa diem 24. April. A. 855. obiit 13. Nov. A. 867. fedit A. 9. m. 6. d. 20.
 Hadrianus II. consecr. d. 14. Dec. A. 867. obiit A. 872. circa finem Nov. fedit A. 4. m. 11. d. . . .

Pag. 54.

55. Accepit autem ineditum primum Pontificum catalogum, sub Nicolao I. confectum, ex bibliotheca Vallicellana, ubi in vetusto Canonum cod. membranaceo, formæ quadratæ, n. 5. reperitur: alterum, nondum editum, Sec. XI. exente confcriptum, ex Cod. Casanatensi membranaceo desumpsit, cuius excerpta quædam in *appendice monumentorum* exhibet: tertium ineditum habet collectio Canonum Deusdedit Cardinalis Tituli SS. Apostolorum in Eudoxia, quæ in Vaticana bibliotheca servatur Cod. 3833. p. 7. quartus extat in Cencii R. E. Camerarii libro censuum ecclesiæ Romanæ, cuius exemplar unum extat in Vallicellana bibliotheca, *Cod. sign. M. 11.* Præterea octo alios, iam foras datos pontificum catalogos, ad manus sibi fuisse profitetur, quibus adiutus, illam, quam supra exhibemus, pontificum seriem tueri studet, accessit aliis etiam, idoneis huic rei, subsidiis. Venimus ad *quartum Caput*, quo primo querit, quam potestatem habeant electi pontifices Romani ante consecrationem? deinde, quibus honoribus Imperatores ab iis affecti sint? „Nempe, quum Pontifices Romanæ ecclesiæ, Auctoris nostri iudicio, tutelam, seu patronium, vel *Advocatum*, modo sub *Patricatus*, modo sub insigniore *Imperii* titulo, in Francos Reges, sibi obsequentissimos, contulissent, tantis eos honoribus auxisse putat, ut vel ipsasmet proprias electiones, præcorum orientalium Imperatorum more, ab iis confirmari voluerint; ex quo fieri potuisse arbitratur, ut electi pontifices, a præcipuis quibusdam summi principatus functionibus, honoris ac reverentiæ causâ, sese abstinere, quousque Imperatoris assensus eorum electioni accessisset; ne forte alicuius querelæ aut molestiæ occasionem iis præberent, quorum curæ præcipue

80 - 117.

83.

„Ro-

„Romanæ ecclesiæ patrociniū committebatur, quo eam, &
 „domi, a populi Romani motibus, & foris ab hostium incurfi-
 „bus, tuendam suscipere. Quod ut facilius ab ipsis impe-
 „ratoribus præstaretur, visum esse Romanis pontificibus, ait,
 „quædam summi iura principatus, quibus iam plenissime do-
 „nati fuerant, suis ipsis donatoribus quodammodo communi-
 „care, ut hisce officiis & observantia, defensores suos honorifi-
 „centius colerent, ac ad suscipiendam sui tutelam facilius alli-
 „cerent. Sed utcunque se res habuerit, illud saltem pro cer-
 „to tenendum esse, ait, quamlibet iurisdictionem seu potesta-
 „tem Imperatores in Urbe obtinuisse videantur, eam ex con-
 „sensu pontificis, pacto inito, & ab ipsis pontificibus & Ro-
 „mano populo collatam fuisse: ideoque, etsi vi huiusmodi
 „pacti vel fœderis, Imperatorum nomen in numis insculptum
 „fuisse; attamen id nihil penitus summæ pontificum potestati
 „officere putat; siquidem non alio iure Imperatores usi fuis-
 „sent, quam quod ab ipsis pontificibus recepissent.“ Tum
 „*Papa, Pontifex, vel Episcopi* nomen, electis pontificibus, ante
 consecrationem nequaquam datum esse, idoneis argumentis
 evincit. Porro de *cruce*, in summa numi parte conspicua, ob-
 servat, eam in omnibus pontificum denariis ab Hadriano I.
 ad Paulum II. reperiri, excepto fortasse Leone VIII. & pau-
 cis aliis. De reliquis, quæ in numo laudato sint obvia, non
 est cur disputata ab Auctore nostro copiose hic repetamus.
 Ad extremum de *ορθογῶσις* nominis *Hlotharii* disserit, at-
 que barbaris iis temporibus, Francicas Germanicasque gentes,
 ex ingenta ipsis quadam gutturali oris asperitate, verbis, ab
 L. incipientibus, adspirationem præposuisse, Schilteri fide
 confirmat. *Pis* appellationem, Lothario additam, tum inter
 ceteros titulos, regibus debitos, locum habuisse docet. *Caput*
quintum varios pontificum Romanorum numos observationes-
 que, ad eos pertinentes, complectitur, quas hic repetere ne-
 cesse non est. Ipsi numi, quos in dissertatione præcipue lau-
 davit, & quibus ad illustrationem propositi argumenti maxi-
 me usus est, in tabula quadam, incisos æri, exhibet. Restat *Ap-
 pendix* veterum monumentorum, quæ in dissertatione præci-
 pue

Pag. 88.

101.

103.

109.

110.

112 - 160.

151.

pag. 161. pue laudantur. Atque hæc complectitur primo, catalogum ineditum Pontificum, sub Nicolao I. conscriptum, cuius supra fecimus mentionem; deinde excerpta ex codice membranaceo XI. circiter Seculi, de quibus itidem supra dictum est; tum chartam insignis *Registi Sublacensis Monasterii*, de quo vid. Muratorius Ital. med. ævi Tom. V. pag. 760. postea excerpta ex vetusto *Necrologio* membranaceo, formæ quadratæ, in folio, Romaricensis Monasterii: tandem index capitum velut agmen claudit. Ex his facile iudicabunt lectores nostri, quid præsidii, ab hoc opere, ad historiam & sacram & civilem illius ætatis illustrandam, seiunctis maxime opinionibus, quæ propriæ sunt auctoris, cætusque sacri ad quem se aggregat, expectari possit.

PETRI MARCELLINI S. R. E. CARDINALIS CORRADINI, episcopi Tusculani, elogium historicum.

Romæ, ex typographia Palladis in 4to.
Plag 2.

Dominicus Georgius, hoc animi grati monumentum *Corradino*, Cardinali celeberrimo, biennio ab eius e vita excessu, constituit, quia illud sine epitaphio, quod Marcellus Cardinalis Crescentius, ac Ferratiz legatus, defuncto, in transtiberina S. Mariæ basilica, parabat, exire in vulgus noluit, quodque non nisi anno 1745. absolvi poterat. Ipius vero *Corradini*, quum & magna sit in republica litteraria fama, & memoria eius aliquoties his ipsis in actis cum laude usurpata: non ingratum fore lectoribus nostris credimus, hic eius vitæ, auctore quidem *Georgio* nostro, tamquam summam quamdam recognoscere. Natus erat Setinz, clara quondam Latii urbe, 1658, die 2 Iunii, sanctis martyribus *Marcelino & Petro*, Setinz civitatis patronis, sacra: unde eorum nomina ipsi fuerant indita. Patre mature amisso, impuber Romanam a matre missus est, ubi & liberalibus artibus, & iuri operam

ram dedit, atque opere *de praelationibus* edito, ingenii famam, quum annum ætatis trigefimum ageret, iam consequutus est. Quum aliquot annos versatus esset in foro, ab Innocentio XII. *Subdatarii* adnotus inuneri, ac paullo post basilicæ Lateranensis canonicus dictus est. Quam dignitatem sub Clemente XI. non solum obtinuit, sed maiori etiam auctus est, scripta 1706 commentatione, de *primæ præcibus Imperialibus*, quum earum iure *Iosephus Augustus*, pontifice inconsulto, uteretur. Nam fecit eum *Auditorem*, ut vocant, & anno sequenti episcopum Athenarum creavit. Commaelo armis Imperatoris expugnato, eius ius pontifici vindicatum ivit, & quæcunque Romæ, in variis cum Imperatoris legatis congressibus, cui ipse assidue interfuit, acta essent, publici iuris 1711. fecit. Unde id consequutus est, ut 1712. die 18. Maii Cardinalis designaretur, die 26. Sept. publice renuntiaretur, ac mox titulo S. Ioannis ante portam Latinam insigniretur. Tum concilii Tridentini præfectura donabatur, ac postremo neophytorum summus moderator constitutus est. Sub Innocentio XIII. Tridentini concilii præfectura dimissa, *Prodaturius*, ut nunc loquuntur, factus est, quod munus etiam sub Clemente XIII. retinuit. Inde 1726. ad titulum S. Mariæ transiberinæ transiit, ac 1734. d. 15. Dec. ad ecclesiam Tusculanam promotus est. Anno denique 1743. quum per hiemem lues tota fere Italia sæviret, qua rheumata & intimi pulmonum morbi exortiebantur, ipse, correptus eadem, d. 8. Februarii esse desit, postquam compleverat 84. annos, menses 8. dies 5. Quater comitiis pontificum interfuit, ac prope fuit, ut 1730. post Benedicti XIII. obitum, pontifex eligeretur. Ingenii monumenta, quibus nominis adeptus est claritatem, hæc præstant. I. *Tractatus de iure praelationis*, Romæ 1688. in fol. II. *de Civitate & ecclesia. Setina* Romæ 1702. in 4to. vid. A. E. 1703 p. 449. III. *Vetus Latium profanum & sacrum*, Romæ 1704. in 4to. Tom. I. ib. 1705. T. II. v. A. E. 1706. p. 310. Animum ad illud conficiendum appulisse videtur, quia Setina urbs in edito loco sita est, unde Pomptinæ paludes,

des, Latii veteris campi, & Latinarum urbium vestigia, prospiciantur. Quum vero gravioribus curis distineretur, eius perficiendi provinciam Ios. Roccho Vulpio, S. I. Presbytero, traditis schedis & adversariis suis, demandavit, qui T. III. 1706. Patavii, deinde vero reliquos tomos, tandem X. 1745. ibidem edidit. IV. *De primariis precibus imperialibus dissert. Conradi Oligonii Icti. Friburgi Brisgoæ per Io. Strasserum* 1706 in 4to. Conradi Oligonii nomine utitur Marc. Corradinus, & factus est ipse locus editionis, nam prodiit Romæ, ap. Franc. Gonzagam. V. *Relatio iurium sedis apostolica in civitatem Commaclensem, complectens varias discussiones Romæ habitas, in conventibus inter ministros summi Pontificis & S. C. M. Rom.* 1711. in fol.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iunii Anno MDCCLV.

Pars II.

HISTOIRE DU DROIT PUBLIC ECCLESIASTIQUE
François.

h. e.

*HISTORIA IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI
Franco-Galorum, conscripta a D. B.*

Tomi II.

Londini, absque mentione anni, 4.

Tom. I. Alph. 3. plag. 3. Tom. II. Alph. 1. plag. 17.

Cum institutiones iuris Ecclesiastici Franciæ meditentur, libri, cuius notitiam hic damus, Auctor ἀνεύρητος, introductionis loco præsens volumen compilare, inque eo, generaliora istius iuris principia, fundamenti loco sub- sternere, ac statum Franciæ ecclesiasticum delineare, consultum duxit. De personis adeo, quibus ius imperandi in ecclesia competit, initio præfatus, sententiam hac de re suam ad tria capita revocat. Multum utique Principibus, quos *defensores* & *protectores* religionis nuncupat, tribuit. Nulla nimirum concilia provincialia, nisi illis consentientibus, cogi posse contendit. Canones, in eiusmodi conventibus confectos, eorum confirmatione indigere, asserit, episcopos item ab illis

f U u esse

- esse constituendos, innuit. Pontifici, ius convocandi concilia œcumenica, & supremam inspectionem in ecclesiam, competere, urget. Reliqua ad episcopos de iure divino spectare dicit, quibus, cum potestate clavium, hierarchiam a Christo esse traditam, sibi persuadet, reservata autem quæ dicuntur Pontificis, præter ius, ad minuenda episcoporum iura, invaluisse, contendit. Facile ex hisce dictis intelligitur, Auctorem, quamvis ultra gregem gnathonum curiæ Romanæ sapiat, perverla tamen principia, a Protestantium eruditis iamdudum profligata, & explosa, non sine tædio lectorum repetere. Cum interim facile videret, ea, quæ de Principum potestate circa sacra dixerat, multis, ac præsertim Italis, impia & blasphema videri: historiarum monumenta adversariis suis opponit, quibus, quæ fuerit Imperatorum, qui Christo nomen dederant, in ecclesia antiqua auctoritas, erudite edisserit. Concilia œcumenica autem, Imperatores istos convocasse, ubi observat, memor eorum, quæ supra de Pontificis hanc in rem iuribus dixerat, hodiernos Principes iuri huic renuntiasse, illudque curiæ Romanæ cessisse, sibi persuadet, cum hodie orbis Christianus non ab uno Principe, quemadmodum olim, gubernetur, adeoque convocari ab uno omnes per orbem episcopi nequeant. Quodsi tamen Christiani Principes, de loco & tempore talis concilii invicem convenirent, tunc quidem ad illos unice ius convocandi spectare, non diffitetur. Quæ in genere ex historia Imperatorum Christianorum protulerat, ad Franciam suam postea transfert. Jura circa sacra, quæ sigillatim *Clodovæus*, primus Francorum christianæ religionis Princeps, exercuit, demonstrat, *Mezeræum*, Clodovæo eam ob causam succensentem, castigans. Ex ipsa etiam imperii civilis natura, hanc Principum in sacris auctoritatem fluere, & religionem Christianam potestati imperantium in cives suos nihil derogasse, egregie & fute Auctor ostendit; abusus denique, avaritiam, desidiam, & luxum cleri Romanensis, hac occasione acriter & false perstringit, ac damna, quæ ex impio & iniusto Pontificum dominandi per ecclesiam studio emerlerunt, ostendit. Absolutis, quæ veluti promullidis loco hic attulerat Auctor,

ctor, ipsa iuris publici ecclesiastici Francorum sequitur historia. In certos eam libros Auctor dispescuit, quamvis, filium narrationis suæ nonnunquam interrumpens, certa quedam argumenta, peculiaribus scriptis, ipsi libro insertis, fufius illustraverit. *Liber* adeo *primus*, inde a condita monarchia Francorum, atque introducta ibi religione Christiana, usque ad *Gregorium VII.* progreditur. Primis rei Christianæ per Franciam temporibus, nihil curiæ Romanæ iuris per illas terras fuisse, urget. Et quamvis aliquam reverentiam, episcopis Romanis tribui a quibusdam, inque casibus dubiis consuli eos fuisse, non diffiteatur: hoc tamen unice, tam propter dignitatem urbis Romæ, quam propter insignem istorum præfulum sanctitatem, doctrinam, & prudentiam, factum esse, recte observat. Falsus interim hic est Auctor, quando Romanos episcopos successores Petri fuisse, fundamenti loco ponit. Quam absurde etenim, & præter omnem veri speciem, a quibusdam affirmetur, Petrum per 25. annos episcopum Romanum fuisse, inter alios *Wilhelmus Caveus*, in *historia litteraria scriptorum ecclesiasticorum* p. n. 5. invictis argumentis docuit. Rectius multo, decreta præfulum Romanorum, neutiquam vim edictorum, sed consiliorum duntaxat, quæ sequi cuiuslibet est, tunc temporis habuisse, urget. Quomodo postea auctoritas Pontificum, post *Valentiniani III.* constitutionem, & concilii Sardicensis canones, sensim paulatimque creverit, eleganter exponit; ignorantiam clericorum, & turbas a Pipino in Francia excitatas, cum eius auxilio Pontifex contra Longobardos, & Imperatores Orientis, & vicissim Pipinus, Pontificis artibus, ad stabilienda regni sui initia uteretur, plurimum ad introducendam curiæ Romanæ hierarchiam valuisse, contendens. His ipsis artibus, terras Italiæ, quæ sub nomine patrimonii Petri hodie veniunt, ad se tunc traxisse curiam Romanam, docet; indignissimum hoc facinus viris Apostolicis fuisse, ex vero iudicans. De iure & dignitate præfulum Romanorum, qui hodie Pontifices audiunt, peculiarem dissertationem Auctor hic inseruit: in hac unoquoque episcopo superiores illos, ordine autem episcoporum, generatim spectato, inferiores

pag. 60.

61.

63.

67.

72.

- riores esse, pronuntiat. Auctoritatem vero, qua episcopi in ecclesia gaudent, iuris divini esse, firmiter sibi persuadet Auctor. Hinc enim, Christum, post resurrectionem, Spiritum S. discipulis inspirantem, episcopos hoc pacto constituisse, existimat. Recte interea, omnes Apostolos Petro fuisse æquales, pronuntiat. Nihilominus tamen, aliquem Petro primatum tribuit, quem exinde, quod primo loco ad munus Apostolatus vocatus ille fuerit, derivat. Primum igitur, minus commode vero, Principem Apostolorum dici debere Petrum, contendit.
77. Cum ergo hodiernos Pontifices, Petri successores, quamvis, ut supra monitum est, perperam, sibi persuadeat Auctor, eos itidem, primos quidem episcoporum esse, usque inspectionem, ac ius monendi & corrigendi competere, neutiquam vero imperium aliquod debere tribui, pronuntiat. Statum iam primitivæ ecclesiæ, divisionem eius in certas dioceses, ad formam imperii Romani institutam, dignitatem etiam metropolitanorum, describit, eosque præfules, *ἀρχιεπίσκοποι*, æquales, ac minime cuidam episcopo episcoporum subiectos fuisse, docet. Quomodo potentia Pontificum per Italiam postea creverit, enarrat; deque donationibus Pipini & Caroli M. plurima profert in medium: in eo tamen ex nostra sententia vehementer fallitur, quando dignitatem Patriciatus Romani Carolo M. concessam, vanum fuisse titulum existimat. Dominium eminens vero in urbem Romam, Carolum M., posteaquam Imperator coronatus esse, exercuisse, ipsumque Pontificem Leonem III. una cum præcipuis Romæ proceribus, inaequalem eius veneratos esse, docet. Et armis quidem suis, neutiquam Pontificis liberalitati, hoc in urbem Romam imperium
90. Carolum M. debuisse, rectissime pronuntiat. Sensim paulatimque tamen, potentiam Romanorum Pontificum, in dies in auctiora cepisse incrementa, ostendit: cum insequentibus e stirpe
91. Carolingica Principes, iurium suorum minus tenaces essent, motibusque intestinis, quos Auctor fuse describit, quateretur respublica. Cum autem & bonis secularibus Principum sæpius inhiaverint Pontifices, Auctor e re sua esse putavit, quid iuris sedi Romanæ, in bona Principum, & in res ecclesiasticas
92. seq.

competat, data opera investigare. Et quod quidem ad bona, & terras Principibus subiectas, ac gubernacula imperii attinet, nihil omnino iuris ad Pontificem pertinere, axiomatis loco ponit; & ideo, præter omne ius, Principes Christianos, ad bella gentibus incredulis inferenda, a Pontifice sollicitari, urget. Aliquid interim iuris, in bona ecclesiæ secularia, Pontifici Auctor tribuit, quamvis idem illud, iustis includendum esse finibus, & ita ordinandum censeat, ut ne suprema in republica potestas aliquid inde sentiat detrimenti. Pontificis ergo, tanquam capitæ ecclesiæ, curam, in eo versari debere iudicat, ut bona ecclesiarum conferventur, & rite dispensentur. Hoc interim illi, cum omnibus episcopis commune esse, eiusque curam tunc demum requiri, si præfules, ad quorum diocesim ecclesiæ pertinent, hac in re negligentiores inveniantur, pronuntiat. Aequum insuper, & e republica esse, ut ecclesiæ, multis amplisque opibus instructæ, reliquorum civium exemplo, vectigalia & tributa Principi pendant, credit; multorumque locorum ecclesias, non sine insigni civium damno, nimis opibus esse ornatas, dolet, & exemplis confirmat. Jus confirmandi episcopos, & abbates, a curia Romana iniquissime usurpari, illudque seculis obscuris & barbaris sibi vindicasse Pontifices, observat. Incrementa dominatus Pontificii per Franciam, inde ab extincta domo Carolingica, usque ad Seculum undecimum, accurate Auctor delineat. Variæ concilia hisce ausis Papalibus fortiter restitisse, nos docet; & hac etiam occasione, de pallio archiepiscopali, cuius redimendi necessitas, iam Seculo octavo invaluisse Auctori videtur, quædam disputat; multumque ad deprimendam Metropolitanorum auctoritatem, & stabiliendum curiæ Romanæ dominatum hoc fecisse, ex vero iudicat. Cumque Seculo undecimo, controversia de investitura episcoporum per baculum & anulum agitari cœperit, hoc ipsum ideo argumentum data opera Auctor persequitur. Munus episcopale, quatenus potestatem clavium, & officia sacra respicit, a magistratu seculari nemini posse conferri, ex falso principio, quod supra iam castigavimus, Auctor pronuntiat, & dissentientibus acrem

- Pag. 144. dicam scribit. Quod vero ad insignem illam dignitatem, & amplissimas opes, cum munere episcopali hodie coniunctas, attinet, illis certe, absque Principis consensu, neminem posse frui, neque episcopalem dignitatem, quempiam ab obedientia
145. Principi debita liberare, concedit. Investituram igitur per baculum & annulum, quam Cæsares olim peragebant, signum muneris episcopalis, atque adeo potestatis clavium fuisse, largitur quidem, illam ipsam vero potestatem, recens investito, hac ratione neutiquam fuisse datam, cum eam per consecrationem iam accepisset, pronuntiat: cum potius Imperatores, hoc ipso ritu declaraverint, se consentire, ut novus episcopus, munus sacrum, iam, in terris sibi subiectis, exerceat. Pontifices Romanos, non aliam ob causam, quam ut potentiam suam adaugerent, ritum, sua natura nihil iniusti habentem, tanquam impium, & ecclesie noxium, impugnasse & damnasse,
147. ex vero iudicat. Quare per imperium Romanum, maiores circa constitutionem episcoporum excitaverit motus Gregorius VII, quam per Franciam, egregie exponit. Turbas, quæ Henrici IV. temporibus affixerunt ideo rempublicam, sic satis candide
149. enarrat, deque scriptis, quæ hoc de argumento tunc temporis prodierunt, nonnulla affert; tandemque, citra summæ potestatis consensum, nullos constitui posse episcopos, adeoque & investituram per baculum & annulum, ab Imperatoribus olim
150. peractam, nihil iniusti habuisse, concludit. *Secundus* huius operis *liber*, statum ecclesie Francie, inde a *Ludovici VI.* regno, usque ad *Philippi pulcri* tempora, exponit. Ludovicum sextum, in concilio Rhemeni, *Innocentium III.* pedum osculo veneratum esse, commemorat; ipsumque illum ritum, per Franciam tunc introductum videri, monet. Quamvis vero concedit, optandum esse, ut talis ritus nunquam fuisset introductus: nihil tamen principum dignitati eum detrudere, eum unice venerationem erga ecclesiam indicet, contendit. Iisdem temporibus, Portugallie & Sicilie moderatores, ab *Innocentio III.* Reges fuisse creatos, Auctor narrat, & Pontificem, præter omne ius, tale quid tentasse, probat; *Harduini* quoque somnia, qui Romanos præfules, in locum Senatus populi-

pulique Romani successisse, nugatus est, explodit. Plura, tenta-
 tati dominatus Pontificii per Franciam, exempla, quæ Seculo
 duodecimo contigerunt, apponens, de iure divortiorum quæ-
 dam disputat. Matrimonium, sacramenti naturam a Christo
 accepisse, fundamenti loco ponit, ideoque, causas matrimonia-
 les, unice ad ecclesiam pertinere, concludit. Jus vero, gratiam
 legum matrimonialium faciendi, seu, ut vulgo loquimur, dis-
 pensandi, ad omnes episcopos, non ad unum duntaxat perti-
 nere, pronuntiat: & in eo quidem rectissime sentit, quando
 illud ipsum ius, in casibus duntaxat iure naturæ & divino non
 definitis, locum habere docet. Cum autem causas matrimo-
 niales, ideo solum, quia matrimonium sacramentum sit, eccle-
 siæ vindicat Auctor: hinc supremam in republica potestatem,
 aliquid itidem iuris circa matrimonia sibi vindicare, contendit.
 In omnes interim partes hic anxie se flectit Auctor, ita ut, quid
 iuri ecclesiæ, quid Principi tribuat, vix intelligas. Feliciores lon-
 ge hac in re protestantium eruditi sunt, qui, abiectis de sacramen-
 to matrimonii nugis, ad unum Principem causas illas referunt,
 qui, ex libera voluntate, Consistoriis suis earum discussionem
 committit. Sed pergitur. Expeditiones cruciatas, uti vul-
 go dicuntur, Auctor, quatenus Franciam respiciunt, describit;
 iniquitatem, vanitatem, innumeraque incommoda, quæ inde
 provenerunt, egregie depingens. Cumque in hac temporis
 periodo, plurima excommunicationum & interdictorum ex-
 empla, Auctori essent afferenda, de hoc ipso is argumento,
 peculiarem hic dissertationem inseruit. Falsum vero, & a
 nostris penitus iam explosum, ubi fundamenti loco ponit prin-
 cipium, facile intelligitur, falsas inde eum elicere conclusiones
 debere. Ecclesiam nimirum, societatem esse inæqualem,
 quam imperantes & parentes constituent. Jus imperandi,
 sacerdotibus, non tamen quibuscunque, sed episcopali duntaxat
 munere ornatu, competere. Arma ecclesiæ unice spiritualia
 esse, & privatione quorundam beneficiorum, neququam infli-
 ctione poenarum, absolvi. Illa ipsa ecclesiæ arma, contra
 illos duntaxat, quorum facinora omnibus innotue-
 runt, vibranda esse; reliqua. *Excommunicationem, per exclusio-*
nem

Pag. 158.

163.

164.

165.

175.

190.

- nem a casto fidelium, describit. Unum quodque ecclesie mem-
brum, ne Regibus quidem exceptis, re ita ferente, hoc pa-
cto posse coerceri: non tamen, nisi ob gravissimas causas, &
tentatis prius mediis omnibus, excommunicationi locum
Pag. 193. esse dandum, urget. *Interdicta* autem, quae integris
urbibus, aut provinciis, usum sacrorum ad aliquod tempus ra-
piunt, omni rationi prorsus esse contraria, & prioribus post
196. C. N. seculis omnino incognita, iudicat. Cum excommuni-
catio censuræ ecclesiasticæ rationem unice habeat, hinc ex-
communicatum, dignitatis & muneris, quo in republica gau-
det, nullam omnino iacturam facere, concludit, gravissimos-
199. que abusus, per intempestivam excommunicationem ortos,
273. seq. enarrat, & graviter exagitat. De statu & privilegiis mona-
chorum, peculiarem iam dissertationem Auctor adiungens,
monastica vota, religioni Christianæ nihil prodesse, imo, ni-
miam eorum, qui talia sectantur instituta, multitudinem, rei-
217. publicæ nocivam pronuntiat. Et quamvis votum casti-
tatis præter rationem a nonnullis improbari, ait, ipsum-
que Apostolum, eelibatum matrimonio prætulisse, il-
lumque præ hoc commendasse, sibi persuadet: nimium ta-
men illius abstinentiæ a matrimonio studium, legibus publi-
218. cis cohibendum esse, censet. Quomodo instituta monastica,
a prima simplicitate, in gravissimos degeneraverint abusus, ele-
ganter & copiose docet, ipsosque abusus, vivis quasi coloribus
ita depingit, ut nemo lectorum, a partium studio alienus,
consensum Auctori denegare posse videatur. Remedia iti-
229. dem, evellendis eiusmodi malis inservitura, suppeditat. Cum-
que inter fontes, ex quibus eiusmodi promanaverint mala, ex-
emptionem monachorum a iurisdictione episcopali numeret,
hac quidem occasione, rursus, immensum curiæ Romanæ fa-
236. stum, & dominandi studium, exagitat, multaque eam in rem
exempla congerit; controversias inter Philippum pulcrum,
Franciæ Regem, & Bonifacium VIII. ideo excitatas, in primis
260. sollicitè describens. *Tertius* Auctoris *liber*, a temporibus Bo-
nifacii VIII. usque ad *magnum schisma* procedit, quo nomine
turbulenta tempora, quæ *Urbani VI.* & *Clementis VII.* anti-
papa-

paparum, electionem subsequuta sunt, veniunt. Sub initium eius, Auctor, de schismate, & provocationibus ad concilium, data opera disputat. *Schisma*, per iniustam divisionem imperantium & parentium describit; ipsumque societatis cuiusdam caput, quando membra, iniquis eius ceptis resistentia, a societate excludit, schismaticum dici posse existimat. Iam, curiam Romanam, plurima iniquissime sibi arrogasse iura, cum satis demonstratum dederit: eos, qui eiusmodi ausus, aut scriptis, aut factis impugnant, schismaticos nequitiam dici posse, concludit. Ubi dein, de provocationibus ad iudicem superiorem in genere, plurima protulit in medium, concilia generalia, supremi tribunalis, coram quo causæ ecclesiasticæ diiudicari debeant, rationem haberi, adeoque ad illa certis casibus provocari posse, contendit. Cum autem causæ ecclesiasticæ duntaxat coram eiusmodi congregationibus sint diiudicandæ, hinc civilibus in negotiis, a magistratu politico quippe pendentibus, nec non, si de iuribus Principum agitur, nullum omnino provocationi ad concilia locum esse dandum, urget. Idem iuris circa libertates ecclesiæ Gallicanæ obrinere, iisque a nullo concilio derogari posse, existimat. Contra *sanctum officium*, uti vulgo vocatur, summopere Auctor invehitur, illud, superbæ & fastui Pontificum, unice originem debere ostendens, & crudelitatem ac iniustitiam eius, fuscè describens. In eo interrim fallitur, quando magistratus civiles, illis, qui religionis placita invadunt, pœnas posse infligere, sibi persuadet: cum ex veriori sententia, hæresis inter crimina nequitiam censeretur, neque adeo pœnis coerceri possit. Principibus autem ius, sententias, ab eiusmodi sanctis ut creduntur tribunalibus latis, corrigendi, iisque certam formam, quam sequi debeant iudices, præscribendi, meliori iure tribuit. A sententiis denique episcoporum, certis casibus, & si quidem illi potestate sua abutantur, provocari ad principem posse, non negat. *Liber operis quartus*, historiam inde ab excessu Gregorii XI, qui sedem papalem, Avenione constitutam, Romæ restituit, usque ad bullam *Unigenitus*, complectitur. Turbas, quas post obitum Gregorii, dubia electio antipaparum, *Urbani VI.* &

Pag. 279.

284.

283.

295.

299.

333.

334.

340.

344.

- Pag. 386. *Clementis VII.* peperit, per concilium Constantiense & Basileense demum sopierdas, fufe hic Auctor describit. Hac autem occasione data, de eo quod iustum fit, si duo vel plures
382. Pontifices simul eligantur, disputat. Episcopus tunc, in concilio congregatos, tanquam membra ecclesie regentia, eiusmodi schismatibus obicem ponere, & qualis pro rite & legitime electo habendus sit, constituere debere ait; cum unaquaque societas, malis, ex perversa dominandi libidine oriundis, mederi, & possit, & debeat. Gravissimum itaque schisma, quod descripserat in antecedentibus, ex ignorantia iurium episcopalium imprimis profluxisse, multoque citius sopiri potuisse, si partibus sibi demandatis melius perfuncti essent eius temporis antistites, neque potentiam papalem ultra modum tenuissent, ostendere annitur. Decretum concilii Basileensis, quo *annata*, Romam solvendæ, abolitæ, & provocatio ad curiam Romanam certis finibus inclusa fuit, quod in Francia *sanctionis pragmatica* ornatur encomio, Auctor hic affert: illud tamen ausibus Pontificalibus penitus non restitisse, iudicat. Concordatum, uti vulgo vocatur, inter *Franciscum I.* & *Leonem X.* initium, in locum pragmaticæ istius sanctionis postea successisse, nos docet, deque eius indole & contentis, peculiarem dissertationem inspergit.
417. Nonnullos istius fœderis articulos, iniquitatis in nationem Francicam, frustra, & præter rationem iusimulari, ostendit. Præcipuum tamen eius defectum in eo consistere, quod nimium iuris Pontifici in ecclesias Gallicanas fuerit concessum, & *annata*, non sine insigni detrimento regni, fuerint veluti
433. postliminio restitutæ. Illud ipsum interea fœdus, propter insignem curiæ Romanæ potentiam, qua eo tempore pollebat, necessario a Francisco I. fuisse ineundum, ut maioribus malis obviam iretur, iudicat. Motus, quos Calvinii reformatio per Franciam postea excitavit, ample Auctor exponit.
435. Pessimos curiæ Romanæ ausus, contra *Henricum III.* Franciæ Regem, non dissimulat. Cum de doctrina & reformatione Lutheri per Germaniam, hac occasione ipsi esset dicendum, absurdissimam illam fabulam, ac si Lutherus, propterea quod nundina-

dinatio indulgentiarum non Augustinianis, quorum ordini ad-
 scriptus erat, sed Dominicanis, a Pontifice erat concessa, curiæ
 Romanæ infensus, eius errores impugnare cœperit, nullo
 argumento idoneo, lectoribus tamen audacter obrudit. Muta-
 tionem sacrorum tunc accidisse, dolet; neque eam locum ha-
 bituram fuisse sibi persuadet, si omnes per orbem episcopi
 sui iuris mansissent, neque Pontifici subiecti fuissent. Doctri-
 nam de indulgentiis, quomodo pontificii eam tradere solent,
 hac occasione Auctor exponit, & ita quidem, ut doctrinæ
 istius impietatem & absurditatem agnoscere, & accusare,
 haud obscure intelligatur. Primis ecclesiæ seculis, indulgen-
 tias omnino incognitas fuisse, contendens, non satis videtur
 naturam earum & indolem cognovisse, cum utique ad
 preces martyrum, indulgentiæ a satisfactionibus, neutiquam
 Deo, sed ecclesiæ læsæ præstandis, apud priores Christianos
 impetrari fuerint; quem postea ritum, sua natura *ididop-*
por, in pessimam superstitionem converterunt pontificii. Quan-
 do autem figmenta, quæ hodie de indulgentiis circumferuntur,
 fastui papali, & barbarici temporum natales debere dicitur, in
 eo utique nos plane consentientes habet. Leonem X
 insuper, si iusta gravamina contra istam indulgentiarum nun-
 dinationem audivisset, malisque, inde oriundis incedam adhi-
 buisset, omnibus de religione controversiis illico finem po-
 tuisse imponere existimat. Turbas, quas sacrorum mutatio
 per Germaniam excitavit, hac occasione obiter enarrat; neque
 centum gravamina nationis Germanicæ, contra curiam Ro-
 manam, in comitiis Norimbergensibus A. 1533. exhibita, præ-
 terit: gravamina illa utique iusta, & satis fundata pronun-
 tians. Ad Franciam vero suam reversus, cum inde ab
 Henrici IV. temporibus, omnia ibi pacata fuisse, neque edi-
 ctum Nannetense lites cum curia Romana peperisse, dixerat:
 contentiones inter *Ludovicum XIV.* & *Innocentium XI.*, pro-
 pter legati Gallici ius violatum exortas, ample describit, &
 quam inique cum episcopis Gallicanis tunc fuerit actum,
 recenset. Ius, redditus ab episcopatu pendentes, sede vacante
 percipiendi, quod Regibus Gallicæ competit, multis itidem li-
 tibus

- Pag. 465. tibus, Regem inter & Pontificem agitatis, ansam dedisse, narrat. Quamvis autem pax fuerit restituta, supremum tamen Galliz tribunal, quod vulgo *parlamentum* audit, decretis pontificalibus sæpissime restitisse, & provocationes ad concilium approbasse, nos docet. Eiusdem tribunalis singularem curam & dexteritatem, in cohibendis & explicandis bullæ *unigenitus* decretis adhibitam, maximis laudibus extollit; patriæ suæ, de excusso multis in rebus iugo pontificio gratulatur; utque etiam episcopi aliquando iura sua agnoscant, strenueque defendant, exoptat. Et ita quidem historiz iuris ecclesiastici publici per Franciam contenta, lectoribus nostris exhibuimus, quæ fortassis eodem iure, *historia concertationum inter Franciæ Reges, & curiam Romanam agitatarum*, potuisset inscribi. Nos tamen optaremus, ut fontes, ex quibus hausit, diligentius Auctor indicasset, neque dissertationes, quæ varia argumenta ad rem suam pertinentia illustrant, ipsi libro ita immiscuisset, ut, ubi dissertatio exeat, & series historiz rursus incipiat, nonnunquam vix intelligas; quod non potest non tædium creare legentibus. Monendum vero adhuc nobis est, vitas Pontificum *Alexandri VI. & Leonis X.* quæ ab Auctore nostro videntur esse conscriptæ, hic appotuisse librarium; de quibus proinde & a nobis quædam afferenda sunt. Pessimum, & omnino nefarium fuisse hominem, *Alexandrum VI.* candide faetur Auctor. De natalibus, & patria eius, accuratam suppeditat notitiam. Valentiz nimirum in Hispania, A. 1431, natus est iste Pontifex. Patrem habuit *Godofredum Lenzolium*, præcipuum in aula Regum Castiliæ ministrum, matrem vero, *Ioannam de Borgia*, cuius frater *Alphonfus*, ad pontificale fastigium evectus, nomen *Calixti III.* susceperat. Annum agens noster 24. a patruale, iam Pontifice, Romam evocatus, archiepiscopus Valentinus, & procancellarius aulæ Romanæ creatus, ac purpura apostolica decoratus est. Naluit ab eo tempore *Borgia* vocari, usque ad A. 1431. ubi, post *Innocentii VIII* obitum, altero electionis die, Pontifex ipse renuntiatus, *Alexander VI.* dici cœpit. Pretio eum, suffragia eligentium redemisse, non satis certo, ex Auctoris sententia,

pro-

probari potest. Sub initium muneris, satis sollicitè eum rebus ecclesiæ prospexisse, Auctor contendit. Terras Americanas a Columbo detectas, Regibus Hispanis eum donasse, A. dum narrat, improbat. Curam vero, quam mox educationi liberorum suorum impendit, impedivisse, quo minus negotia publica & ecclesiastica satis dextre tractaret, A. putat. Antequam nempe pontificalem thronum conscenderet, cum femina quadam Romana, *Vanozia* nomine, illicitos aluerat amores, exque adulterino concubitu, quatuor filios, unamque filiam susceperat. Quamvis autem ista femina cum marito esset coniuncta, & nemo adeo scelera Borgiæ nosset, ipse tamen, liberos istos in palatium postea recipiendo, eorumque fortunis invigilando, se patrem eorum esse publice declaravit. 6. 7. 9. 19. 22. 23. 24. 29. 31. 36.

Varia de hisce liberis Auctor profert in medium, & Alexandrum nullis facinoribus pepercisse, ut filios suos amplis ditaret bonis, fule commemorat. Etiam si vero erga filiam naturalem, *Lucretiam*, nefandis flagrasse amoribus, non certo constituit: talia nihilominus de eo narrat facta, quæ rem extra dubium videntur ponere. De famoso illo *Savonarola*, ordinis Dominicani socio, multa heic loci Auctor profert in medium, eiusque iudices, ut Pontifici, cuius pessimos mores reprehenderat, placerent, tam dure cum eo egisse, ut morti eum traderent, pronuntiat. Ordinem *Franciscanorum*, ut & equitum *S. Michaelis*, a *Ludovico XI.* fundatum, confirmasse hunc Pontificem, postea narrat. Plurima interim sub eius Pontificatu, quantum ad res ecclesiasticas attinet, gesta, non adeo magni fuisse momenti, ipsemet profitetur. Pessimorum contra facinorum, quibus ad delendas potentiores Italiæ familias, & ad maximas opes acquirendas, abusus est *Alexander*, hæc vitæ descriptio est feracissima, & ea quidem Auctor, candide satis, & prout scriptorem a partium studio alienum decet, describit. Ita & libidines Pontificis, eiusque liberorum, nec non crudelitatem ac perfidiam eius, loquitur. Veneno denique Alexandrum A. 1503. interiisse, quod in necem quorundam purpuratorum curiæ Romanæ, quorum bonis inhæbat, paraverat, a pluribus traditur. Illam ipsam tamen narrationem.

- rationem, *Odoricum Raynaldum* impugnasse, Auctor nos docet, neque an fidem mereatur ea res an minus, constituit. Primum denique istum Pontificem, defunctæ uxoris sororem ducere permisisse, observat. Excipit *Alexandrum VI. Leonis X.* vitæ descriptio, A. 1513. ad fastigium papale evecti, cum antea *Medicum* nomen gereret. Hominem satis astutum, & in rebus agendis bene versatum eundem fuisse, Auctor, acta eius
39. contra *Ludovicum XII.* enarrando, contendit. Pari calliditate, *Franciscum I.* Franciæ Regem, a Leone esse inductum, ut pragmaticam sanctionem A. 1438. conditam, quæ dominatui papali plurimum offecit, aboleret, inque eius locum, pacta, quæ *concordati* nomine vulgo veniunt, substitueret, addit.
45. Acta concilii Lateranensis, quod sub *Iulio II.* iamiam cogi cœperat, hac occasione Auctor describit. Vitæ Leonis insidias
50. struxisse duo sacri collegii membra, commemorat. Voluptates, & luxum, quibus, post adeptum Pontificatum unice vacabat, nundinationi indulgentiarum, & hanc, mutationi sacrorum ansam dedisse, contendit. Leonem X. admodum imprudenter cum *Luthero* egisse, existimat: quæ occasione, multas profecto contra *Lutherum* calumnias, dudum iam a viris cordatis & eruditis explosas, inani certe labore, repetit. Eadem ratione & via, doctrinam *Lutheri* edisserendo, procedit. *Maimburgium* & *Cocbleum*, hostes scilicet *Lutheri* infensissimos, & calumniatores impudentissimos, presso pede
59. sequitur; de multis parum a se intellectis perverse iudicat; variis *Lutheri* placitis alienum sensum affingit; multa etiam, veritati omnino contraria, imprudenter, & sine fundamento affert. Remittimus lectores ad ipsam operis inspectionem, unde facile intelligent, quanto conatu nugæ egerit Auctor, & quantopere præclaras ceteroquin lucubrationes suas, hoc pacto conspurcaverit. Veriora & meliora sunt, quæ de rebus ab isto Pontifice cum *Francisco I.* & *Carolo V.* gestis, Auctor
66. hic disputat, ita ut Leonem X. versutum satis & callidum fuisse, omni tamen pietate & moribus Apostolicis caruisse,
72. recte nobis iudicare videatur. Accedendum nobis nunc esset ad alterum huius operis Tomum, cui dissertatio præmittitur,
- iura

iura Principum, circa administrationem ecclesiarum, rursus edifferens. Ne autem lectorum patientia abutatur, tribus modo, quod aiunt, verbis, eius contenta indicabimus, cum prætertim varia, quæ prior Tomus iam continet, hic repetantur. Duplex in ecclesia regimen, spirituale & temporale, Auctor fingit. Quid iuris Regibus Israelitarum circa sacra fuerit, narrat, eosque, non tanquam Reges, sed ut summos sacerdotes eo gavisos esse, contendit. Imperatorum postea Christianorum iura in ecclesiam, inde a Constantino; eademque iura Regum Francorum, inde a Clodovæi temporibus, edisserit. Quid potestati spirituali, quid seculari, iuris in ecclesiam competat, admodum fufè, & nostro iudicio inani labore, Auctor investigat: cum omnia, quæ non *diuina* religionem, eiusque placita, sed ecclesiam tangunt, potestati seculari rectius utique tribuantur. Religionis certe dogmata ab arbitrio Principum pendere, nobiscum Auctor negat, addere tamen debuerat, a nullius omnino hominis legibus ea pendere, sed ab omni imperio humano prorsus esse libera; quod *Gerardus Noodtius* peculiari oratione iam docuit. Perperam vero hæreticos a Principibus, falsæ doctrinæ ergo, puniri posse sibi persuadet. Meliora sunt, quæ de iuribus Regum, circa liturgiæ & disciplinæ ecclesiasticæ ordinationem, disputat. Sequitur disquisitio de iuribus Principum in personas ecclesiasticas, ubi præter rem, seculares & regulares clericos Auctor distinguit, cum iura principum in omnis generis clericos utique paria sint. De cetero sic satis dextre hoc argumentum pertractat. Laudanda etiam est eius de iuribus Regum circa bona ecclesiastica disquisitio, cui, declaratio cleri Gallicani, de ecclesiastica potestate A. 1682. evulgata, subiungitur. Historiam inde iuris Canonici, hoc est, compilationes canonum legumque ecclesiasticarum, inde a Christo nato ad nostra usque tempora evulgatas, edisserit, ea potissimum, quæ Franciam respiciunt, accurate exponens. De libertatibus tandem ecclesiarum Gallicanæ, tanta curâ, doctrina, & ordine disputat, ut ea pariter, ac quæ hac occasione de conciliis admodum fufè protulit in medium, omnes harum rerum amantes, non sine voluptate lecturi sint.

Pag. 10.

49.

57.

58.

81.

99.

OBSER.

OBSERVATIONS SUR LA CURE RADICALE DE
plusieurs polypes, &c.

h. e.

OBSERVATIONES DE PERFECTA CURATIONE
plurimorum polyporum, uteri, faucium, nariumque, quos
nova methodo, a se inventa, susulit LEVRETUS,
Chirurgus.

Parisiis, apud Delaguette, 1749. 8. mai.

Alph. I. plag. 17. cum tab. æn. 6.

Cum arti obstetricæ operam longo iam abhinc tempore
navet Cl. huius operis Auctor, quod doctissima hac de
scientia conscripta testantur documenta, fieri non potuit,
quin sæpius ipsi se offerrent, qui partes genitales afficiunt,
morbos considerandi tractandique opportunitates. Hos au-
tem pro diversitate partium, quas occupant, suæque natura
multum discrepare, neminem latere posse arbitramur. Com-
mendandus itaque maximo opere est labor Cl. *Levreti*,
quod specialis cuiusdam morbi accuratiorem instituit dis-
quisitionem, & ita quidem suo perfunctus est officio, ut, si
non omnibus, qui hac de re quidquam prodiderunt, antepo-
nendus sit, nemini tamen videatur secundus. Proposuerat sibi
Vir Clar. agere primo de uteri carnosæ fungosæque excre-
scentiis, quas polypos vocant: cum vero magnam eorum
convenientiam videret cum faucium nariumque polypis,
horum quoque considerationem suscipit, simulque de heruiis
uteri & vaginæ dispicit. Omnis tractatio duabus absolvitur
partibus, quarum quælibet in suas dividitur sectiones & capi-
ta. Per polypum intelligit tumorem circumscriptæ magnitu-
dinis, magis vel minus eminentem, & quoad figuram cum ex-
crescentia carnosæ, vel fungosæ, convenientem. Figura py-
rum æmulatur, seu, oblonga est, tenuique principio adhæret.
Nomen a polypo traxit marino: eius vero declarata breviter
natura & figura, cum posteriori talis polypi parte magis,
quam cum eius pedibus, hunc convenire morbum monstrat.

Pag. 2.

Qui-

Quilibet polypus pediculo adhæret, de quo hanc fovet sententiam, quam multis aliorum Auctorum testimoniis, experientiaque confirmat, eum nimirum simplicem esse & unicum, deinde vero in plures se dividere partes, vel ramos. Et hæc quoque ratio est, cur omnes, quas alii nominare solent uteri vaginæque excrescentias carnosas fungosas, polypis accenseat. Polyporum natura veteribus vel plane erat incognita, vel de sede morbi non conveniebant inter se. Cercosia enim, sub quo nomine polypos indigitabant, suam sedem vel in utero, vel in clitoride habere, plerique affirmabant. Quo vero accuratius de sede & curatione ferri possit iudicium, omnes polypos dividit in illos, qui ex utero, & in eos qui ex vagina oriuntur. Uterinorum polyporum tres esse species observat, in quarum recensione ad hæc respicit, ut earum existentiam comprobet, signa postea diagnostica adducat, comparisonem deinde cum aliis tumoribus instituat, casus denique, ubi ligatura adhiberi potest, explicet, remedia tandem proponat, quibus vel alias obviam ire solent eiusmodi morbis, vel quæ recens ab eo inventa fuerunt, quæque eam utilitatem habent, ut varia per illa præcaveri possint symptomata. *Pri-* 14.
ma species eos complectitur polypos, qui cum fundo uteri co- hærent. Huc quoque illæ referuntur molæ, quæ per pediculum cum interna uteri cavitate connectuntur, hinc a polypis vix differunt. Vere autem dari polypos eiusmodi, observationes, corporumque docuit dissectio; hi quoque id singulæ habent, quod statò quodam tempore sanguinem fundant, quo phænomeno plures seducti, crediderunt, uterum prolapsum esse, quod casus ab antiquioribus æque ac recentioribus adducti evincunt. Genuinam autem causam sanguinei huius profluvii in eo quærendam esse autumat, quod vasa insint hisce polypis, quæ ob eam, quam in orificio uteri, dum exeunt polypis, patiuntur constrictionem, varicola reddita sanguinem fundunt. *Altera species* disquirat polypos qui cervici uteri ad- 49.
 nascuntur, sed minus frequentes esse deprehenduntur. Differunt a prioribus, quod eos nulla subsequi solet hæmorrhagia, cum eorum pediculus, libere hærens, comprimi se non

- pag. 57. patiatur. Utriusque speciei figuras dedit. *Tertia* denique & rarissima *Species* illorum est, qui in uteri orificio constituuntur, & dignoscuntur, si polypus in vagina hæret, uteri vero orificium paulo ad latus declinatum est; præterea & hi crassiores habent reliquis pediculum. Omnes autem secundum novam, a Cel. Auctore inventam, methodum, ligatura tolli poterunt. Ad curandam igitur tertiam speciem, in qua primo periculum fecit ligandi polypos, accedens, suscipere tentabat, eandem filo per orificia suprema ramorum transmissio, illius forcipis, quo chirurgi alias prehendere solent polypos narium; eius vero ineptitudinem, aliaque inde provenientia incommoda intelligens, novum invenit auxilium. Forcitem nimirum, qui forma sua a vulgari non differt, nisi quod longior est, & orificia suprema ramorum trochlea instructa habeat, ad ramorum vero inferiorem coniunctionem ansas quasdam contineat, pari modo trochleas continentes. Huic instrumento, cui filum adaptatur, nomen dedit *Porte-anse*, sive *Serroneud*. Cum autem solo hocce adminiculo, nec circularis, quo polypum rite comprehendat, fili forma servari, nec ad destinatum sibi locum deferri, ibidemque retineri posset, aliud adiunxit instrumentum, cui conductoris ansæ, *conducteur de l'anse* nomen est, tribusque partibus, fulcato scilicet specillo, filo, qui in eius sulco continetur, & manubrio, in quo cochlea absconditur, constat. Hisce vero modis & ipse sustulit polypos, & alios, hac methodo utentes, feliciter rem suam peregisse, observationes recensitæ demonstrant. Ipsam applicandi hæc instrumenta rationem fuse clareque describit, & ut omni casui sint apta, in primis si nimis magnus fuerit polypus, alterius cuiusdam conductoris, ut vocat, construendi modum exponit. Accidit tamen haud raro, ut nonnulli morbi, natura sua diversi, in quibusdam convenient momentis, ac iudicium & curandi rationem reddant difficiliorem. Hoc itaque, ne in hoc eveniat casu, uterique prolapsus cum polypo confundatur, quod funestum esse posset ægrotæ, hernias uteri secundo loco tractat Cl. *Levetur*, & quatuor earum genera recenset. Uterus enim vel descendit in vaginam, neque

tamen invertitur, quem *descensum incompletum sine inver-* Pag. 111.
sione nominat, & hisce notis distingui posse asserit, quod in
 vagina corpus detegatur, orificio instructum, quod reponi possit,
 atque pessario retineri, quæ cuncta in polypo, sine mali aug-
 mento, summoque ægræ dolore, fieri nequeunt. Vel prolabi-
 tur totus uterus extra vaginam, sine inversione, qui *prolapsus* 115.
completus sine inversione dicitur, & detegitur, si latitudo ma-
 ior sit tumoris ad vulvam, quam in inferiori parte, si inferius
 orificium conspicitur, & simul inversa vagina introitum digi-
 to inter uterum atque vaginam denegat. Polypus ab una tau-
 tum parte adcrevit, ceterum liber hæret, uterus undiquaque
 adhæret. Descendit quoque uterus, ita ut fundus eius inverta- 127.
 tur, & per orificium prolabatur, quo ipso transversalis orifi-
 cii uteri diameter augetur. Rariores tamen hi casus sunt,
 plerumque post partum laboriosum, vel placentam vi abru-
 ptam, relictæ. Tandem, omnis uterus invertitur, quem mor- 137.
 bum *herniam completam cum inversione uteri* nuncupat, dum
 nimirum fundus corpusque uteri per suum descendit orifi-
 cium. Hic cum polypo facile posset confundi, sed respi-
 ciendum est & ad tumoris molliem, & ad illud, quod me-
 dio loco eminet, tuberculum, nec via patet ad uterum par-
 tem inter quæ propendet, & vaginam, idque, quod pro pedi-
 culo assumi posset, longe mollius esse deprehenditur, quam re- 144.
 liquus tumor. Expositis hisce, polypos vaginæ accuratius
 exponit, & illos considerat morbos, qui polypos vaginæ imi-
 tari possunt. Vaginæ polypos sæpe a venereis morbis ori-
 ginem trahere putat, & secundum methodum, quæ his mor-
 bis convenit, tractandos esse autumat. Incaustum vero adhi-
 bitis remediis, ad ligaturam confugiendum esse monet. Signa,
 quæ hunc polypum manifestant, sunt origo ex substantia va-
 ginæ, & membrana eiusdem relaxata, quæ reponi se non
 patitur. Reliqui autem vaginæ tumores, ab herniis viscerum
 propinquorum enati, quo a polypis secerni possint, peculiari 149.
 quosque capite percurrit. Velicæ hernia in supræma vaginæ
 parte eminet, removeri potest, ut ægra deinde facilius uri-
 nam demittat, vel specillo adhibito urina si evocetur, tumor
 eva-

- Pag. 154. evanescit. Epiploï & intestinorum herniæ, in lateralibus vaginæ partibus tumores excitant, qui itidem removeri possunt, & flatibus, in intestinis huc delapsis, rugientibus patefcunt. Hernia entero epiplovaginalis tumore inæquali, & repositione incompleta, noscitur. Prout vero uterus, ita quoque vagina sola, vel intestinum rectum nonnunquam prolabitur, de quo
166. utroque morbo in genere notat, non omnem vaginam aut intestinum e sede sua turbari, sed inteream tantum eius tunicam, quod exemplis confirmat, simulque eam ligaturam admittere comprobat. Præstitis hac ratione iis, quæ sibi expedienda propoluerat Cl. Auctor, suæ methodi instituit disquisitionem, & quæ in perficienda illa præstiterit, recen-
189. set. Loco nimirum supra descriptorum instrumentorum, nova quædam invenit, quæ & maioribus polypis tollendis sufficiant, nodosque iis inducendos validiores reddant, quæ etiam, ut priora, figuris adiectis illustrantur.
- Minime tamen uterus aut vagina pro solis partibus habenda sunt, quæ polypis infestentur, dantur quoque tales in aliis corporis locis: quapropter in altera operis parte, capitis polypus, & ex his narium fauciumque considerat, iterumque de signis, quæ polypus curationem admittere declarant, dispicit. Ad polypus, qui nares vel fauces occupant, tollendos, variz in usu fuere methodi. Narium in primis polypus auferre
- 213, 217. tentabant per remedia consumentia & cauteria, per sectionem, per evulsionem; quibus autem modis omnibus, nec hæmorrhagia accedens facile sisti, neque aliz noxæ commode evitari poterant. Hinc eam præfert methodum, qua per ligaturam tollere hos morbos suscepere chirurgi. Non enim veteres solum, inter quos est Hippocrates, sed recentiores quoque, ex quibus Heisterum, Gorterum, aliosque adducit, ligatura usi sunt, quamvis diversam adhibuerint rationem. Quo itaque secure simul hæc instituat operatio, de nova circumspexit methodo, eamque sollicitè descripsit. Explicatis vero his, & declarata, quantum ad scopum pertinebat, polypi natura, & generandi modo, de iis loquitur generibus, quæ non suo solum pediculo, sed in laterali quoque ambitu, partibus adnascuntur.

Hos

Hos vero, cum consueta per filum circumductum methodo ligari non possint, aliter aggressus est, instrumentis nimirum hunc in finem inventis, adhaesionem eorum resolvens, tandemque ligaturam pediculo iniciens. Eadem ratione in fauces propendentes polypi tractari debent; sed quo facilius procedat operatio, recenter excogitato utitur speculo oris, quod ex lamina chalybis polita, qua lingua deprimitur, lateralibusque constat partibus, quibus os apertum servetur. Si existens in faucibus uvula, lassa, vel exulcerata, refecari debeat, forficem in superiori parte incurvatum convenire docet: si vero intumescat, praeter ligaturam nullum tutius adhiberi posse remedium evincit. Progreditur deinde ad polyporum, sic dictorum, mucosorum considerationem, qui nec ligatura, nec sectione tolli possunt: hinc eos, nova quadam in membrana pituitaria excitata inflammatione, eamque subsequente suppuratione, feliciter auferri posse suspicatur, & de novo quodam, huic fini adaptato instrumento, differit. Saepe tamen accidit, ut exulcerati polypi ozænam producant, quare & ille morbus perpendendus fuit. A causa venerea orta ozæna, consuetis si huic morbo obviam itur remediis, tollitur: ab evulsione violenta polyporum si enascitur, aliquando praecipitato rubro, peculiari modo applicato, eum sustulit. Satisfecit itaque suo proposito, omniumque expectationi Cl. Auctor, & quæ de polyporum natura & curandi ratione tradi debebant, dilucide exposuit. Ne vero deesset quidquam, varia subiungit additamenta, quæ ipsi tractationi inferri non poterant. Describit autem a Cel. *Cat* inventum pro ligandis profundis polypis instrumentum, additque observationes sex, de narium fauciumque polypis, a chirurgo *Manno*, in peculiari de polypo nasali libello, propositas, modeste contra eum differens, quod plures unius polypi, in uno eodemque viscere orti, assumserit pediculos. Ultimum huius libri caput complectitur satis amplas figurarum additarum descriptiones, inter quas omnia, a nobis indicata instrumenta, continentur; singulæ vero merentur, cum hic describi fufius nequeant, sollicitè inspicere. Ne vero artis chirurgicæ tyronibus obscuritatis quidquam super-

Pag. 293.

298.

307.

319.

330.

337 seqq.

perfit, omnium vocum, quas technicas appellant, secundum seriem litterarum dispositam explicationem adiecit.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM
Petropolitane. Tom. XIII. ad an.

1741 - 1743.

Petropoli, 1751.

Alph. 2. plag. 14. Tab. æn. 14.

In huius Tomi classe mathematica continentur 1) Excerpta ex litteris Dan. Bernoulli ad Leonhardum Eulerum. Proposuerat hic Bernoullio quædam problemata, calculum integrale concernentia; quare Bernoullius, Eulero de novo fere calculi integralis genere perscripto, gratulatus, hic solutionem cum & integrationem æquationum propositarum differentialium Eulero communicat. Unius tantummodo æquationis solutionem speciminis loco, addere spatium permittit. Eulerus Bernoullio æquationem sequentem:

$$y + \frac{a dy}{dx} + \frac{\beta d^2 y}{dx^2} + \frac{\gamma d^3 y}{dx^3} + \frac{\delta d^4 y}{dx^4} + \&c. = 0$$

integrandam proposuerat. Assumpta igitur serie quadam alia $1 + \alpha x + \beta x^2 + \gamma x^3 + \delta x^4 + \&c. = 0$, cuius radices sint $A, B, C, D, \&c.$ ita ut sit $(x - A), (x - B), (x - C), (x - D), \&c. = 0$ Bernoullius inuenit $y = ae^{Ax} + be^{Bx} + ce^{Cx} + de^{Dx} + \&c.$ deno-

tante e numerum, cuius logarithmus est unitati æqualis. 2) De extractione radicum ex quantitatibus irrationalibus L. Euleri Dissertatio. Quantam crucem Mathematicis fixerit extractio radices ex binomio vel residuo, nemo est qui ignorat. Veteres eo usque tantum progressi erant, ut dato binomio $A + B$, vel residuo, $A - B$ huius qualitatis, ut $A^2 - B^2$ sit numero quadrato C^2 æqualis, invenerint $\sqrt{A + B} = \frac{\sqrt{A + B}}{2} + \frac{\sqrt{A - C}}{2}$, & $\sqrt{A - B} = \frac{\sqrt{A + C}}{2} - \frac{\sqrt{A - C}}{2}$. Loco hu-

ius

ius regulæ paullo generaliorem substituit Eulerus, ponendo datum binomium $= \sqrt{a} \pm \sqrt{b}$, & quoniam ex tali binomio radix extrahi potest, quoties $a(a-b)$ numerus quadratus est, assumitur $a(a-b) = c^2$, ac differentia $a-b = d$, unde habe-

$$\text{tur radix quadrata ex binomio } \sqrt{a} \pm \sqrt{b} = \frac{\sqrt{c+d} + \sqrt{c-d}}{\sqrt{d}}$$

Multo maiori difficultate laborat extractio radicis cubicæ, vel cuiusvis altioris potestatis ex eiusmodi binomio. Quamvis enim veteres in eiusmodi regula inveniendâ satis defudarint, nemo tamen eam detexit, donec Newtonus, in Arithmetica universalî promulgavit talem regulam, pro radice cuiuscunque potestatis ex proposito binomio inveniendâ, modo binomium radicem illius potestatis admittat. At Eulerus, cum ipsi occurreret binomium $\sqrt[5]{5} - 11$, cuius radix constabat fore $= \frac{\sqrt{5+1}}{\sqrt[5]{16}}$, periculum facere placuit, utrum Newtoniana regula eandem radicem præbeat, nec ne? Unde cum invenisset, secundum Newtonianam methodum radicem fore

$$= \frac{\sqrt{10} + \sqrt{12}}{\sqrt[10]{8}}$$

hanc vero a supra dicta radice vehementer differre, regulamque igitur Newtoni hoc vitio laborare, quamvis alioquin in forma binomia possibilem, non exhibeat, novam quaerivit Eulerus, ope cuius radix n ex binomio $A \pm B$ extrahi queat; ubi tamen quantitates A & B ita comparatæ supponuntur, ut non modo fractionibus non affectæ sint, verum etiam irrationalitatem aliam, quam simplicem signo radicali quadrato contentam, non admittant, unde partium huius binomii quadrata A^2 & B^2 debere esse numeros rationales, manifestum est. Posita itaque forma radicis quaeritæ

$$= \frac{x+y}{\sqrt[2n]{p}}, \text{ nec non } \sqrt[n]{(A+B)^p} = r \pm \text{ fractione, } \&$$

$\sqrt{n}(A-B)^2p = s \mp$ fractione, denique $p = \frac{r^n}{A^2 - B^2}$, (unde valor r facile cognoscitur), inveniit Auctor radicem desideratam $= \frac{\sqrt{(2r + s + t)} + \sqrt{(s + t - 2r)}}{2\sqrt{2n} p}$. Cuius formulæ

usus & applicatio fusius proponitur, circa quam illud tantum adiciendum ducimus, valores litterarum s & t esse duas radices, quarum altera paulo maior, altera paulo minor esse debet radice quaesita. Quodsi fractiones, has litteras afficientes, tales sint, ut $s \pm$ fract. + $t \mp$ fract. numero integro æqualis, vel saltem quam proxime æqualis sit, indicio erit, dari radicem binomii propositi, si minus, non dari. Huic tamen methodo, quamvis latissime patere videatur, ita ut perpetuo felici successu adhiberi queat, illud tamen incommodi inest, quod ad eiusmodi binomiis, quibus quantitates imaginariæ insunt, accommodari nequeat. Huic tamen incommodo medela quoque affertur. Ab his Auctor pergit ad negotium multo latius patens, methodumque tradit, non solum ex quantitibus surdis, binomii forma contentis, verum etiam utcumque irrationalibus, radices dati ordinis extrahendi: cuius usus quam late pateat, ex unico exemplo satis apparebit, ubi Auctor ope modo dictæ methodi, quantitatis $-\sqrt[3]{3} + \frac{1 + \sqrt{-3}}{6} \frac{\sqrt[3]{7}}{2} (-1 - 3\sqrt{-3}) + \frac{1 - \sqrt{-3}}{6} \frac{\sqrt[3]{7}}{2} (-1 + 3\sqrt{-3})$ radicem invenerit $= -\frac{\sqrt{-7}}{3} + \frac{1}{3} \sqrt[3]{\frac{\sqrt{-7}}{4}}$

$(-1 + 3\sqrt{-3})^2 + \frac{1}{3} \sqrt[3]{\frac{\sqrt{-7}}{4}} (-1 - 3\sqrt{-3})^2$. Ex

quo de ceteris iudicare licet. 3) I. Bernoulli Problema analyticum, quo æquationem differentialem huius formæ $y dx + ax dy + \frac{bx^2 ddy}{dx} + \frac{cx^3 d^3y}{dx^2}$, &c. = 0, in qua dx pro con-

stan-

stante assumitur, reducitur ad hanc $mx^ny \mp C = 0$. 4) Observationes analyticae variae de combinationibus, Auctore L. Eulero. Dentur series:

$$\begin{aligned} A &= a + b + c + d + e \ \&c. \\ B &= a^2 + b^2 + c^2 + d^2 + e^2 \ \&c. \\ C &= a^3 + b^3 + c^3 + d^3 + e^3 \ \&c. \\ &\ \&c. \end{aligned}$$

Ex productis quantitatum $a, b, c, d, e, \ \&c.$ formentur novae series, & primo quidem ponantur quantitates singulae, post facta ex binis inaequalibus, dein ex ternis inaequalibus, & sic porro, exclusis semper productis cuiuslibet factoris in se ipsum, videlicet $a^2, b^2, c^2, d^2, \ \&c.$ unde erit

$$\begin{aligned} \alpha &= a + b + c + d + e \ \&c. \\ \beta &= ab + ac + ad + bc + bd + cd \ \&c. \\ \gamma &= abc + abd + acd + bcd \ \&c. \\ &\ \&c. \end{aligned}$$

Quodsi numerus terminorum fuerit $= n$, erit numerus terminorum in serie $\alpha = n$, in serie $\beta = \frac{n(n-1)}{1, 2}$, in serie $\gamma = \frac{n(n-1)(n-2)}{1, 2, 3}$, &c. uti facile per inductionem invenitur.

Fiant novae series, in quibus factores aequalium non, ut ante excludantur, & erit

$$\begin{aligned} \mathfrak{A} &= a + b + c + d + e \ \&c. \\ \mathfrak{B} &= a^2 + ab + b^2 + ac + bc + c^2 \ \&c. \\ \mathfrak{C} &= a^3 + a^2b + ab^2 + b^3 + a^2c + abc \ \&c. \end{aligned}$$

ubi denuo patet, numerum terminorum fore in serie $\mathfrak{A} = n$, in serie $\mathfrak{B} = \frac{n(n+1)}{1, 2}$, in serie $\mathfrak{C} = \frac{n(n+1)(n+2)}{1, 2, 3}$, &c.

Haec series inter se mirificum in modum permutari ac misceri possunt, egregio sane rei mathematicae commodo.

Sit v. g. $R = (1 + az)(1 + bz)(1 + cz)$ &c. cuius factores si actu multiplicentur, ac termini secundum exponentes ipsius z disponantur, fiet coefficientis ipsius z æqualis summæ quantitatum $a + b + c$ &c. Coefficientis z^2 erit productum ex binis inæqualibus; coefficientis z^3 erit summa omnium productorum ex ternis inæqualibus, & sic porro. Unde, ope serierum supra expositarum, oriuntur quintuplices litteræ R expressiones, nimirum

$$R = 1 + az + \beta z^2 + \gamma z^3, \text{ \&c.}$$

$$R = \frac{1}{1 - Az + Bz^2 - Cz^3, \text{ \&c.}}$$

$$R = \frac{az + \beta z^2 + \gamma z^3 + \delta z^4, \text{ \&c.}}{Az - Bz^2 + Cz^3 - Dz^4, \text{ \&c.}}$$

$$R = \frac{az - \beta z^2 + \gamma z^3, \text{ \&c.}}{Az - Bz^2 + Cz^3, \text{ \&c.}}$$

$$R = \frac{Az - Bz^2 + Cz^3, \text{ \&c.}}{Az - 2Bz^2 + 3Cz^3, \text{ \&c.}}$$

Ab his Auctor ad specialiora pergit, & loco quantitatum utcunque inæqualium a, b, c, d, e , &c. substituit potestates n, n^2, n^3, n^4, n^5 , &c. harumque serierum qualitates investigat, nec non problema a Naudæo ipsi propositum solvit, definiendo, quot variis modis datus numerus produci queat ex additione aliquot numerorum integrorum inter se inæqualium, quorum numerus detur, nec non, quot variis modis datus numerus m per additionem μ numerorum integrorum, five æqualium, five inæqualium, produci queat: ut cetera iam taceamus. Coronam huic dissertationi imponit observatio, quam quidem rigore geometrico demonstrare Auctori nondum licuit, notatu tamen digna. Terminis enim

$$(1 - n)(1 - n^2)(1 - n^3)(1 - n^4)(1 - n^5), \text{ \&c.}$$

actu

actu multiplicatis, prodit series

$$1 - n - n^2 + n^5 + n^7 - n^{12} + n^{22}, \&c.$$

in qua ex tantum occurrunt potestates litteræ n , quarum exponentes forma $\frac{3x^2 \pm x}{2}$ continentur. Ac si x sit numerus

impar, potestates $n^{\frac{3x^2 \pm x}{2}}$ coefficientem habent -1 , sin vero x numerus par sit, coefficientis erit $+1$. Præterea observatur ex evolutione fractionis

$$\frac{1}{(1-n)(1-n^3)(1-n^5)(1-n^7), \&c.}$$

oriri seriem recurrentem $1 + n + 2n^2 + 3n^3 + 5n^4 + 7n^5$, in qua coefficientis cuiusque potestatis n tot continet unitates, quot variis modis exponens ipsius n in numeros integros dividi potest. 5) *Dan. Bernoulli* commentatio de motu mixto, quo corpora sphaeroidica super plano inclinato descendunt. Posito circulo DFA , cuius centrum oscillationis sit in C , (quod scilicet circulo competeret, si ex A suspenderetur,) impulso in A potentia tangentiali AG , rotationem fieri ponit Auctor non in centro B , sed in puncto C , quod adeo durante rotatione minima immotum manebit. Velocitas vero puncti A , si massa totius circuli sit $= M$, erit $= \frac{BC}{AC} M$.

Fig. A.

Quodsi iam circulus super plano inclinato MP devolvatur, et cetera maneant ut ante, derivabitur inde velocitas absoluta centri $B = \left(\frac{MN}{MP} - \frac{AG}{M} \right) t$, ubi AG frictionem, t vero tempus motus denotat. Velocitas angularis vero, qua quodvis peripheriæ punctum circa centrum B volvitur, erit $= \frac{AG \cdot AB}{BC \cdot M} t$. Hanc theoriam experientia respondere ostendit 6) *G. W. Krafft*, in additamento dissertationis præcedentis, qui simul varias motus, in rotatorium, reptorium, et similes

Fig. B.

species, divisiones, dilucide exponit. Hanc tractationem excipit 7) De vibrationibus et sono laminarum elasticarum commentatio physico geometrica, Auctore *D. Bernoulli*. Nemo adhuc de laminarum vibratorum sono diferte egit. Quamvis enim de chordarum vibratorum sono multa consent, harum tamen oscillationes, a laminarum vibrationibus longe diversas esse, celeberrimus Auctor observat. Primo itaque loco vibrationes laminæ vno extremo muro infixæ considerat, easque determinat, comparationem cum oscillationibus penduli isochroni instituyendo, eiusque longitudinem determinando. Tum ad sonum progreditur, ac theoriam experientiz egregie respondere ostendit, eandem materiam mox sub acutiorem limam revocaturus. Sequitur 8) *G. W. Krafftii* peripheria circuli mechanicè dupliciter rectificata. Communicavit cum Auctore eiusmodi mechanicam solutionem *Henricus Kühn*, Prof. Mathem. Gedan. cuius ope problema brevissime absolvitur. Capiatur subtensa arcus 120 graduum, quod facile fieri potest abscindendo ope semidiametri arcum 60 graduum, huic addatur subtensa arcus graduum 90; summa ad peripheriam proxime accedit, adeo ut proportionem Ludolphianam fractione $\frac{1055737}{1055736}$ tantum excedat. Huic solutioni Auctor alteram de propriis addit, priore exactiorem. In circulo proposito *ADB* bisectis peripheria in *D*, radioque *CB* in *E*, capiatur *EF = ED*. Tum applicata *CF* in *BG*, et bisecto arcu *BG* in *H*, erit ${}^2BD + BH$ desideratae semiperipheriæ aequalis, et a Ludolphiana nonnisi exigua satis fractione $\frac{1055734}{1055736}$ recedet. Additur et tertia, quæ tamen cum a triplici trisectione anguli 60 graduum dependeat, vix quidquam utilitatis in praxi geometrica allatura videtur. 9) *Eulerus* de motu oscillatorio corporum flexibilium. Quamvis doctrina de motu oscillatorio ab *Hugenii* temporibus ita pervestigata sit, ut fere exhausta videri possit, et ipse *Eulerus* quoque in horum Commentariorum Tomo VIII. latissime patentem dissertationem hac de re promulgaverit: nihilominus nonnunquam occurrunt casus, peculiari explicatione indigentes. Hunc in numerum refert

Fig. C.

quæ-

quaestionem, quam Bernoullius ipsi, circa corpora rigida de puncto fixo ope fili suspensa, proposuerat: qui casus primo intuitu ille idem videtur, quem Hugenius in ipso initio expedivit; filum enim in hac quaestione subtilissimum ponitur, ita, ut perpetuo in lineam rectam maneat extensum. Nihilominus magnum inter hos casus discrimen intercedit. Namque in casu Hugeniano corpus, non aliter mobile statuitur, nisi circa axem, ex quo est suspensum; in hoc igitur negotio corpus cum filo, cui annexum est, tanquam corpus rigidum, omnisque flexionis incapax, spectatur. Quamvis autem in casu Bernoulliano animus a flexibilitate fili abstrahatur, seu eius loco virga rigida substituatur: tamen iste motus more consueto definiri nequit, nisi simul iunctura, qua corpus cum filo seu virga connectitur, omnis mobilitatis experta sit. Quodsi autem corpus circa hanc iuncturam motum recipere valeat, durantibus oscillationibus corpus non solum circa axem fixum feretur motu angulari, sed etiam circa iuncturam quodammodo vacillabit; quaeritur fit, ut methodo usitata per centri oscillationis investigationem, verus motus oscillatorius determinari nequeat. Ad hanc similesque quaestiones cum distincte intelligendas, tum expedite resolvendas, naturam motus oscillatorii ex ipsis principiis altius repetit, et a simplicioribus ad magis composita progrediendo, ad solutionem modo dicti problematis Bernoulliani sese accingit, eamque penitus absolvit. Subsequitur 10) *Dan. Bernoulli* ulterior tractatio, de sonis multifariis laminarum elasticarum. Postquam Auctor Academiae communicasset meditationes illas, quarum supra iam mentionem fecimus, non desuit hoc argumentum ruminari, & sub alia atque alia facie considerare: quibus scrutationibus ac perquisitionibus intento, tot egregiae se obtulerunt proprietates, ut operae pretium duxerit, singulas ad experimenta revocare. Vibrationes in genere in duas classes dividit, eas scilicet, quae ita lente fiunt, ut visu distinguere, ac proinde temporis momenta numerare liceat; et eas, quae ita sunt celeres, ut solo auditu, ex sono, quem generant, distinguere possint.

In priori dissertatione de utraque verba fecit, in hac tantum agit de vibrationibus, quae sonum gignunt. Modi, quibus a lamina elastica sonus elici potest, sunt plurimi, quorum praecipuos hic exponit. Primus est, cum lamina elastica, extrema sui parte, muro vel alii obiecto firmo infigitur et vibratur, de quo in superiori dissertatione praecipue actum fuit. Modus alter est, cum laminae elasticae e filo suspensae percutiuntur. Tertium locum obtinet, cum laminae ambabus suis extremitatibus duobus planis parallelis perpendiculariter infixae percutiuntur; quartum, cum ambae extremitates praedictis planis non quidem infixae sunt, sed innituntur tamen. Ex quibus modi mixti dantur quamplurimi. Harum specierum omnium naturam ac indolem fusius exponit A. et inde sonum in quolibet casu orientem determinat, omniaque ad formulas algebraicas reducit, experientiae adeo conformes, ut exempla, in quibus formulae ob neglectum quarundam quantitatum minimarum vel maxime aberrare debuissent, eas plus quam credi potest accuratas esse docuerint. 11) *L. Eulerus* de descensu corporum super plano inclinato aspero. Ansam huic dissertationi dederunt ea, quae, ceu supra dictum est, viri celeberrimi, *Kraftius* et *Bernoulli*, de hoc motus genere commentati sunt, quorum alter per experimenta, alter a priori, regulas descensus corporum super plano aspero determinaverat. Siquidem igitur vidit Auctor celeberrimus, viros laudatos diversas vias esse ingressos, quibus scopum intentum attigerint: non solum actum se haud acturum arbitratus est, si suam methodum dilucide exponeret, sed etiam perficiendae theoriae eo magis consultum fore, quo plures viae ad eandem veritatem ducentes detegantur, atque ad usum accommodentur. Et si enim omnes ad eundem scopum pertinent, aliae tamen aliis longius deducunt, atque ad alias veritates, cognitione non minus dignas, aditum patefaciunt. Hanc vero tractationem merito praecedit theoria motus super plano horizontali aspero, cum ab hoc ad motum super plano inclinato deveniatur, quem motum cum idem *Eulerus*, 12) in tractatione hanc subsequente, consideraverit, utriusque tenorem hic breviter conjungere licebit.

Ante

Ante omnia vero Auctor monet, sermonem hic tantum esse de motu solidorum, siquidem de fluidis nihil omnino dici potest, nisi motus eorum intestinus dilucide cognoscitur. Antequam autem ipsa lex motus hoc in casu determinari queat, necessarium erat, vires, corpus sollicitantes, et motum rotatorium efficientes, curatius considerare, earumque directionem investigare. Auctor igitur a simplicioribus ad magis composita progressurus, primo loco assumit corpus *ADB*, superficie quadam plana *BA*, plano horizontali *OV* impostum, cuius centrum gravitatis sit in *G*, ex quo perpendicularis *GC*, demissa in planum *OV*, cadat intra basin *AB*. Imprimatur huic corpori motus in directione horizontali *GF*, quo facto perspicuum est, corpus hunc motum continuare non posse, nisi radendo planum super quo movetur, superficie *AB*. Corpus igitur, dum inaequalitates plani superat, frictionem pati dicitur. Dum autem aequalia spatia percurrendo, aequalia obstacula offendit, motus eius perinde retardabitur, ac si vi quadam constante retro urgeretur. Manifestum autem est, dum frictio in ipso corporis et plani contactu *AB* gignitur, eius directionem quoque in hoc loco esse positam: quare, cum eius directio sit directioni motus *GF* contraria, frictio erit vis, qua corpus continuo, durante motu, in directione *CO* retrahitur. Intelligitur ergo, quoniam frictionis directio, non per corporis centrum gravitatis *G* transit, non modo a frictione corporis motum progressivum retardari debere, verum ex frictionis vi momentum enasci; quod tendat ad motum rotatorium corpori circa axem horizontalem per centrum gravitatis ductum normalem, ad directionem motus *GF*. inducendum in sensum *DHAC*, vel, quod eodem redit, ad corpus circa *A* prosterendum, quae prostratio etiam actu eveniet, nisi magnitudo baseos illud impediatur. Frictio igitur spectari potest ut vis, quae motum retardare valet. Consequenter cum alia vi retardatrice, v. g. vi gravitatis, comparari potest; quod, quomodo fiat, ab Auctore traditur. Quibus expositis, facile retardatio motus progressivi corporis *ADB* pro quovis momento assignari posset, modo constaret, corpus a frictione non prostratum

Fig. D.

iri.

iri. Quamobrem ante omnia definiendum erat, quibus in casibus corpus motum impressum conservare usque ad quietem possit, et in quibus casibus frictio corpus *A* subvertere valeat. Posito igitur, frictionem sufficere ad corpus prosternendum, atque corpus iam proclive esse ad lapsum: hoc casu corpus in sola extremitate *A* plano innitetur, cum reliqua pars basis jam elevari, et circa *A* converti incipiat. In eo statu corpus totam pressionem in solo puncto *A* exeret. Status ergo corporis huc reducitur, ut a tribus viribus sollicitetur, primo nempe propter gravitatem a vi *P* in directione *DC*, deinde iterum vi = *p* in directione *AE*, quae ex reactione plani oritur, ac tertio denique propter frictionem a vi quadam *F* in directione *CO*. Harum virium duae priores ad rotandum vel prosternendum corpus nihil conferunt, ut ex directionibus earum perspectu facile est. Sola igitur frictio *F* in directione *CO* agens, eiusmodi motum rotatorium inducere valet. Quibus expositis Auctor determinat, quibus casibus frictionis vis ad corpus prosternendum sufficiat, et quando non sufficiat, sed corporis motum tantummodo retardet, donec ad quietem reductum sit. Cum vero eiusmodi corporis irregularis prostratio, et percussio inde oriunda, motum quoque irregularem efficiat, eorum tantum corporum Auctor motum considerat, quae eiusmodi percussioni non sunt obnoxia, videlicet globum, cylindrum, et eius generis alia: de ceteris ostendisse contentus, quo momento penitus provolvantur, et plano aliam superficiem obvertant. His via sternitur ad motum super plano inclinato cognoscendum, ubi Auctor invenit, si

Fig. E. corpus *ELMD* plano *AB* imponatur, ac pondus eius sit = *P*, frictio horizontalis vero = *F*, corpus modo dictum tandiu in quiete permanere, donec anguli *ABC* tangens,

fractionem $\frac{F}{P}$ excedat, unde facile deducitur methodus

Bülsingeriana, frictionem horizontalem determinandi. Notato enim angulo *B*, quo corpus super plano pedetentim elevato descendere, inchoat, frictio horizontalis erit = $F = \frac{P}{AC}$.

$\frac{AC \cdot P}{BC}$ posito sinu toto = 1. Ex his cognoscitur porro, motum corporis super eiusmodi plano aspero fore uniformiter acceleratum. His ad diversas corporum figuras applicatis, variae inde profuunt regulæ, vel progressionis, vel rotationis, vel provolutionis corporum, prouti horum figuræ inter se differunt: quas tamen regulas omnes hic explicare per spatium non licet; quasdam eligere, cum omnes æque sint egrægiæ, principium rationis sufficientis prohibet, quare fundamenta huius theoriæ expoluisse sufficiet. Progredimur 13) ad *G. W. Kraftii* commentationem de methodis horologia solarum prompte delineandi. Horologiorum descriptionem inter utiliora Matheseos inventa referendam esse, extra omnem dubitationis aleam positum est. Hoc maiorem itaque laudem merentur ii, qui promptitudini & commoditati constructionis intenti, scalas delinearunt, quarum ope horologia sine omni negotio facillime describentur. Hos inter merito referuntur inventores linearum gnomonicarum, regulis insculpi solitarum, & ad horologia describenda aptissimarum, *scalarumque sex horarum & linearum latitudinum* nomine venientium; quarum utrarumque adminiculo coniuncto, ad cuiusvis loci terrestris latitudinem inveniendam, citissime horologium horizontale construi potest. Illud igitur in præsentem agendum sibi sumit Auctor celeberrimus, ut usum indicatorum linearum distincte & breviter exponeret, hancque præxim geometrica demonstratione, hucusque variis in libris ab Auctore quaesita, suffulciret. Quamvis enim *Schootenius*, in *Exercitationibus mathematicis*, eiusmodi demonstrationem dederit, quæ absoluta iam hac tractatione Auctori sese obtulit: tamen, cum hæc ab Auctoris demonstratione diversa sit, hanc quoque legisse & utile & incundum erit. Sequitur 14) *G. Heinii* de orbitarum apparentiis. Cum præcipuus Astronomiæ finis eo tendat, ut non solum præcipua cæli phænomena explicari, verum etiam prædici queant, quilibet facile perspiciat, apparentias orbitarum inter ea, quæ huc faciunt, non infimum lo-

cum obtinere. Tanti igitur eiusmodi apparentiarum, per totam fere Astronomiam usus, stimulum Auctori celeberrimo addidit, ad eas evidentiori & ampliori modo, quam adhuc factum esse novimus, examinandas, ad calculum revocandas, & ad usum Astronomicum applicandas. Quo ut perveniret, orditur primum ab apparentiarum definitione, dein apparentiam orbitæ ad projectionem circuli in planum positione datum reducit, quod cum orbitæ respectu oculi positionem requirat, ausam dat inquirendi conditiones positionis orbitæ respectu oculi, eiusque variationes ex conditionibus motuum, quibus, vel oculus circa orbitam, vel orbita circa oculum, vel oculus & orbita simul, certa lege circa centrum aliquod commune feruntur; quo demum pacto considerationis huius usus in Astronomia innotescit. Hæc omnia ut eo facilius expediantur, orbitæ omnes ponuntur circulares, ut itaque negotium omne reducatur ad investigationem apparentiæ circuli in casibus, quos modo recensuimus. Tractationem Astronomicam excipit 15) Geographica, de perficiendis mappis geographicis, imprimis universalibus, per idoneas scalas metiendis distantis inservientes, Auctore *G. W. Richmanno*. Cum mapparum geographicarum virtutes in eo consistant, ut primo magnitudines singularum regionum eam rationem habeant in mappa, quam habent in superficie telluris; secundo, ut eam figuram etiam in mappa exhibeant, quam in superficie telluris ipsa obtinent; tertio, ut distantia locorum sint in ea ratione in mappa expressæ, in qua sunt distantia locorum in superficie telluris; & denique quarto, ut ex mappa cerni possit, quot gradus ab æquatore locus distet, & quot a primo meridiano; methodus vero secundum leges perspectivæ mappas deformandi hisce virtutibus non omnino satisfaciat, neque tamen existet methodus ad evitandum hoc incommodum satis apta: egregie Auctor, dum viveret, celeberrimus, operam suam collocavit, dum scalas, mappis consuetis addendas, scrutatus est, quarum auxilio distantia veræ locorum inveniri possint, sive loca sint in eodem parallelo, sive diversi, sive e usdem longitudinis, sive diversi. Hunc in finem primo distantiam eiusmodi duorum

rum locorum in sphaera ipsa absolvit. Ex hoc deinde derivat methodum modo dictam, distantiam quaesitam in mappa deformata, ope solius circini & regulae, mappis prius scala chordarum & radiorum parallelorum sphaerae instructis, sine omni calculi ope inveniendi; quibus sub finem dissertationis iungit novam mappae universalis deformandae rationem, eo spectantem, ut magnitudo partium ad totam sphaerae deformatae superficiem debitam rationem habeat, quod a Geographis hucusque neglectum fuisse observavit. Hanc excipiunt 16) C. N. de Winsheim meditationes de interpolatione simplici. Methodus haec praesertim eo spectat, ut differentia duorum locorum, quae inter loca intermedia distribuenda venit, ita distribuatur, ut fractiones evitentur. Hoc vero cum paucissimis in casibus fieri possit, v. g. si unitas inter tria loca, vel numerus quinquarius inter septem loca intermedia, distribuendus est, cogitandum erat, quibusnam locis intermediis unitas, vel pro qualitate casus propositi alius numerus integer, adici possit, ut negotium, quantum fieri potest, sine errore sensibili absolvatur. Sic v. g. si sit

transitus ☉ per meridianum

d. 26. Febr. 23° 13'

27 ———

28 ———

29 ———

1 Mart. 23° 12'

quolibet perspiciet, unitatem, quae hoc casu uni ex locis intermediis assignanda est, secundo loco adscribendam esse, si error ex intermissa aequabili distributione unitatis oriundus, quantum fieri potest insensibilis evadere debet. Sed quae in casu hoc simplici expedita sunt, in casibus magis compositis, ubi plures unitates inter plura loca distribuenda veniunt, magis complicata redduntur: quamobrem scalas addidit Auctor, secundum quas, in quolibet casu, quantitas quaelibet, quotlibet in locis, commode ita interpolari potest, ut fractiones evitentur, nec

tamen a veritate nimium recedatur. Quamvis itaque primo statim intuitu pateat, summam *consequitur* hac ratione obtineri non posse, nemo tamen huic methodo, quam Auctor a se excogitavit tradit, antequam Gabrielis Mouton & Petri Horrebovii ratio implendi seriem ex differentiis secundis ad manus venissent, utilitatis palmam disputabit.

Accedimus ad Classen Physicam, ubi primum locum obtinent Observationes meteorologicæ anni 1740. Auctore *G. Wolfgang Krafft*, de quibus nihil est, quod hic moneamus. Adicitur descriptio thermometri, quod gradum caloris, in regione aliqua, maximi, observatore etiam absente, assumit, & eum huic post aliquod tempus redeunti indicat. Exhibuit iam tale thermometron Noster, in observationibus meteorologicis præcedentis anni, a quo gradus maximus frigoris indicatur dictâ ratione. Hoc illius contrarium est. Perficiatur scilicet globus vitreus

Fig. F. satis amplus *A*, cui annexus sit tubulus tenuis *BCD*, qui in latere *CD* facculos vitreos, introrsum in tubum hiantes, sibi teneat affixos. Hoc instrumento spiritu vini vel mercurio repleto, aereque in globo *A* retento, & extremitate tubi hermetice sigillata, aer in globo *A* a calore expansus liquorem ascendere faciet, hic vero facculos implebit, hi dein liquorem usque ad observatoris adventum retinebunt, licet interea, calore aeris forsitan remittente, liquor in tubo descendere cœperit. Ope huius instrumenti observari quoque poterit, num in infimo maris maior caloris gradus, quam in eius superficie locum habeat, nec ne? Denique cum superiori seculo iam questio mora fuerit, ad quam profunditatem gelu terram penetret in regionibus septentrionalibus, huic desiderio Auctor quoque experimentis, Petropoli institutis, satisfecit. Sequitur 2) *Iosæ Weitbrecht* tentamen explicandi dilatationem & contractionem pupillæ. Quamvis negari vix queat, in planitie iridis a limbo pupillæ usque ad illum locum, ad quem processus ita dicti ciliares terminantur, plurimas fibras candicantes & coruscantes radiarim dispositas decurrere, itemque alium circulum fibrosam adesse, quo ipse pupillæ limbus circumferibitur, has tamen fibras, carneas esse & muculosas, ex Aucto-


ris

ris sententia, ab Anatomicis extra omnem dubitationis aleam hactenus non positum est, etiam si scriptores aliqui illas tales esse vel probabiliter, argumento ab analogia desumpto, dubitanter tamen assumerint, vel & absque ulla restrictione audacter statuerint. Cum igitur de his fibris carnis adhuc satis non constet, Auctor inde argumentatur, aut illos, qui sententiam vulgarem sequantur, illarum existentiam demonstrative ante oculos ponere debere, aut, quia ad motum producendum substantia fibræ carnea non absolute requiratur, sed & alii modi sint possibiles, alia organa motricia, quibus idem effectus præstetur, exhibere & substituere oportere, aut denique mutationem pupillæ ab istarum fibrarum longitudinalium motricium contractione & relaxatione plane non dependere, sed alium modum excogitari debere, quo eadem pupillæ ampliatio præstari possit. Auctor igitur, donec Anatomici alterutrum ex duobus primis postulatis præstiterint, tantisper viam tertiam ingreditur, & quantum ex oculi structura, legibusque refractionis detegere liceat, exponendum sibi sumit hoc phænomenon. Ex definitione itaque iridis, intra oculi cavitatem per solam peripheriam suam partibus adiacentibus alligatæ, reliqua autem sui parte humori aqueo liberrime innatantis, infert, iridem hac ratione fluctuantem a situ suo perpendiculari & plano deflectere, & ab humore crystallino vel recedere, vel ad eum appropinquare posse; hac vero appropinquatione fieri, ut pupilla ampliatur, cuius amplitudinis augmentum ad calculum revocat. Sed nova exinde difficultas nascitur. Aequè enim difficile est, rationem reddere, quare iris illabente minore lucis quantitate protrudatur, quam satisfacere antiquæ quæstioni, quare positis iisdem fibræ carneæ longitudinales contrahantur. Nodum hunc penitus solvere se non posse, Auctor ingenue fatetur. Suspiciatur tamen, per copiosiores radios humorem vitreum vel rarefieri vel in posteriori sede bulbi comprimari, & una cum lente crystallina anteriora versus propelli: quo posito, Auctor infert, in utroque casu cameram posteriorem angustiorē evadere, & humorem aqueum in cameram anteriorem penetrare, iridemque lenti apprimere,


radiis vero remittentibus, humorem aqueum dilabentem iridem corneam versus protrudere, ac inde pupillæ dilatationem ortum trahere. Hunc excipit 3) *I. G. du Vernoi* de glandulis renalibus Eustachii. Iam ante aliquot annos Auctor monuit, certas particulas renum succenturiatorum historiam spectantes, crebris dissectionibus sibi compertas, & nunc post earum descriptionem eas pingendi spem & voluntatem esse. Posthac vero, iconum causa, res istæ quantumlibet descriptæ, fere oblivioni traditæ, & ob spem ipsos renes succenturiatos simul pingendi, in longinquum tempus dilatæ sunt. Interea cum incertum ipsi sit, quanta iconibus mora adhuc debeatur, invento, quod pollicitus erat, satisfacit, merito pro parte essentiali historię renum succenturiatorum agnoscendo, videlicet, quod certa & peculiaris corpuscula, utriusque reni succenturiato interiecta, ac ut multiplici observatione, sic haud minori diligentia & studio a se explorata, in corpore humano ad renem succenturiatum dextrum finistrumve nonnulli sed minimi succenturiati constituti sint, quos propterea Embryones appellare placuit. Simile quid iam observaverat Ioannes Veslingius, qui anno 1637. in cadavere feminiuo præter communem naturæ structuram, publice representavit renem dextrum, cui adnatus erat alter exilis, de quo ulterius disserit, plures minoresque glandulas venis & arteriis suis instructas, renalium æmulas, circa renum vasa quandoque naturam disponere. Postea a Thoma Bartholino, in cadavere muliebri, capsulæ atrabiliaris quatuor visæ sunt &c. Sed hæc omnia utut similia exempla, tamen ita comparata Auctori non videntur, ut clara, firma, & indubitata ratione, & sine erroris periculo iis fidere quis possit. Corpusculorum igitur istorum a se inventorum naturam & qualitatem describit, indeque probat, multiplices renes succenturiatos in corpore humano inveniri, nempe proceriores illos ab Eustachio & reliquis Anatomicis hæctenus descriptos, & minores, eorum haud absimiles, quos Auctor, cum a nemine ante se pervulgatos noverit, prima nunc vice, ut diu pollicitus erat, ad historię renum succenturiatorum complementum, describere conatus est, & quorum

rum existentiam diversis observationibus probat. 4) *C. W. Krafft* Observationes continuat meteorologicas ad annum 1741. institutas, quibus sub finem declinationem acus magneticæ adungit. Succedit 5) elegans dissertatio de densitate mixtorum ex metallis & semimetallis factorum, auctore *C. E. Gellert*. Notatu dignissimum est phænomenon, metalla diversa inter se commixta, modo de gravitate aliquid perdere, modo novam gravitatis partem acquirere. Eo dignius igitur ulteriori persequutione erat, hunc excessum vel defectum curatius determinare; & eo melius de re chymica meritis est Auctor clarissimus, quod hisce rebus operam suam impendere, & pro diversitate metallorum commixtorum, diversos excessus vel defectus gradus ope experientie determinare voluerit; quamvis, quod dolemus, spatium non permittat, specialiora de ipsis experimentis addere. In fine Dissertationis Auctor observat, magnetem minorem plus agere in mixta ferri cum metallis & semimetallis, magnetem maiore, qui ferri quantitatem duplo maiorem attrahat, quam minor: quæ ut eo distinctius perspicui possint, tabula adiecta est, qua experimenta, diversis magnetibus diversisque metallorum mixturis instituta, disposita continentur. 6) *Ioan. Ammanus*, de Lapatho orientali frutice humili flore pulchro. Præmissa descriptionum huius fruticis brevi historia, cum earum sufficientem nullam, nec iconem illustratam, Auctor invenit, operæ pretium duxit, accuratorem descriptionem, accuratam iconem instructam, hic publici iuris facere: quarum illa hæc est, quod scilicet sit frutex in cubitalem plus minus akitudinem, mox a radice pluribus tenuibus & lignosis ramis præditus, intus læte viridibus, extus albicanti vel subincano subtilissimo cortice obductis, quaquaversum nullo determinato ordine dispositis, procumbentibus ut plurimum & tortuosis. Post ad foliorum, florum & seminis descriptionem pergit, ac genus, quo hic frutex referendus sit, determinat.

In classe Historica continentur: 1) *I. H. Schulzii* Observatio historico critica, de Alcibiade certaminis curulis Olympici apud Eleos victore. Quæstio hæc ab Auctore multa cum cura & ingenii



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

genii acie ventilata, diu iam Historicos, interque eos Auctorem ipsum, in suspensio tenuit. Huic enim ad antiquitates athleticas attento, sæpius contigit hic hæere, & ab illa investigatione exitu desperato recedere; non quod res ipsa illis testimonio destituta sit, sed quod recentiorum quorundam explicationibus occupatam mentem attulerit, quibus tanquam saxo adhærescens, parum absuit, quin potius Thucydidem, Demosthenem, Plutarchum, Athenæum, erroris argueret, aut suspectos haberet, quam suos a ducibus non exigua auctoritatis acceptos errores repudiaret. Postquam autem longo attentoque omnium, quæ in causa obveniunt, examine, omnino cognovit, nihil esse, quod nos cogere debeat ad Alcibiadem a victoribus celeberrimum apud Eleos certaminum segregandum, aut ad illius victoriæ testes suspectos habendos: operæ pretium se facturum speravit, si de hoc argumento aliquid commentaretur, easque obiectiones removeret, quæ se ipsum non exiguo temporis spatio remorata fuerint. Quæ ut eo feliciori cum successu procedant, provocat ad ipsius Alcibiadis verba, quæ, Auctore Thucydide, contra Nicias, occasione auxiliii Siculis Egeffæis ferendi, tum temporis fecerat, ubi Alcibiades a se currus septem, quod ante se privatus nunquam fecerit, in certamen dimissos, seque iis & victoriam, & secundum quartumque a victore locum adeptum fuisse perhibet. Addita igitur prius versionis verborum Thucydidis ratione, succinctaque explicatione, sententiaque Petri Fabri & Andr. Dacerii modeste reprobata, existimat, in equorum decursionibus, & bigarum quadrigarumque agitationibus, idem obtinuisse, quod in hominibus, stadium decurrentibus, constitutum erat. Hos vero non turmatim mittebant, sed simul quatuor, quos fors primos designasset, decurrebant. Eos inter qui prius virtute fuerat, dicebatur *πρωτεύων*, aut *πρώτων*, habebatque unus spem præmii, reliquis tribus, qui una cum illo percurrerant, sed victi ab eo fuerant, ab ulteriori spe omnino deiectis. Post hos quatuor decurrebant totidem sequentes, & sic deinceps res peragebatur, donec omnes decurrerant, semper discedentibus, qui postremi fuissent.

sent. Iam his *πρωτηγάσσι*, seu victoribus in prima decur-
 sione, novum certamen instabat, ut tandiu quaterni decurre-
 rent, donec deficientibus aliis atque aliis, unus aperte victor
 conspiceretur. Ille igitur, qui omnes ceteros superaverat,
 victor unus declarabatur, qui ultimus cum victore certaverat,
 secundus ab eo habebatur, tertius autem & quartus, qui, cete-
 ris iam omnibus superatis, spem victoriæ retinuisent, usque
 dum ex multitudine tantum quatuor superessent, qui se-
 cum de victoria pugnarent, quod ultima & decretoria de-
 cursione fiebat. Si igitur ex Thucydidis narratione Alcibia-
 des vicit, & secundus ac quartus fuit, necessarium est, ubi nu-
 merus currum ad quaternarium redactus fuit, primum, se-
 cundum, & quartum currum Alcibiadis fuisse, solum autem
 tertium Alcibiadis non fuisse. Et quamvis ob stare videatur,
 si Alcibiades hoc modo non solum vicit, verum etiam a vi-
 ctore secundus & quartus fuit, necessario, ubi numerus cur-
 rum ad quatuor redactus est, tribus curribus simul decertasse;
 sin vero hoc, necessarium quoque esse, Alcibiadem hos tres
 currus simul agere non potuisse: Auctor tamen exemplum de-
 siderat, quo probetur, quod unquam Dominus equorum &
 currum, ad sacra certamina missorum, ipse eos agitaverit, si-
 quidem in hoc certaminum genere, non, ut in gymniciis, ro-
 bore, agilitate, & patientia corporis, sed equis certabatur; qui
 dominis sæpe longissime absentibus palmam acquirebant, ut
 adeo perinde esset, an ipse dominus, an, uti mori-
 bus receptum erat, amicus vel propinquus eius *ἡνίοχος* esset.
 Neque præterea ex Thucydidis verbis, supra allegatis, conse-
 quitur, Alcibiadem tria præmia fuisse consecutum; unicum
 enim tantummodo præmium, more consueto, adeptus est,
 gloriam scilicet victoriæ, eiusque insigne, coronam. Sed ad
 præstantiam equorum, omnisque apparatus curulis, referebant
 homines, quod præter illum currum, qui victoriam reporta-
 verat, alter proxime, tertius non longe ab ea abfuerit; sicuti
 olim admirationi fuit, quod in una Olympiade septem Croto-
 nienses in stadio decurrendo fuissent *πρωτηγάσται*, quia
 ex nulla alia gente Græciæ, uno tempore, tot visi fuerunt, qui

reliquos statim prima decursione a spe ulteriori deicerent. Propterea vero non illico omnes fuerunt coronati, verum debuerunt hi septem Crotonienses, ac si præter illos ex aliis civitatibus aliqui essent *πρωτεργαται*, inter se tandem certare, stadium identidem decurrendo, donec lassatis ceteris, unius virtus manifeste cognosceretur, qui unus coronam stadii tunc consecutus est. Obstat adhuc, quod vates quidam, sive Euripides, sive quisquis fuit alius, Alcibiadem *δις εσθέρτα* perhibet: cum tamen una tantum corona, unico victori concedi solita fuerit; unde Dacrius infert, hæc non in una eademque Olympiade accidere potuisse. Sed cum diversa certaminum equestrium fuerint genera, Alcibiadi, si diversis currum generibus ad certandum accessit, via ad diversas viatorias, earumque præmia, coronas, patuit, nihilque opus est, contendere, quod diversis ludis, atque adeo annis interiectis, eas acquirere debuerit. His expeditis Auctor quæstiones adhuc aliquas, locum & tempus concernentes, absolvit. Sed de his hæcenus.

Pergimus 2) ad eundem de Gandisapora, Persarum quondam Academia medica, observationem historicam. Multum hæc urbs Gandisapor, etiam Giendisabour dicta, in scriptis eorum celebratur, qui res Persarum ecclesiasticas describunt: nec raro eadem commendatur ab illis, qui de doctis viris, præsertim Medicis, in orientalibus terris celebribus, aliquid consignarunt. Habuit enim Episcopum, præcipue auctoritatis inter Nestorianæ Sectæ addictos, Metropolitanæ auctoritate fulgentem, primum dignitate a Catholico; quo se nomine venditabat ille, qui Seleuciz sedem tenuit, & de primatu cum aliis certavit. Fuit porro inibi nosocomium & schola medica, ex qua valde multi prodierunt, qui episcopale fastigium conscenderunt, aut in aulis primorum Chalifarum comites archiatorum fuerunt, & pro ea, qua in aulis principum valebant, gratia, plurimum poterant in rebus ecclesiasticis ad suum nutum vel dirigendis, vel turbandis. Hisce commotus rebus, Auctor, de hac clara & nobili urbe, per complures annos, perque omne librorum genus, omnia, quæ ad statum eius rite intelligendum aliquid afferre possent, sedulo congestit.

fit. Exstat autem monumentum eius urbis notatu dignissimum in *Gregorii Abulpharagii* historia compendiosa dynastiarum, arabico stylo exarata, ubi Aurelianus Cæsar legitur sex annos imperasse, pacem inisse cum Sapore Persarum rege, eique filiam suam nuptum dedisse, cui extruxerit Sapore in Perside urbem Byzantio similem, quam Giordisabor appellaverit. Misit autem Aurelianus, ut interserent filie suae, medicos Græcos quosdam, qui medicinam Hippocraticam docuerint. His luculenter explicatis, & ab objectionibus Tilli-moutii aliorumque vindicatis, annum, quo Gandisapora condita est, investigat, eiusque natales inter annos 257. & 260. collocat. Post ad situm eius pergit, & *I. Freindii* sententiam, qui Gandisaporam & Nisaporam credit unam eandemque fuisse, refutat. In hac igitur urbe, a prima sua origine, hoc est, a seculi christiani tertii anno circiter sexagesimo, schola medica floruit, a viris Græcam medicinam edoctis fundata. Quum vero in Persia Christianorum numerus augetur, illique etiam scholam sacram condidissent in urbe eiusdem provincie Lapetha, seu Beth-Lapetha; tandemque, incertum quo tempore, sedes Elamitarum metropolitana, una cum schola, ex Lapetha Gandisaporam transferretur, factum est, ut schola sacra cum medica in unam coalesceret, sicque celebritatem magnam, frequentemque discipulorum numerum, consequeretur. In hac schola Medici Græci, Gandisaporam missi, Hippocratica medicine præcepta docuerunt. Fuit etiam ibi, ceu supra monuimus, nosocomium, quod præcipue discipulorum commoditati interserbat. Cum vero hæc schola sub directione personarum ecclesiasticarum fuerit, ipsaque nosocomia, inde a primis Christianorum temporibus, ecclesie fuerint subiecta & innexa: Auctori admodum probabile videtur, accessum ad scholam medicam non, nisi Christianorum liberis, & ne his quidem promiscue, sed eiusdem dogmatis affectis, patuisse. Tradebantur etiam in illa schola aliarum disciplinarum dogmata. Mentio enim fit scribarum, a quibus Auctor ad interpretes librorum suspicatur. Num vero præter Gandisaporenses fuerint plures scholæ, in quibus

bus medicinam docere licuerit, Auctor in medio relinquit
Agmen claudunt Observationes Astronomicae, & quidem 1) *G*

Hysini observatio ecliptos lunæ partialis $\frac{d. 21. Dec. 1740.}{d. 1. Jan. 1741.}$

2) Eiusdem ecliptos satellitum Iovis, a Mense Mart. usque ad
finem anni 1740. Petropoli vise; 3) Eiusdem observatio
transitus lunæ ad Iovem d. 2 Sept. 1740. quas vel hic in-
dicasse sufficiet.

DISSERTAZIONI VOSSIANE, &c.

h. e.

DISSERTATIONES VOSSIANAE APOSTOLI ZENI,
i. e. *Addimenta & Correctiones ad Vossium, de*
Scriptoribus Historiæ Italicæ
Latinis.

Venetis, apud Albritium 1752. in 4.

Tom. I. Alph. 2. plag. 3. Tom. II. Alph. 2.
plag. 8.

Perinsignia hæc Supplementa sunt Vossiani operis de Hi-
storicis Latinis, qua *Lib. III.* historicosque Italicos Latinos.
Ea pleraque iam edita sunt antea in *Diario literario*, quod
Venetiis editor, sed dispersa variis illius partibus: unde iam
cognita esse potest, Italicis certe eruditis esse debet, harum
Dissertationum ratio, quas & laude merita nostrates, nomina-
tim uterque Fabricius, ornare. Sed & rara sunt extra Ita-
liam eius *Diarii* exempla, & commodius erat uno Volumine
comprehensas habere omnes istas dissertationes. Itaque bene
fecit *Zenus V. C.* cum paullo ante mortem earum recogno-
scendarum augendarumque, & in unum corpus colligenda-
rum, consilium cepit: bene autem actum est cum studiosis
literariæ, imprimisque Italicæ historiæ, quod finire hunc labo-
rem licuit *Zeno* ante, quam fatum obiret.

Sunt

Sunt autem Dissertationes XVI. ita divisæ duobus Tomis, ut primus complectatur *Diff. VII.* quæ pertinent ad Capita septem priora *Lib. III.* Vossiani, reliquas habeat Tomus secundus. Docti autem homines, de quorum libris Vossius commemoravit, Noster agit copiosius, sunt omnino *CIII.* Sed non est existimandum, nihil aliud egisse Zenum, quam ut, quod peccatum a Vossio esset, corrigeret, quod omisium, adderet, ut titulus operis pollicetur. Plura præstitit, non illa quidem necessaria, in tali instituto & consilio, sed utilia tamen & grata studiosis. V. C. *Diff. LVII* est de *Gregorio Trapezuntio*, cuius brevem vitam habet initio *Cap. VIII.* Vossius. Sufficiebat, opinamur, si quid esset in illa biographia peccatum, corrigere, tum vero planius dicere de scriptis eius, quæ ad historiam pertinerent. Sed Zenus ubique correxit & peccata aliorum, velut Calvisii, Gregorium vocantis pro Georgio, & addidit alia de Georgio, ubi reperita, præsertim non vulgo nota, v. c. civem Venetum fuisse, denique texuit accuratum Catalogum omnium Trapezuntii librorum, de quibus singulis, quicquid scitu dignum, e præfationibus aut aliunde, tradit. Velut de eius *Versione Eusebiana* de *Præparatione Evangelica* librorum, primum e præfatione ipsius docet, sustulisse Georgium e textu, quæcunque Arianismum saperent, idque iussu Nicolai V. P. M. factum dicere: deinde ex Emin. nuper Card. *Quirini* Diatr. prælim. ad Fr. Barbari Epistolas, Nicolaum ipsum eam rationem Georgii improbasse, quippe qui *Andrea Contrario* emendationem eius versionis mandarit. Post editiones eius versionis, haud paullo accuratius quam Pinius, Fabricius, aut quisquam alius, enumerat. Nam primum docet editam typis *Nic. Iensoni* Venet. 1470. in fol. iterum per *Leonardum Aurelium* 1473. in fol. sine indicio loci; tertio *Tarvisi* per *Mich. Manzolinum* 1480. in fol. Has omnes ignorabat Pinius, priores duas Fabricius, & ceteras quoque neuter omnes habet, uterque supplendus ex altero, iisque addenda Veneta, Zeno quoque ignorata, 1500. in fol. quæ nobis

Tom. II.

Pag. 6. seq.

nobis ista scribentibus ad manum fuit. Atque etiam *Pinius* male tribuit *Trapezuntio* versionem librorum de *Demonstr. Evang.* quæ est *Bernardini Donati* &c. Pari diligentia de ceteris eius Versionibus agit. Tum de libris ab ipso compositis hæc paulo diligentius & accuratius agit, quam aut *Allatius* in Libro de *Georgiis*, aut nuper *Barnerus* nosler, ὁ *μυσεογράφος*, qui alias & ipse diligenter de hoc *Georgio* tradidit in libro de doctis homin. Græc. liter. in Italia Inflauratoribus; sed, cum eum ederet, ignorans, quæ *Zenus* de *Trapezuntio*, scripsisset in *Giornale* Tom. XVI. pag. 414. Sed quam rationem secutus est in hoc, eandem in

- Tom. I. pag. 152. seq. ceteris tenuit: velut in *Laurentio Valla*, quærit, natusne Romæ fuerit? quod dubium fecerat *Dominicus Georgius*, testimonio *Io. Andr. Vigerini*, qui Placentiæ natum tradidit: ipse credit testimonio *Vallæ* ipsius, qui, in *Antidoto* contra *Poggium*, se Romæ natum dicit, nil contra dicente *Poggio*. Item quomodo in crimen hæreseos vocatus absolutusque sit, & alia eius generis, quæ non tam ad *Vossianum* opus pertinent, quam *Adami*, *Freheri*, aliusque cuiusvis, qui de *Eruditorum Vitis* exposuere, eaque omnia luculentius & plenius e fontibus ipsis collecta tradidit *Drakenborchius*, in *Præfatione* ad *Livium*. Nos autem expectabamus aliquid novi, & exquisiti, & ad historicam artem utile, de opere *Vallæ* historico, cuius causa a *Vossio* commemoratur. Atqui de eo nihil est, nisi, *Ferdinandum* illum, de cuius rebus gestis scripserit *Valla*, esse Patrem *Alphonfi*, & *Ferdinandi II.* avum, & annum editionis *Parisiensis*, & *Hispaniæ illustratæ*. Atque eadem est ratio totius operis. Neque tamen contemnimus hoc opus, ut supra dicta fidem faciunt. Insunt enim sane multa egregie observata atque notata, imprimis de libris eruditorum, eorumque editionibus, quæ legisse non poenitebit talium rerum studiosos: ceterum biographicas potius observationes esse volumus, quam *Disputationes Vossiano Operi proprias*. Est tamen ubi & de libris pag. 188. seq. historicis utilia assert, veluti de *Anni Antiquitatibus*. Com-
memo-

memoratis opinionum divortis, & cuiusque auctoribus ac defensoribus, primum monet, primos Italos fraudem agnovisse, ut *Sabellicum* Enead. VIII. Lib. V. *Crinitum* de Hon. Disc. XXIV, 12. *Volaterranum* Comment. Urb. Lib. 38. deinde ipse de hac controversia suum iudicium interponit, existimatque, non esse quidem genuinos istos libros, sed vix credibile, ab Annio, homine religioso, & Magistro Palatii fictos, ut nec sincerus sit, nec impostor: nixus, ut videtur, narratione *J. B. Labati* in Itiner. Hisp. & Ital. pag. 66. Tom. VII. edit. Amst. 1731. *Michaelis le Quien*, Damasceci & Orientis Christiani Editorem, in animo habuisse defendere Annium, hactenus, ut credulitate potius deceptus ipse sit, quam aliis imponere voluerit, pro genuinis habens quæ pro spuris reicere debebat. Eum autem rationibus ductum esse duabus: prima hæc, quod cum in notis ipse *Annius* commemoret vera *Manethonis* & *Berosi* fragmenta e *Iosepho*, credibile non sit, tantum fuisse in Annio stuporem, ut non ista ipsa vera fragmenta telæ suæ intexeret, eoque maiorem veritatis speciem operi adderet: altera, quod in Bibliotheca Colbertina reperit Catalogum Auctorum citatorum, in antiquo MSt. compilato circa annum 1220. aut 1230. in quibus *Orosius* (leg. *Berosus*) de *Historia Chaldeorum*, *Megasthenes* de *Historia Indica*, & alii: unde apparere, illos scriptores dudum ante Annium extitisse. Accedere, quod e *Philonis* Antiquitatibus Biblicis, ab eodem *Annio* prolatis, quædam chronologica fragmenta animadverta sint in *Alberici* monachi (Sec. XIII.) Chronico ab *Leibnitio* in *Access. Hist.* edito. Nomina omnium Scriptorum, de quorum vita & libris hic differitur, adponere necessarium non putamus, cum *Vossianus* liber sit in omnium manibus, qui talibus rebus delectantur, ubi facile, de quibus hic agatur, videre possint. Inprimis diligenter scriptum est a *Viro* doctissimo, de *Hermolao Barbaro*, ubi accurate traditur, de eius Castigationibus *Plinianis*; de *Methodo* autem eius scribendæ historiæ negat

negat V. C. se scire, illum librum uspiam editum, & eam traditionem solius Trithemii fide aiti; de *Barth. Facio, L. Val- la, Guarino Veronensi, Barth. Platina, Nic. Perrotto*, (ubi etiam attingit caput illud de fabulis Perrotti, sed nil profert præter ea, quæ *Scrivanius* ad Martialem notaverat, decerpta e Præfatione Phædri Burmanniana, ceterum ignarus eorum, quæ super ea re disputata sunt nostro *Christio V. C.*) *Fr. Philofo, Aenea Silvio, Georg. Trapezuntio, Georg. Merula, Augustino Patricio, Annio Viterbiensi, Pontico Virunio*. Ceterum ad eas Dissertationes, quæ iam in Diario supra commemorato editæ sunt, accessit nunc Dissertatio una de *Murino Barlezio & Marino Beschicemo*, quam 82. annos natus dictavit, & impedi- ciente valitudine emendare non potuit.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Iulii Anno MDCCLV.

*KALENDARIA ECCLESIAE UNIVERSAE, IN QUI-
bus tum ex vetustis marmoribus, tum ex codicibus, tabu-
lis, parietinis pictis, scriptis, sculptisve, sanctorum nomina,
imagines, & festi per annum dies, ecclesiarum Orientis &
Occidentis, præmissis unius cuiusque ecclesie Originibus,
recensentur, describuntur, notisque illustrantur, studio &
opera IOSEPHI SIMONII ASSEMANI, bibliothecæ
Vaticanae præfetti, & SS. basilicæ principis Apostolorum
de Urbe Canonici. Tom. I. Kalendaria Ecclesie
Slavica, sive Græco-Mo-
sche.*

Romæ, 1750. 4 maior. Alph. 3.

Vetus ecclesie Slavicae Kalendarium, ante annos 500. li-
teris Russicis exaratum, & minutis Sanctorum imagi-
nibus elegantissimæ picturæ exornatum, ex testamento
marchionis *Alexandri Gregorii Capponi*, in bibliotheca
Vaticanam pervenerat. Hoc *Assemanus* noster, huius
bibliothecæ cultos, perpetuo commentario se illustraturum
promittit; in ceteris Tomis huius magni promissi operis, ad
aliarum gentium vetusta, quæ supersunt, Kalendaria progres-
surus. Opus non contemnendum penitus, sed nec nimis magno
Ccc æli.

æstimandum. Nam ecclesiasticas Slavicæ gentis antiquitates, quas maxime in illo quæras, parce admodum impertitur; contra, quæ nemo quæserit, non parca *Affemanus* manu, sed toto, ut aiunt, sacco ferit. Divisum opus in duas partes, quarum prima tabularum Græco-Moscharum, sive Slavicarum, historiam proponit. Nempe, Monumentum hoc admodum venerabile, tabulis quinque quadratis constat, quæ simul iunctæ, Græcam, quam vocant, crucem efficiunt. Has quinque tabulas, e cedro assabre factas, anno 1250. scriptas esse demonstratur; quæ quo pacto ad Vaticanam pervenerit, paucis enarrandum est. Nempe eas primum *Gerafinus Phocas*, Græci cultus sacerdos, a *Petro* non magno, sed maximo illo Moschorum imperatore, cui a sacris confessionibus fuerat, dono quondam accepit, & in itinere cum Constantinopoli peste confumeretur, fratri germano suo & honorum heredi, *Mari-no Phoca*, reliquit, qui eas *Capponio* 300. aureis vendidit; hic bibliothecæ Vaticanæ legavit. Antiquissimum est Kalendarium, cui vix simile aliud. Nam tamen *Papebrochius*, Bollandiniani operis continuator, aliquod iam Kalendarium Slavicæ ecclesiæ ediderit, tamen nostrum multum præstat antiquitate. Nam illæ pictæ sunt anno Christi 1628. nocte autem 1250.

Pictæ inquam sunt; nam inter Scripturas mixtæ Sanctorum parvæ imagines, quæ fidem faciunt, is adhuc temporibus, imaginum apud Græcos cultum fuisse aliquem; quod Auctor arripens, longissimam disputationem necit adversus *Kierlingium*, celebrem in Academia nostra doctorem. Hic enim a Græcis Apostolos quidem, & sanctos, non autem Deum patrem, filium, Spiritumve sanctum pingi dixerat; adversus hæc *Affemanus* noster, in multis Græcorum templis etiam Spiritus sancti & Trinitatis pictas imagines reperiri, exemplis demonstrat. Non enim Græci tam a pictis, quam ligneis aut marmoreis imaginibus videntur abhorreere. Hoc omne latius, quam opus erat, ideo demonstrat, ut patere possit, nihil a Romanis peccari, dum Deum forma expertem, & qui se pingi vetuit, penicillo subiiciant. Nam, si in forma hominis

Deus

Dens apparuerit Adamo, & Jacobo Patriarchæ, & Moſi, *Genef. III, 8. XVIII, 19. Exod. XXXIII, 23. Iſaiæ VI, 1. Dan. VII, 9.* deinde ſi Spiritus ſanctus in forma columbæ viſus ſit ſupra Iordanem, non impium videri, aut a ratione alienum, Deum Spiritum ſub columbæ, & Deum patrem ſub ſenis forma, cui canities & alba veſtis, depingere. Eum quidem, qui Deum ea, qua pingitur, forma præditum eſſe exiſtimet, maximopere errare; ſed pingere talem, ut apparere hominibus voluit, non eſſe a ſenſu & ratione omnino alienum. Hæc quidem ſunt, quæ in prima operis parte memorabilia invenimus.

Altera Operis pars in Capita XI. diſtributa eſt. *Caput I.* de Sarmatis & Scythiſ; *Caput II.* de Slavis agit. Nempe, quos media ætas Slavos vocat, apud veteres aut Scytharum, aut Sarmatarum nomine inſigniuntur. (*Strabo lib. XI. cap. 507. & lib. II. cap. 114.*) Sed Scythæ iidem qui Sarmatæ. Cum autem duplex, ſecundum *Ptolomæum*, Scythia ſive Sarmatia ſit, una Europæa, altera Aſiatica, hanc quidem ſibi non curæ eſſe, ſed Europæam tantum, admonet, quia Slavorum nomen Europæi tantum Scythæ, non Aſiatici adepti ſunt; Slavorum autem cauſa omnem diſputationem huius libri inſtitutam eſſe. Interim hos quoque Europæos Scythas ex Aſia veniſſe, & antiquiſſimis temporibus Sæcæ dictos fuiſſe, probabile videtur, qui cum a Maſſagetis bello vexarentur, Araxo trajecto, ex Aſia in Cimmeriam venerunt. Nos, uti in hoc ipſi facile aſſentimur, ita in eo adhuc conſenſum cohibemus noſtrum, quod *Bocharti* ſententiam amplexus, Scytharum nomen a Celtico verbo *Schütze*, quod Sagittarium denotat, derivandum arbitratur. Quid enim Sarmatis cum Celtico ſermone negotii eſt? Novimus, omnem Septentrionem, partim a Sarmatis, qui & Scythæ, partim a Celtis inhabitatum eſſe, quorum hi ab illis, ut moribus & vitæ inſtitutis, ita & ſermone plane diverſi ſunt. Eorum vero, qui omnia, quæ de Scythiſ apud veteres leguntur, ad Germanos transferunt, inveteratus quidem, ſed intolerabilis error eſt. Aut itaque dicendum, Sarmatas ſe non ipſos *Schützen* appellaviſſe, ſed a Celtis ita dictos fuiſſe; aut coniectura non tenet. Non enim *Schütze* Sarmaticum, ſed Germanicum

verbum est. Ipsi autem videntur suo sermone se non Scythas, sed Arimaspos vocasse, quod, ut *Solinus* & *Mela* attestatur, unoculos significat. *Herodotus* consentit, qui in Melpomene scribit, *Arima* Scythas unum, & *Spu* oculum vocasse. Hoc Sarmaticum verbum cum Germanico *Schütze* plane convenit, unoculi enim dicti videntur, quod cum essent iaculandi peritissimi, altero oculo conniverent, ut collimare possent rectius. Itaque a collimando unoculos dictos fuisse, non *Assemanus* noster primum, sed iam *Eustatius in Dionysium Periegetam* observavit; ut nos merito miremur, hanc causam doctissimum *Plutarium* latuisse, qui in sua *Historia Celzarum*, gallice scripta, fabulosum populum Arimaspos propterea vocat, quod contra naturam sit, gens univisa unius oculi. De Scythis autem ideo copiosius disputavimus, quia Slavi, Scytharum propago, & Sarmatarum familia sunt. Prima Slavorum mentio fit apud *Procopium*, de bello Gothico, pluribus locis. Ibi *Σλαβῶν* vocantur. Habitarunt trans Istrum, quo traiecit Romanos turbarunt, vastantes Illyricum. Nomen iis a *Slava* quod eorum lingua idem quod victoria, uti ex *Koblio* noster & *Hofmanno* annotat. Fuerunt autem hi Slavi Antartarum Hunnorumque individui perpetuique socii, imo cognati; ex quo illud evenit, ut sæpius in historia ii, qui Hunni proprie sunt, Slavi, & Slavi qui sunt, Hunni dicerentur. Notes & illud quæso: Slavorum vel proprium, vel commune nomen esse. Proprie ii solum Slavi dicuntur, qui in Slavonia regno, Imperatrici Romanæ nostræ subiecto, sedem domiciliumque habent; sed generaliori sensu magna multorum nationum populorumque universitas, lingua inter se cognatorum, hoc nomine insignitur, cuiusmodi sunt Bohemi, Poloni, Russi, Veneti, Istrii, Dalmatæ, Bosnienses, Moravi, Lufati quondam atque Silesii, Lithuani, Prutheni, Bulgari, & Scandinaviæ incolæ. His enim omnibus unus sermo, dialecto tantum paulisper discrepans, qui sermo Slavicus interdum, sed etiam Venetus appellatur. Nam Germani a folis Vandalis denominatione sumpta, omnes Slavonica lingua utentes, *Wenden*, *Winden*, & *Windische* antiquitus dixerunt, unde factum

factum est, ut *Wendische Sprache*, & Slavica lingua, eadem sit, sicuti facile ex *Avenini* Annalibus Boiorum probari potest, ita scribentis: *Eadem tempestate Methodius Philosophus VENTAS invenit literas, vertitque divina oracula in vernaculum SCLAVORUM sermonem.* Veneta ergo eadem quæ Slavica lingua, qua, ut supra diximus, hodie pars maxima Russorum utitur. Hodie inquam; olim enim Russorum Slavorumque linguam plane diversam fuisse, ostendit *Constantini Porphyrogeniti* dictum, ex libro de administrando imperio part. 2. cap. 9. huius sententiæ: *Superato Effupi, prærupto fluminis loco, ad alium locum præruptum descendunt, qui Russi, Ulbori, Sclavis Ostobruniprach dicitur, significatque Insulam loci prærupti - - - Quarta munitio maior, quam Russi 'ΑειΦαβ, Aiphar, Sclavi Νεασητ, Neaset appellant, quoniam in S xis munitio Pellicani nidificat. - - - At ubi ad quintum locum fluminis præruptum devenerunt, quem Russi Βαπα-Φόγος, Sclavi Βαληπράχ Bulniprach, quod paludem magnam efficiat, denominant, rursus pro more ad fluminis angulos navigia traducunt, & ad sextum deveniunt, a Russis Leanti, a Sclavis Berutze nominatum, quasi dicas aquæ scaturigo. Quo etiam loco superato ad septimum navigant, qui Russorum lingua Strubun, Sclavorum autem Napreze vocatur, hoc est, exiguus locus præruptus.* Quod ad originem Slavorum attinet, iam supra, ex Asia, ut universos Scythas, ita & Slavos venisse, commemoravimus: sed ut pressius & accuratius omnium prima eorum initia Assemanus designet, ex *Ismaele Abulbeda*, qui anno Hegiræ 732. arabice Historiam Magnam scripsit; nec non ex alio Scriptore, *Kbondemir* seu *Mircond* dicto, qui persice exactam Historiam virorum præstantium reliquit, (ambæ in bibliotheca Vaticana manuscriptæ asservantur.) ex his inquam annotat, utrumque eorum existimare: Slavos, Russos, Turcas, Chazaros, aliosque septentrionales populos, a *Iapheto*, Noë filio, genus ducere. Sed de Slavibus hæcenus; ad Russos transeamus. Ecce

Caput IV. Originem sistit Russorum. Hoc iterum vel generale, vel speciale nomen est. Nam quædam Slavorum na-

tio, proprie & singulariter Russica dicitur, sed generatim Russi dicti sunt, quicunque Græcum religionis ritum sermone Slavico celebrant. Russorum autem admodum vetusta apud septuaginta interpretes mentio. Quod enim Latinus vertit, *Ezechielis XXVIII, 2.* pono faciem tuam contra Gog in terra Magog, principem capitis Mesech & Thubal, hoc Græci ita exponunt: *Obfirma faciem tuam contra Gog & contra terram Magog, Principem RHOS, Mosoch, & Thobel.* Ezechielem autem hic de Scythis, Moschis, & Tibarenis, circa Pontum Euxinum habitantibus, loqui conicit; & hunc Rhos non alium esse nisi Russorum principem, a quo etiam Hunni descendunt, iam vidit *Socrates* lib. 7. *Hist. Eccles.* cap. 43. Inter Latinos Scriptores primus Russorum mentionem fecit *Liuprandus*, Cremonensis episcopus, in historia rerum gestarum lib. V. c. 6. his verbis: *Genus quoddam est sub Aquilonis parte constituta, quam a qualitate corporis Græci vocant RUSSOS, nos vero a positione loci vocamus Nortmannos. Lingua quippe Teutonum, Nord, aquilo, Man autem, mas, seu vir dicitur, unde & Nortmannos aquilonares homines dicere possumus.* Græcorum autem Scriptorum, Russos commemorantium, primus est *Nicetas*, cognomento David, Paphlago, in vita S. Ignatii ad annum 859. Paganam superstitionem antea cum sequerentur, quo tempore Christianis sacris initiati sunt si quaeramus, sub *Basilio Macedone* Imperatore hoc factum ostendit *Constantinus Porphyrogenitus* Imp. in vita avi, huius ipsius Basilii Macedonis, num. 96. pag. 211. edit. Paris. his quidem verbis: *Præterea genti Russorum nescienti mansuescere, ullive cedere, atque a Dei sensu ac pietate remotissime, auri argenti que ac sericarum vestium largitione in sædus pertracte, iustisque cum ea induciis, ac pace firmata, divini quoque baptismatis participes fieri persuasit, ac Archiepiscopum ab Ignatio patriarcha ordinatum, ut susciperent, effecit.*

Caput IV. Moschorum, sive Moscovitarum, qui a Russis superioris Capitis probe distinguendi, originem docet. Nostro quidem si credas, Moschi ab illo, quem Ezechiel propheta in supra commemorato loco *Mosoch* appellat, nomen acceperunt.

perunt. Nomen quippe admodum vetus est. Nam apud *Strabonem* lib. I. cap. 61. & lib. II. cap. 521. Moschici montes occurrunt; *Mela* autem lib. I. c. 2. Moschos populos circa mare Caspium collocat, circa Phafidis fontes *Plinius* lib. 6. cap. 17. Sarmatis iunguntur a *Lucano* lib. 3. vers. 270.

Hemiochi, sevisque affinis Sarmata Moschis.

nec non a Sidonio Apolinari, in Panegyri. in Avit.

*Sauromatam taceo, ac Moschum, solitosque cruentum
Lac potare Getar.*

Erant autem Imagno Tattarorum regi quondam vestigales, quod, ut alia omnia, quæ in hoc capite obveniunt, fide & auctoritate solius *Herbersteinii*, cuius satis notus est rerum Moscoviticarum commentarius, confirmat.

Caput V. absolutam in se demonstrationem continet, Slavos indigenas Scythiæ Sarmatiæque fuisse, advenas vero in Germania, Bohemia, Pannoniaque. Nam Constantini Magni tempore, Poloniam adhuc a Germanis inhabitatam fuisse, *Cromerus* lib. I. cap. 14. seq. tradit. Qui autem iam Poloniam tenent, non sunt Germani. Advenæ illi ergo.

Caput VI. etiam in Illyrico & Dalmatia advenas esse ostendit. Nam vetusta urbium nomina, a *Ptolomeo in Geographia* aliisque Scriptoribus nobis conservata, ut *Segesta, Delminii, Salona, Promona, Scardona, Iadere*; & fluviorum, ut *Navonis & Savi*; & populorum, ut *Scordiscorum, Liburnorum, Dardanorum* &c. nullam habere cognationem cum Slavica lingua, omnes novimus; habent autem similitudinem affinitateinque cum ea maximam ea, quæ postea ab ipsis Slavis urbibus fluminibusque addita, hodieque in usu sunt, nempe *Cbaz, Belograd, Iablancz, Dobra* &c. Ex quibus simul sumtis, illud necessario consequitur, post illa *Ptolomæi* tempora, novas gentes has oras occupasse. Sed ipsum adeo tempus, quo Illyricum ceperint Slavi, accuratissime finit *Procopius de bello Goth.* lib. I. cap. 29. & lib. III, cap. 14. & 29. In Dalmatiam autem

autem quando iidem venerint, ex Constantini *Porphyrogeniti*, de *administ. imp.* libro cap. 30. intelligitur.

Caput VII. Miscellas annotationes continet, quæ maximam partem errores emendant, a Scriptoribus Slavicis vario modo commissos. Et in hoc quidem capite *Assemanus* noster, præ cæteris, suæ eruditionis specimina admirabilia edit, & profundæ litteraturæ varia profert cimelia. Sed quia in rebus ut plurimum minutis, minutulos doctorum hominum errores primum notat, deinde corrigit, nostri ratio instituti non patitur, ut singulis censendis lustrandisque tempus & operam consumamus.

Caput VIII. in quo res Slavorum, Gothorum, Hunnorumque gestæ in Dalmatia, Illyrico, & Pannonia, a Valente usque ad Iustiniani tempora traduntur, nihil reconditæ doctrinæ, sed mere vulgaria & quotidiana, ex vulgaribus scriptoribus decerpta, continet.

Caput IX. & X. de Abaribus, Langobardorum fœderatis ac Sociis, agit. Fuerunt autem Abares Slavica natio, vaga, ferox, & arripotens, a Turcis tandem victa. Huius historiam populi accuratissime in his capitibus diligentissimeque descriptam esse, non negamus.

Caput XI. notabile est ob illam, de Hunnorum in Pannoniam adventu, quæstionem. Docet illos, qui Pannoniam postremo occuparunt, *Hunnos-Ogaros* dictos esse. Gens enim Hunnorum diffusissima multis familiis constitit. Hunni videlicet quidam Abares, quidam Hunni Cuturgi, quidam Hunni Varii, quidam Hunni Agaziri &c. dicti sunt. Sic Hungaros quos nunc vocamus, non alios esse, nisi Hunnos Ogaros, vocibus in unum Spiritum contractis, longe certissimum videtur, qui & Ogari, & Ogori, & Iguri, & Ihuri promiscue dicebantur, ab eorum sive principe, sive patria, quæ Iguria, & Iugaria, & Ingra appellata, sicuti iterum ex suo *Herbersteinio* probat, qui in *Rerum Moscoviticarum Commentario* pag. 63. *Iugaria*, inquit, *provincia situs ex supra dictis patet. Rutheni per aspirationem Iubra proferunt, & populos Iubrici vocant. Hec est Iubarria, ex qua olim Hungari*

gari progressu, Pannoniam occuparunt. De hac Ingra regione *Alexander Guagninus, Veronensis,* in descriptione Moscoviæ pag. 167. fere eadem litteris prodidit: *Ingra, sive Iubra regio, cuius incolæ Iubri vel Iugrici appellantur, ad Oceanum septentrionalem sita est, ex ea Hungaros, sterilitate regionis causata, olim prodiiisse, & Pannoniam occupasse, ferunt, aiuntque eos patriis locis egressos, primo ad paludes Meotidis condescisse, deinde ad Danubium Pannoniam versus concessisse.* Quæ si vera sunt, Hungari, nunc in Pannonia degentes, Moscovitarum propago sunt. Nam illa Ingra provincia, in Moscovia sita, & magnæ Russorum Imperatrici subiecta est. Poterat tamen quædam Herbersteinii observatio falsi suspensionem movere, qui, cum fama tulcrit, eodem Iugros cum Hungaris idiomate uti, huius rei experientiam factorus, tametsi diligenter inquisierit, neminem tamen eius regionis hominem invenire potuit, quocum famulus suus, linguæ Hungariæ peritus, colloqui potuisset.

Hos Hunnos-Ogaros Pannoniam non esse ante annum 389. ingressos, *Affmanus* noster ex *Analista Metensi* probat. Itaque *Guagninum* historicum maximopere errare, qui Attilæ temporibus putet Pannoniam ab Iubris, sive Ogaris, occupatam. Nam multo post Attilam tempore, proprias adhuc illos sedes tenuisse, & in Pannonia adhuc Longobardos, deinde Hunnos Abares, commoratos fuisse. Fallum etiam *Ioan-nem de Thwroc,* dum in Chronicis Hungarorum Part. II. c. 1. Hungaros in Pannoniam venisse scribit anno 744. Nam & hic Hunnos Abares, cum Hunnis Ogaris, i. e. Hungaris, confundit.

Tandem tractatio de Bulgarorum, Crobatarum, & Serviorum originibus, librum claudit, quem tamen imperfectum relinquit, & loco parum idoneo fuit. Nam cum de Slavorum universa gente se omnia, quæcunque Græci, Romani, & Francici scriptores tradant, se congesturum promississet, tamen postquam solorum Græcorum auctoritates reulit, medio in opere filum rumpit, iis, quæ de Slavis a Franciæ scriptoribus narrantur, in secundum Tomum Kalendariorum ecclesiæ uni-

verſæ reiectis. Eſt ſane *Aſſemano* homo memoriz, an etiam iudicii? doctus tamen & diligentiffimus ſcriptor. Omnia is, quæ obveniunt, in chartas comicit ſine diſcrimine, nec excuſſionum finem modumque tenet; quæ tamen res ſcitu dignas contineant, tamen ad propoſitum nihil omnino faciunt. Quod quærimus, nullibi eſt; quod non quæras, ubique. Neminem adeo divinatorem aut ſomniatorem eſſe arbitramur, ut in libro de Hungaris, Slavis, Crobatis, Dalmatis, Venetis, Ruſſis agentem, Dionis Caſſii amplam & copioſam hiſtoriam expectaturus ſit: & tamen longa eſt, de inventis a *Falconio* Dionis Caſſii libri, fabula. Nempe hic impoſtor literarius, ſe integrum Dionis Caſſii librum daturum promiſerat, imo ediderat, ſed mera excerpta ex Dione Caſſio Valeſiana & Zonaræ particulas eſſe, nunc omnes novimus. In his vero excerptis, & in Zonara, & in Xiphilino, multa ex Dione Caſſio verbotenus inſerta eſſe, non hic *Falconius* primus vidit, ſed iam ante eum *Fabricius*, *Voffius*, *Tillemontius*. Huiusmodi annotationes dignæ quidem *Aſſemano*, dignæ Vaticanæ bibliothecario, indignæ vero libro qui de Crobatis & Slavis & Calendariis agere debebat. Nos vero hoc exemplum elegimus, ut ex eo conſtare poſſit, omnia *noſtrum* perturbatum & confuſe pertractare. Non eſt libri totius, non capitum in libro, non paragraphorum denique in ſingulis capitibus ordo ullus, aut certa ratio. Decepit præterea emtores, falſum dum titulum operi præfixit. Nam eccleſiaſticas antiquitates rubrum promittit, cum tamen nigrum nullam de iis literulam, aut admodum raram, contra vero enormiter longas barbararum gentium hiſtorias, quas nemo hic quæſerit, contineat. Itaque, ſi non *credibitoria*, tamen *quanti minoris*, cum *Aſſemano* agendum eſt.

LETTERE FISICO MEDICHE DEL DOTTOR OTTAVIO NERUCCI, &c.

h. e.

EPISTOLÆ PHYSICO MEDICÆ DOCTORIS
OCTA-

OCTAVII NERUCCI, Senensis, Professoris Publici Medicinæ theoreticæ & Anatomie in Universitate Senensi, cum adiecta medica scriptione super infanticidio, in quo demonstratur, a cineribus incorrupta servari corpora mortua.

Luceæ, apud Phil. Maria Benedini, 1748. in 8.
Plag. 16.

Epistolarum ritu scriptus liber, varii argumenti res medicas continet. De balnearum tepidorum usu in cura variolarum primo loco disquiritur, & experimentum in iuvene variolis confluentibus laborantē, egregio cum successu captum explicatur. Quanti aquarum dulcium usus sit, cum corpora illis immerguntur, ex antiquissimorum æque ac recentium medicorum monumentis evolvitur. Singulares effectus in elevandis variolarum pustulis, postquam illæ collapsæ, & celerius, quam morbus fert, desiccatae essent, experitus Cl. Auctor est, cum variolarem puerum tepidæ immerisset; subito enim papulæ materiam relapsam iterum in se receperunt hilariter. Neutiquam autem pro novo hoc experimentum capiendum est: sed antiquissimum illud esse censetur. Quando *Galenus Celsusque*, ad promovendas cutaneas eruptiones, balneis usi sunt, quorum non minor apud Arabes auctoritas fuit. Avicenna variolares pueros decocto lupini fovit, & vaporem cuti applicuit. Fomentis ex decocto chamomillæ *Holleri* fuit usus, cui methodo subscripsit *Barbavius*, & cutem, variolas molientis pueri, balneo emolliro suasit. Cuius remedii qualis agendi modus esse possit, quotusquisque est quin clare intelligat, quando, & quid balneum, in augenda transpiratione, per cuius vias erumpunt cutis exanthemata, valere possit. Proximo loco de fœtu, post sexagesimum diem intra cineres incorrupto servato, agitur, quidque cineres ad tuenda contra putredinem corpora mortua valeant, exponitur; & postquam variz putredinem avertendi rationes expositæ fuerunt, postquam etiam Auctor, erudita aliqua digressionem, ad artem corpora mortua condiendi dilapsus est, de facultate cine-

rum, putredinem arceri, agit. Cum enim aer humidus, inter cæteras putredinis causas sit efficacissimus, non possunt non omnia, quæ sicca sunt, vel vim desiccandi habent, illum minimorum corporis elementorum expansionem, quam putredinem appellant, suspendere. Proinde, veluti sub gummoso resinoso volumine, & sub stratis arenosis, carnes defunctorum in rigidum corpus, quod mummia dicitur, indurari apud Aegyptios potuerunt: ita nunc quoque, quid sitibunda & arida, cadaveribus proliis accumbentia pulverulenta strata, speciatim cineres, ad arcerendam putredinem facere possint, sponte elucescit; cum vitænis, illis applicatis, dinoveri aerem, omnis evolutionis fermentativæ causam & motorem. Ita cineribus tecti pisces, stellas maris, & alii, induræunt, nec minus ova, contra putredinem, crassa e resinis terebinthina coctis, quam vernicem vocant, munit. De vesicatoriorum usu in morbis variis proficuo, contra *Ianum Plancum Ariminensem*, virum sapientem, & variis eruditionis specimenibus nobis cognitum, qui Medicos Senenses abusus in vesicantium applicatu committi reos fecerat, disputatur, & cantharidum virtus, quam, motus vitales languidos in maius evehendo, præstant, laudibus extollitur. At illos de veneno, quale etiam sunt, suspectos, Janus Plancus reddiderat. Disputando invenitur veritas.

EXERCITATIONES BINÆ, STUDII CAUSA EXARATE, Auctore Aristide philosopho latro physico. Alia nempe de china chinæ virtute, an coagulativa? an dissolutiva? Altera vero de salis absinthii activitate aliquantulum purgativa, vel non.

Mutinae, ex typographia Francisci Torri, 1751. in 8.
Plag. 8.

Lignum febrifugum, quod Hispani *palo de Calenturas* appellant, cum febriles motus extinguit, aliter, quam materiam febrilem, sanguini tenaciter inhaerentem, solvendo, mirabile illud beneficium haud præstare dicitur. Etiam

Eriam si enim suspectum multis hoc pharmacum est, quod deprehensum est, febres, ante quam materia illarum evoluta atque cocta decenter fuit, oppressisse, & proinde multorum malorum, qualia a febribus intermittentibus, præpostore & præcipitanter curatis, evenire solent, causa fuisse: non tamen causa sua propterea cecidit optimum medicamentum, in manu artificis periti efficacissimum; pessima omnino medicina, si male administrata fuerit; veluti nullum medicamentum tamen beneficium tamque excellens est, quin, ubi secundum leges artis non adhibetur, degeneret, atque a nativo valore defleat. Corticis merita, Auctor, brevi seriptione, erudite defendit, illi que solutivam vim assignat, quam ille tam ipso effectu ostendit, quam etiam suarum particularum, ipsiusque saporis argumento, probabilem reddit. Quod effectus ex usu corticis consequentes attinet, cognitum est, illum sudores movere, deinde alvum deducere, ac reliquas evacuationes ferre omnes procurare. Accedit experimentis ratio, ex amaritudine corticis desumpta. Nemo de gentianæ, absinthii, aliarumque plantarum amararum virtutibus antifebrilibus dubitat: quid igitur periculi est, si corticem peruvianum, amarulentia sua præ ceteris commendabilem, usurpes; præsertim cum illi amaritudini accedit aroma sane exquisitissimum, quod sapor ostendit. Igitur in illa medicina iunctim sunt virtutes aperitivæ & roborantes; ut propterea a suspitione illa, in qua adhuc apud multos est, liberari corticem omnino aliquando oporteat. Collegit Clarissimus Auctor celeberrimorum Auctorum super hoc argumento testimonia & varios utendi modos adiecit.

Altera exercitatio ad usum salis absinthii in arte pertinet, cui singulares virtutes aperiendi tribuuntur. Postquam enim de purgantium modo agendi in corpora dictum in genere fuit, magna sedulitate & eruditione, antiquorum æque ac recentium medicorum, de absinthii virtutibus sententiæ colliguntur, laudanturque illius vires aperitivæ, stomachicæ, diureticiæ; cum, si quid medicamenti est, quod istam efficaciam præstare dicitur, uni parti se neutiquam addicat, sed in omnia colatoria corporis æqua vi agat,

seque infinet omnibus visceribus, atque in illa suam vim exerceat. Agit igitur Absinthium veluti amarum, cumque bilis amaritudinem æquat, conducit omnibus morbis a bile inertis oriundis, id quod reliqua quoque amara vegetabilia non minus perficiunt. Etiam si autem ad legem omnium amarorum absinthium agit in corporis liquida, eaque dividit, ipsaque organa ad actiones vegetiores excitat: est tamen in absinthio, præter amarum, aliquid odoris quod aroma spirat; unde singulares quoque virtutes analepticas huic plantæ inesse, suspicari licet. Etiam si vero illa amaritudo, in qua potissimum Absinthii virtus & excellentia ponitur, omnino perit, cum illam ignis destruit, atque tunc ex cineribus eius nobilissimum sal exsurgit: agit tamen illud sal veluti Alkali, atque, ubi sufficiente quantitate acceptum est, tam humores ubique incidit, quam etiam alvum molliter aperit. Eadem apud nos etiam est istius nobilis remedii auctoritas, ut eo in praxi medica carere artifices nostri nolint.

*COGITATORUM SUORUM DE S. EUCHARISTIA,
ac dilucidationis apologetice eorundem Vindicie iniquis
censoris ignoti animadversionibus, quas Actis eruditorum
Lipsiensibus A. 1754 mens. Iun. P. II. pag. 344. inseruit,
oppositæ, a D. BALTH. LUDOV. TRALLES,
Medic. Vratisl.*

Vratislaviæ, 1754, 8vo.
plag. 2½.

Quid his sibi velit Cl. Auctor vindiciis, inscriptio docet. Iniqua, ut putat, censura, graviter offensus, eius non tantum Auctorem impugnat, sed Lipsiam adeo, aliam matrem, qua ipse fuit enutritus, acculat, quod in iniustam abiens novercam, degenerem habere, spuriumque plane declarare haud dubitaverit eum, quem adhuc absentem quoque pro genuino filio habere non desierit. Hoc ipso autem nullam sibi fieri iniuriam testatur, cum saluberrima piæ matris monita adeo morosè spernat, & contumaciter abiiciat. Modesta enim

enim fuit libelli eius recensio, quam tamen sale non solum, sed felle etiam plenam fuisse, inique satis pronuntiat. Quodsi vero iudicium, recensio adiectum, parum honorificum suæ famæ videatur, his quoque suam parum probari sententiam ex eo intelliget, quos causæ suæ arbitros nominaverat ipse. Ex quorum numero si iudicem a se electum eam sibi statuisse sententiam credidisset, cholerae suæ olim atrocissimæ probe memor, non adeo incenso forte animo & commota bile, Theologo fuisset stomachatus, quocum rem sibi esse arbitratur, quemque, cum mansuetum esse, & iniuriarum patientem debere, sciat, satis ignominiose perstringit, p. 19. *quod lepido utatur strategemate, licet ex Theologia principis haud petito, pag. 25. quod absonam comparationem instituat, pag. 26. quod somnia foveat, quæ ingentem lapsum intellectus, & magnam mentis debilitatem prodant, & quæ sunt reliqua, evidentissima fiduciæ eius, in Lipsiensium Theologorum lenitudinem, pietatemque, & mansuetudinem, positæ documenta. Missis autem, quæ, viris indigna eruditus, nec Theologo, vel quisque fuerit censor viri Cl. stomachum movebunt: ipsis potius causæ eius vindictis paulo immorabimur recensendis.*

Primo se nescire simulat, quid mali suspicetur, sibi que exprohret censor, quod nullam mentionem fecerit sanguinis Christi, de corpore saltem verba faciens; quid tamen suos exaggerandi errores causa factum esse, nec inique, suspicatur; siquidem, qui sanguinem Christi computruisse docet, eius sine dubio præsentiam negare putandus est, quamvis Christum corpore suo glorioso in S. Eucharistia præsentem esse largiatur. Ex communi quidem ecclesiæ nostræ doctrina, non autem ex falsa eius sententia, de putrefacto Christi, quem pro nobis effudit, sanguine, ita est statuendum, ut, *si de corpore Christi, quod adsit, evidetum est, idem quoque de sanguine valere sponte elucescat.* Eum enim non putredine saltem constantem esse putat Cl. Auctor, sed Christum quoque, dum resurgeret, iterum collegisse eum, adsumsisse iterum, secumque in cælum translulisse, negat; adeoque corpus Christi glorificatum statu-

statuit sine sanguine pro nobis effuso. Cuius enim nullam alicubi mentionem fecerit, ambigue merito scripsisse eum censor dixerat, quando ubique fere locorum, Christum panem in S. cœna adesse quidem corpore glorificato profiteretur, nunquam autem vino eum quoque sanguine glorificati corporis adesse, diserte satis affirmat. In eo quærendam esse, sciat, ambiguitatem sibi exprobratam, quem ad corpus Christi glorificatum, vel in cœlis inter electos versans referre frustra studet, vel a

- Pag. 6-8. Nostratibus pendere Theologis arbitratur. Quicquid enim de corpore Christi *naturali & animali in statu exinanitionis, eoque iam spirituali & glorioso in præsentis exaltationis statu,* copiose disserit, denuo præter rem inutiliter fuit repetitum.
9. 10. Nunquam docuerunt Nostrates Theologi, adesse in Eucharistia corpus aliquod extensum, divisibile, sensibile, adeoque concedere non coguntur, sed lubentissime concedunt, *non adesse idem corpus animale & naturale Christi, quod gessit in terris, non idem nimirum quoad qualitates & affectiones,* siquidem corpus Christi, in præsentis statu glorioso, supernaturale est, & spirituale, idque, prout olim discipulis iam dispensavit in prima sacre cœnæ institutione, ita adhuc largitur communicantibus, quod tamen idem in æternum est, & manebit, corpus Christi, quod gessit in terra, idem, inquam, *quoad substantiam, speciem, & numerum.* Ita bene secum invicem consentiunt Nostrates Theologi, quando *idem corpus Christi naturale,* quod mortuum est pro peccatis mundi, quamvis *non in eodem exinanitionis, sed in exaltationis statu glorioso,* adeoque nunc glorificatum, in sacra cœna nobis exhiberi docent, idemque de sanguine Christi pronuntiant. De eo autem nimis adhuc usque ambigue suam declaravit mentem Vir Cl. nec diserte unquam, Evangelicorum more, profiteretur, quod ecclesia aperte docet Evangelico-Lutherana. Christum omnipræsentem adesse quidem dicit Eucharistiæ, non autem ipsum corpus gloriosum, ipsumque sanguinem, æternis cœnæ symbolis coniuncta esse, & unita, pronuntiat. *Pauxillum potius panis & vini, Christi omnipræsentis (sive rectius corporis eius & sanguinis) vehiculum quasi, velle statuere,*

re, nimis abiectum, nimis humanum fore arbitratur. Profitetur quidem ipsam quoque corporis & sanguinis presentiam realem, totam autem eius manducationem & bibitionem quam dicit supernaturalem, ut cuius nihil materia corpora & sanguinea inhaereat panis & vino, in eo ponit, ut mortis & meriti Christi reddamur participes. Nunquam idem nobis corpus manducandum exhiberi pronuntiat, quod olim in mortem pro nobis traditum fuit, nunc autem est gloriosum, eundemque sanguinem olim pro nobis effusum, nunc glorioso Christi corpori denuo unitum, modo quodam, quem ignoramus, supernaturali. Utrumque comunicantibus Mediator pronuntiat: edite, hoc est corpus meum; bibite, hoc est sanguis meus, utrumque vere exhiberi, fidem eius promisso habentes, ingenue credimus, de modo, quo fieri vel possit, vel debeat, perurum solliciti. Quod si aequè libere ac ingenue Vir Cl. profiteretur, rimas non amplius quaerendo & diverticula, ambabus sane eum & alma mater, & ecclesia nostra, tanquam filium genuinum amplecteretur, abiecta omni formidine, & in ista, qua affligitur, suspitione, de sententia Reformatorem animo forte sedente.

Quae sunt reliqua in his vindictis, ad iniquum, quod putat, libelli sui iudicium pertinent. Eo enim gravissime ideo offenditur, quod *heresios, quo infamatus fuerit, crimen, ad abominabilem Socinianismum usque a censore extendatur, improba certe & Theologo satis indigna agendi ratione.* Quis autem Socinianismi statim reum esse, nisi ex praecipitantis exacerbatae mentis iudicaverit eum, cui Sociniana quaedam hypothesis exprobratur? Sunt aliqui ex Nqstratibus etiam Theologis, qui Socinianorum de morte naturali sententiam tuentur, quod in se non sit poenae loco habenda, sed ex aliqua potius naturae necessitate, vel integris etiam subeunda fuisset hominibus. Nec tamen ideo quisquam eorum Socinianismi accusatur. Quid ergo opus fuit tam operose exponere toto caelo a se distantem differentiam, inter Socinianorum errores, suamque quam sectatur veritatem? Sufficit in hoc uno eum cum Sociniano sentire, ut aliquam, eamque praecipuam corporis Christi

Pag. II.

II - 16.

partem, sanguinem nimirum, pretiosissimum illud *αἷμα*, quod suis in S. Cœna dare promisit salvator, ut hoc inquam, necessaria absuntum fuisse putredine statuat. Eam esse Socinianam hypothesein, ipse diffiteri nequit, quamvis corruptionem non eorum quidem more ad totum corpus Christi, sed ad eius duntaxat sanguinem, suo referat more sibi proprio: quare eam Vito Cl. exprobrare tantum sane non erit crimen, ut improba & Theologo satis indigna agendi ratione factum id esse, iure quodam possit criminari.

27. 22. Sententiam denique sibi definitam, æque graviter summa mentis acerbitate perstringit, ac institutas censoris comparationes, quibus, ultra tertium nunquam extendendis, non modum præsentis corporis & sanguinis Christi in S. Eucharistia explicare, sed eius tantum impossibilitatem remove voluit, & ex analogia corporum simpliciorum quodammodo illustrare, quod ea in re absurdi nihil statuat ecclesia nostra & contradictorii. Quapropter satius omnino esse recte sentientibus videtur omnibus, si vel sibi soli ea in re saperet Cl. Auctor, suo abundans sensu, vel si suæ, ut videtur, aliorumque fidei & animarum felicitati, pariter atque ecclesie, quam profitetur, Lutherane, tranquillitati consultum esse voluerit, ad formam sanorum verborum palam & aperte pronuntiaret, quod idem corpus suum, eundem sanguinem, oblatum pro nobis in sacrificium expiatorium, communicantibus comedendum exhibeat bibendumque in Eucharistia Mediator omnipotens, modo, quem pia fide veneramus, nobis incomprehensibili.

*ALBII TIBULLI, QUÆ EXTANT, CARMINA,
novis curis castigata, illustrissimo Domino, Domino
HENRICO, Comiti DE BRUHL,
inscripta.*

Lipsiæ, 1755. 8.
Alphab. 1. plag. 17.

Albius

Albis Tibullus, uti ingenio Nasoni, doctrina Propertio cedit, ita ceteros elegographos arte animi sensum effectumque exprimendi, & nativa aliqua, nec tamen rudi & horrida, sed culta simplicitate & suavitate, longe post se relinquit; quo nomine frequenti adolescentum lectione teri versarique debebat, ut inde venustatem aliquam & cultum ingenii induerent, quem aliquando moribus habituque exprimere possent. Cum idonea editio, qua & verba poetæ emendate legerentur, & diligenter succincteque, nec fufis notarum involucris obscurata, explicarentur, nondum esset ulla: novam adornavit, qua utrumque præstare annixus est, editor, V. C. cuius nomen sub dedicatione exprimitur, *Heynius*; & alterum quidem quomodo effecerit, mox dicemus: hoc ita præstitit, ut nec aridas Minelliorum notulas proponeret, nec vastos cum aliis commentarios conderet. Subiecit poetæ verbis breves notas, in quibus verbis vel singulis difficiliorum vocum vim & sensum indicat, nisi ubi minus trita vocabuli notio exempla exigebat. In his valde se superiorum editorum, imprimis Broukhufii & Vulpit, copiis adiutum fuisse, ait, ita tamen, ut fufos illorum commentarios ad breves notulas redigeret. Notarum ab ipso profectarum, tanquam specimina aliqua, subiiciemus hæc: Lib. I. eleg. I, 5.

Me mea paupertas vita traducat inertis.

h. ad vitam. Traducere h. l. dictum, ut tradere, reddere otio, litteris. Sensus: ego pauper, contemtiis divitiis, vitam desidiosam, nullo labore & molestia vexatam, vivam. I. 3, 36.

Tellus in longas est patefacta vias.

hoc est: *via in terris factæ sunt. Nam, quæ pervia sunt, & frequentari incipiunt, patefieri dicuntur.* Phædrus IV, 6. Cic. pro Manil. cap. 8. *Contra claudi dicuntur loca, quæ adiri nequeunt, ut in illis: Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis.* Vide porro ad lib. I. eleg. 3, 45. I, 4, 20. I, 6, 17. I, 6, 79. I, 7, 48. ubi *conscia* poetis recte ait dici ea, quæ
Ecc 2 ali.

aliquid in se continet, vel inclusum habent. I, 8, 36. II, 1, 46 & 88. II, 3, 54. II, 4, 54. ubi explicat, quid sit *ire sub imperium*, quando de domo vendenda dicitur. Adde de duorum uni voci additorum epithetorum vi & ratione, ad lib III, 5, 22.

In calce poetæ subiectæ sunt *observationes*, quæ maiorem voluminis partem efficiunt. In his de lectionis auctoritate & veritate, de varietatibus & earum origine disputatur, in hanc enim imprimis inquirere solet. Dabinus & harum aliquot exempla: I, 2, 84.

Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.

Revocavi, inquit, *vulgatam lectionem, quæ erat ante Broukhusium. Is ex uno suo Fulminis, & ex alio uno siliit pro vertit reposuerat, quod arridere potest etiam propter τὸ rapidi, & quia cœlum & sidera modo memorata fuerunt; videbatur tamen docta manus refrinxisse ex illis Ovidii: obliquaque fulmina siliit. Certe uni isti libro parere, sprta omnium librorum & editionum auctoritate, nolui. Vertit iter vero est facit, ut versus caput & fontem flumen revertatur: Ovid. IV. ex P. 6, 45. I. Am. 8, 6, conf. Lucan. VI. 473. Claudian. I, in Rufin. 160. &c. Porro ad I, 2, 89 docet, quid intersit inter ludere & ledere amores. I, 3, 50. de varietate mille repente via, & multa reperta via I, 4, 69. quid sit: tercentenas erroribus impleat urbes I, 7, 16. Taurus arat Cilicas, si vera lectio sit, verum sensum fore ostendit: Ciliciam Tauri iugis, tanquam sulcis, distinctam esse & diffusam, scilicet ut mons per mediam regionem perpetuo iugo extendatur. ead. v. 42. de variatione, compede & cuspide. I, 10, 26. rustica & mystica porcus: II, 5, 69. Quatque Albana sacras &c. IV, 175. ubi per claros ierint tua facta triumphos. Memorabimus & emendationes aliquas ab ipso propositas. Libro itaque primo, eleg. 5, 33.*

*Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paros atque epulas ipsa ministra gerat.*

legendum conicit: *nunc sedula curet, nunc paros &c. I, 6, 42:*

stet

Stet procul, atque alia stet procul ante via.

legendum:

Stet procul ante, alia stet procul ante via.

I, 9, 25. *lena* recte e tanta lectionis varietate recipere sibi visus est, & v. 36. *puras fulminis esse vias.* I, 10, 10.

— *somnumque petebat*

Securus varias dux gregis inter oves.

legit: *Securas aries dux gregis inter oves*, nam *ducem gregis* esse arietis vel hirci perpetuum epitheton. Ead. v. 11.

*Tunc mihi vita foret: vulgi nec tristia nossem
Arma.*

coniicit: *Tunc mihi vita foret*, Valgi: ut hæc ad amicum suum perferibere putandus sit. II, 4, 5.

Et seu quid merui, seu quid peccavimus, urit.

legit: *Et seu quid metuit, seu quid &c.* Cum vero in edit. Rom. pro *merui* conspiciatur *Veneri*, nimis audacter coniicit:

Et scivit Veneris, si quid peccavimus ira.

Nimis liberalis videtur fuisse & in illa coniectura III, 2, 15:

Præfata ante meos Manes animamque precata.

ubi in libris *rogata, rogata, rogantes*, unde facit: *animamque vagantem*, valde iuveniliter luxuriatus. Melius III, 6, 55. legit:

Perfida, nec merito, nobis: nec amica merenti.

& IV, 1, 139. pro *Tyrjo colono, Thereo*. Interuit quoque copiosiores aliquot, sed doctas disputationes; qualis illa ad initium elegiæ 3 libri I. de supputatione profecionis & triumpho Messalæ; ad I, 7, 28. de modo loquendi: *plangere bovem*, ubi Herodotum aliquoties emendat; ad II, 6, 20. de corruptis

ruptis pentametris exentibus in polysyllabum; ad III, 5, 9. ubi contra Itali, Mariani, emendationem, *Caiarum Ihermarum*, disputat, item de Auctore Panegyrici libro IV.

Verba poetæ, Broukhufiana & Scaligerana ratione, quæ transponendis & immutandis versibus multum ingenio indulgebat, neglecta, ad Vulpianam editionem Paravii 1749. recessit, quod ea ad librorum scriptorum veritatem proxime accederet: vel tamen sic in aliquot locis ab ea discedere, & antiquiorem lectionem revocare coactus fuit. Loca in præfatione diligenter notavit. Ingenio omnino nihil indulfit, nec nisi in observationibus ei locum esse voluit, in quibus emendationes aliquot proposuit, sed ea cum modestia, quæ vel errori veniam conciliare possit. Præfationem amplam præmisit, in qua de lectionis Tibulli, & omnino elegographorum ratione & utilitate agit: sua & superiorum editorum adminicula enarrat: novo autem exemplo codices, qui adhuc in bibliothecis passim latent, & editiones superiores omnes, accurate & diligenter enumerat. Ipse editione Romana 1475. & Thameriana 1500. utraque, reliquis interpretibus nondum visa, & præterea libro scripto e bibliotheca regia Dresdenfi, quem pag. 29. describit, usus est. Inscriptus est liber Illustrissimo D. D. Comiti de Brühl hoc Tetraſticho:

*Hoc Domino esse meo sacrum mens grata iubebat:
At tam parva ausim munera ferre Deo?
Tum Venus ex alto placidum subrisit, & Illi,
Ipse ego, si dubitas, hoc iubeo esse sacrum.*

Nobis volupe fuit, doctas Heynii, V. Cl. in Tibullum animadversiones, scrutari; quas ille, si neque cumulavit, neque rebus eo minime pertinentibus implevit, hoc est excusatio, quod habent istiusmodi cupediarum amantes, quos consulant, Broukhufium, Vulpium. Verbo dicemus, eo maiorem laudem, Tibullo edendo, Heynium meruisse, quo sunt pauciores, qui vel legendo, vel intelligendo Scriptori latino, immorantur. Sed hoc forte temporum vitium est, non hominum.

Wey.

Beiträge zur Erläuterung der Schleswig-Holsteinischen
Historie.

h. c.

ACCESSIONES AD ILLUSTRANDAM HISTO-
riam civilem, ecclesiasticam, & litterariam, Ducatum
Slesvicensis & Holsatici. Auctore I. F.

NOODT, Sect. I - VI.

Hamburgi, apud Christ. Herold, ab anno 1744 usque
1748. in 4.

Alph. 3. plag. 17.

Quæ hic recensentur, accessiones ad historiam Slesvicen-
sem & Holsaticam, in variorum potissimum consistunt
diplomatum & monumentorum necdum editorum collectio-
ne. Quemadmodum autem eiusmodi scripta, quæ observa-
tiones suppeditant ad illustrandam scientiam aliquam aut
disciplinam, nec habent certum & determinatum ordinem,
nec admodum requirunt, sed, ut quodque memoriæ oculis-
que obvenit, ita potest mandari litteris: ita in hoc ipso libro,
promiscue reperies varii & diversi generis memorabilia in-
edita, quæ, quamquam sese in quolibet fasciculo ratione tem-
poris & vetustatis excipiunt, nullo tamen ita certo sunt vin-
culo copulata, ut divelli non possint. Quapropter sex etiam
isti fasciculi primi voluminis harum accessionum, ut diverso
temporum intervallo prodierunt, ita pro arbitrio dispositi
sunt. Et quamvis a pluribus doctis viris, ut ex præfatione pri-
ma suspicari liceret, opus istud & institutum Slesvici, & in-
choatum esse videtur: tamen ex litteris dedicatoriis ad po-
tentissimum Danicæ regem, Fridericum Quintum; quas *Ioh.*
Frid. Noodt, Cœnobii S. Ioh. apud Slesvicum V. D. M. &
nunc regii etiam ibidem Consistorii Consiliarius, exaravit, &
ex præfatione, ultimo fasciculo præmissa, facile colligimus,
hunc unum editorem huius collectionis aut statim ab initio
fuisse, aut certe etiam nunc esse. Ipsi itaque maximam gra-
tiam

tiam habemus, quod, vestigia premissa illustrissimi viri, Domini de Westphalen, protraxit, quæ adhuc iacuerunt, monumenta & diplomata vetusta, eaque aut illustravit doctis suis & elegantibus animadversionibus, aut emendavit. Etenim, si monumenta illa antiqua ii fontes sunt, e quibus omnis veritas & historica certitudo petenda est, nunquam satis laudari poterunt doctissimi viri, qui in eo elaborant, ut ii fontes omnibus aperiantur, qui studio historico sese dederunt. Non possumus itaque non excirare Cl. Virum Joh. Frid. Noodt, ut pergat in laudabili studio, & omnia, quæ in manibus sunt, antiquarum rerum monumenta, in lucem edenda curet.

Jam vero, ut lectores nostri plenioram quandam huius libri notitiam adipiscantur, quæ nobis potiora visa sunt momenta singularum sectionum, explicata dabimus. In priori igitur sectione, quæ A. 1744. prodiit, præ reliquis observanda est, quæ locum XI. occupat, *Regis Christiani IV. confirmatio privilegiorum capituli canonicorum Slesvicensis, Flensburgi, primo Sept. A. 1593.* quoniam in ea simul confirmata est ordinatio ecclesiastica Slesvico-Holsatica, cuius historiam quidem peculiarem dedit Lackmannus, sed documentum hoc ipsum historię suæ non inseruit. XII. *Mandatum Ducis Friderici, de prorogandis iurisdictionibus Chilonensibus, Gottorp. d. 4. Ian. 1628.* XIII. *Litteræ Joh. Bugenhagen ad Johannem Seniorein, Ducem Hadersleb. quibus commendat M. Petrum Generanum, Wittenberg. circa annum 1546.* XVI. *Litteræ Antonia Burignon. ad Ducem Christianum Albertum, dat. Slesvici d. 29. Nov. 1674.* quæ gallice ab alio, utque Clar. Editori videtur, a Petro Poireto, manu nitida in chartam coniectæ, a Burignonia autem subscriptæ sunt. Excusat se his litteris, eosque ultro accusat mendacii, qui suspensionem Principi iniecerant, quasi novam erexerit officinam typographicam, novosque libros edere constituerit; sed petit simul, ut sibi per principem respondere liceat M. Georg. Henr. Burchardi, qui scripserat contra eius errores. In animadversionibus ad hanc epistolam, fide Illustr. Bœrhavii, commemoratur, clarissimum illum anatomicum & physicum, Joh. Swammerdamium, ve-

nia ab ipsa impetrata, de multis religionis capitibus eam per litteras consuluisse, & deinde, eum se totum studio pietatis dedisset, profectusque ad eam esset, Burignonia autem non ita multo post Holfatia exire coacta, ipsum Holfatiae flagitasse regem Daniæ, ut Burignoniæ ius habitandi in regis ditione concederetur. *XVII. Andrea Hoieri, consilarii regii, disquisitione, an Hartwicus Reventlow, qui comitem Adolphum VI. A. 1315. Segebergæ interfecit, percussor privatus haberi debeat.* Quamvis ab Alberto Kranzio & plerisque aliis, memoriæ proditum sit, Hartwicum Reventlow, acerbissima iniuria accepta, adeo induisse iracundiæ suæ, ut, mutatis vestibus, clam adgressus comitem, sicariorum more eum percussisset: tamen in hac disquisitione gravissimis rationibus evincitur, non sua sponte eum, sed iussu Gerhardi comitis, cuius erat tribunus militum, & tantum ad comprehendendum Adolphum comitem esse profectum, nec interfecisse eum nisi coacte, cum Adolphus, vehementer repugnans, abduci se nolisset. *XVIII. Relatio de feudi recognitione Holfatica, Viennæ A. 1582. instituta, in qua de variis ritibus eiusmodi inaugurationis prolixè agitur, & multa occurrunt, quæ spectant ad Plœnensem historiam.*

In altera sectione, quæ eodem anno edita est, primo loco occurrit: *Ducum Holfatiae, Henrici, Adolphi, & Gerhardi, confirmatio iuris patronatus Vicariæ S. Magni, in ecclesia Sanctimonialium Izehoensium A. 1421. ubi observamus, duces quidem fuisse Henricum, Adolph. & Gerhardum, sed non Holfatiae, verum Slesvicenses. V. Dux Iohannes magnam ædem Pilwormiensem mille marcarum pretio vendit A. 1574. Iis namque temporibus multæ ædes sacræ aut vendebantur, aut destruebantur, multæ etiam in curias & ptochotrophia mutatae sunt; quam rem Ioh. Ad. Cypræus, apostata, ridens scribit: „Anno 1532 campanæ omnes ex ædibus sacræ & templis auferuntur, una tantummodo relicta, & quidem minima. Sed & supellex omnis aurea & argentea auferitur, uno tantummodo calice relicto; altaria tantum remanent,*

quod ex lateribus, non auro constarent." VII. *Henrici Ranzovii, regii per Holsatiam vicarii, fundatio sacelli prope monasterium Segebergense, an. 1598.* quod præcipue in memoriam regis Danicæ Frid. II. filii sui Friderici, in Gallia telo transfixi, filięque Catharinę, aliorumque cognatorum, extrui curavit. VIII. *Solemnis deprecatio, quam 36. nobiles, (duodecim quippe viri, duodecim feminę, totidemque virgines,) susceperant Chilonii A. 1588. cum Frid. Brokdorfius Gerhardum Ranzovium provocatum interfecisset. Hunc Ranzovium præclare doctum, & flore ætatis perentum, his versibus loquentem inducit Lindebergius:*

*Dum nimis audester conferta dimico dextra,
Ab miserum, ante diem funeris, ense cado.
Sic fuit in fatis, ut tali morte perirem,
Quis scit, victorem qualia fata manent?
Pena Dei lenta est, vindictaque lenta supremi,
Crastina non abiit, non hodierna dies.
Dices meo exemplo, quicumque es, candido lector,
Cum socio haud temere conseruisse manum.
In dubio Mars est, sed mors certissima semper,
Nunc hunc, nunc alium, funere duro premens.*

Ipsi Ranzovio prædictum esse ferunt, ab Astrologo quodam, mala morte eum peritarum, cen observavit Clar. Editor ex manuscripto quodam, quod autographum Henrici Ranzovii esse perhibetur. Documentum autem illud tribus ex causis potissimum notandum est, quarum prima, quod ex eo illustrari possunt, quę in legibus nostris antiquis de Werigeldo sive Mann-Busse dicuntur; altera, quod triplex numerus duodecim adhibitus est; tertia, quod causam perspicimus, cur tot cædes olim in his terris patratae sint. Namque in iudicium vocati homicidæ, aut levi multabantur pecunia, aut omnino absoluebantur, si demonstrare quis posset chirographo, quod patri aut filio defuncti satisfacisset. XII. *Pañum*

conventum Odenſenſe inter Fridericum II. Regem, & Duces Johannem & Adolphum A. 1579. Quamvis hæc transactio iam sæpius typis exſcripta ſit, tamen, quoniam editori exemplar aliquod vetuſtiſſimum manuſcriptum in manibus fuit, quod a ceteris multis in rebus diſcrepat, & accurate exhibet comiſſariorum ac conſiliariorum nomina, illud collectionibus ſuis adiungere non dubitavit. XIII. *Collectio variorum documentorum*, ad reformationem cœnobii Bordesholmenſis, variasque inde natas controverſias, pertinentium, ab A. 1567. uſque A. 1577.

Tertiæ Sectionis, A. 1745. editæ, I. *diplomatarium civitatis Slevicenſis*, e membranis & chartis authenticis erutum, ab An. 1242 ad A. 1484. Quæ hic occurrunt privilegia Daniæ regum & ducum Jutiæ & Slevici, multum de amplitudine urbis Slevici, qua olim floruit, teſtantur; reperiuntur etiam non pauca, quæ lucem ex etymologicis præſidiis deſiderarunt, quam editoris ſollertia iisdem larga manu aſſudit. II. *Diplomatarium cœnobii Itehoenſis* ex autographis collectum, particula prima ab A. 1263 — 1350. Varia hic leguntur privilegia, conſeſſiones, donationes, oppignoraciones, & venditiones, ad hoc cœnobium ſpectantes. In obſervationibus, occasione data, de origine & fatiſ cœnobii Reinſfeld, ordinis Ciſterciënſis, multa aſſeruntur memorabilia. III. *Luca Backmeiſteri tres epistolæ Germanicæ* ad ducem Johannem Senioreſem Haderslebiënſem, de vocatione M. Henrici Dinggraven ad manus antiſtitii ſulici, Lubecæ & Roſtochii, d. 4. & 17. Sept. & die 27. Octobris 1571. Mentionem facit in prima epistoſa, Theologus Roſtochiënſis, de chronico quodam Polonico & Moſcovitico, deque conſilio filii magni Ruſſorum Ducis, commigrandi Viennam, ibique addiſcendi inſtituta & mores Germanicos, atque, ſi fata ferant, ducendi in matrimonium Principem Germanicam, quoniam ipſe, Bavara quondam Principe magno cuidam Duci nupta, eodem ſanguine ortus eſſet. IV. *Vera deductio eorum*, quæ inter Chriſtianum IV. Regem Daniæ & Norvagiæ, & Archiepiſcopum Breiſenſem, Ducem Joh. Fridericum, heredem Norvagiæ, in nego-

tio coadiutorie & future successionis Archiepiscopatus Bremensis, acta sunt. *V. Frider. Christiani Feustkingii, breves animadversiones ad Casp. Dankwerthi novam Geographiam Ducatum Slesv. & Holsat.* *VI. brevis narratio de solemnibus in deductione funeris Ser. Ducis Friderici, & hinc homagii Duci Christiano Alberto præstiti, A. 1661.* *VII. I. C. Feustkingii disquisitio: an D. Io. Cluverus Auctor sit epitomes historie universalis ad A. 1633, continuatæ? Accusatus est Io. Cluverus plagii litterarii in lexico eruditorum, a Marquardo Gudio, Io. Helmanno, aliisque, quasi ipse non scripsisset hanc epitomen, sed eam, à Jesuita quodam confectam, qui in acie occubisset, sibi que oblatam, suo nomine evulgasset. A quo plagii crimine eum liberat Feustkingius pluribus argumentis, gloriamque ei debitam restituit.*

Ad quartam Sectionem pervenimus, quæ eodem anno prodit, cuius *I. Diplomatarium canobii Irzeboensis* ex autographis erutum, Part. secunda ab A. 1354 - 1430. *II. Pauli Cyprii, I. V. D. & Ducum Holsato-Gottorpiensium consiliiarii, acta legationis Hispanicæ ad Regem Philippum II. A. 1583. & 1584, susceptæ.* Summa huius negotii erat, ut duci satisfaceret de residuo stipendiorum, quæ equitibus, quos An. 1572. in Belgium duxerat, debebantur. *III. Friderici Ducis confirmatio, qua capitulationem pactam cum colleg. Canonic. Lubec. a fratre ipsius, duce Joh. Adolpho, electo episcopo Lubecensi, ita, ut principem deceat, servatum iri promisit. Dat. Gottorp. d. 10. Octobr. 1586. cum additamentis.* Ex hoc documento demonstravit Laekmannus, Oleatium in Chronico Holsatico & alios errasse, cum ab ipsis relatum legamus, Bremensem Archiepiscopum, Joh. Adolphum, anno 1587. electum esse episcopum Lubecensem. Præ reliquis articulis huius capitulationis notandus est XIV. in quo promisit dux, se operam daturum, ut, cum comites & duces Holsatiæ olim hunc ducatum ab Episcopatu Lubecensi in feudum recognoverint, talis infendatio episcopatu restitueretur, de qua causa cum quædam h. l. concessit Edit. Cl. hinc peculiaris commentatio & dis-

qui-

quisitio, cum præfatione Joh. Dan. Kœleri, Gœttingæ ante aliquot annos prodit, de qua alibi dicendi locus dabitur.

In V. Sectione, an. 1747. edita I. occurrit *diplomatarium cœnobii Izeboënsis* ex autographis erutum, Part. tertia, ab an. 1433 — 1498. II. *Gottschalkus, dictus de Segeberg*, vendit monasterio Veterfen duas partes villæ Hottenbechiz, & tertiam partem villæ Rickelingæ an. 1289. III. *Comes Iohannes concedit monasterio Veterfen liberam facultatem*, pro sexcentis marcis bona acquirendi, an. 1308. X. *Collectio variorum documentorum*, ad comitatum Pinnebergensem spectantium, quem post mortem ultimi comitis Otonis de Schaumburg, inter se partitæ sunt regia & ducalis domus, an. 1640. & 1641. In documentis hoc fasce exhibitis, non tantum causa primaria, quæ in iisdem tractatur, multam lucem accipit, sed & peculiaris quædam observatio occurrit, a Cl. Edst. in nota ad p. 470. seq. subiecta, quam hic præmittere non possumus, quia de morte Gustavi Adolphi, regis Suecorum, multa memorabilia congeruntur, ex manuscripto quodam prorsus hucusque incognito, cuius auctor se Johannem ab Hastensdorf appellat. Quod manuscriptum eo magis notandum est, quoniam Auctor non solum interfuit prælio Luzenensi, sed regem etiam, in hostes irruentem, cum quatuor aliis equitibus comitatus est. Describit, quæ ipsi, quæque regi acciderint, partim versibus, partim soluta oratione. Ex quibus omnibus elucet, regem a proditore quodam, quem nominare quidem non debeat, sed omnibus satis noto, globo primum in capite gravissime vulneratum, postquam autem descendisset equo, & humi procubisset, ab eodem proditore, qui propius accurrerit, novem vulneribus occisum esse. XI. *Iohannis a Woweru, ducalis quondam consilarii, testamentum*, Slesvici die 16. Martii an. 1612. compositum, & scripto comprehensum. In observationibus multa ex litteris ineditis huius Wowerii, viri, ut tunc erant tempora, doctissimi, ad illustrandam vitam ipsius facientia, reperiuntur.

In sexta Sectione, anno 1748. edita, sequentia fere sunt:
I. Diplomatarium cœnobii Ixehoeſensis ex autographis erutum
 Part. 4. ab an. 1528 — 1594. **II. Mantissa diplomatum**, ad
 Cœnobium Veterſenſe pertinentium, ab an. 12... — 1531. Cum
 in monumentis ineditis Illuſtriſſimi de Weſtphalen Tom. IV.
 varia Diplomata & documenta, ad hoc cœnobium pertinen-
 tia, typis iam exſcripta ſint, hæc quaſi mantiffæ loco adduntur.
III. Contractus emtionis & permutationis Regis Johannis cum
 Johanne de Ahlefeld, ratione clauſtri Dorning. & Haſel-
 dorp. Alſingburgi an. 1494. **V. Job. Adolphi Kielmanni**, D.
 Balthaſar. Kryſingii, & Andreæ Hoieri, I. V. D. animadver-
 ſiones ad D. Caſp. Danckwerth novam geographiam duca-
 tum Slef. & Holſat. **VI. Additiones & emendationes** quin-
 que priorum Sectionum huius libri.

**DE VERBIS GRÆCORUM MEDIIS COMMENTA-
 tiones** L. Kuſſeri, I. Clerici, S. Clarkii & E. Schmidii,
recenſiſ, auxis, ſuamque adieciſ CHRISTOPHORUS
 WOLLE, editio altera correctior &
 locupletior.

Lipliæ ſumtu Io. Georg. Læwii, 1752. 8. min.
 Alph. 1. plæg. 2.

Magnum instrumentum theologiæ præbent linguæ, quibus
 tabulæ veteris novique fœderis exaratae ſunt, propterea,
 quod fontes habent divinæ ſcripturæ, non hauſtos aliunde,
 quæ ex ipſo ſancti Spiritus aſſatu. Itaque magna omnino
 theologi præſtantia eſt, qui accuratius eaſdem imbiberit, ea-
 rumque cognitionem, ſcriptorum optimorum lectione, & am-
 plificaverit & confirmaverit. In quorum numero ſi S. R.
 Wellium noſtrum habemus, iis proſecto adulationis ſuſpecti
 minus videbimur, qui ipſum virum doctiſſimum norunt, aut
 erudita, quæ foras dedit, ſcripta ſtudioſe perlegerunt. Qui
 enim ut ab inſunte ætate bonas litteras amavit, iisque, quaſi
 gradibus, nixus, ad laudem dignitatemque pervenit: ita ne
 nunc quidem, quum res magis ſeris ipſi tractandæ ſint, ea-
 rum

ram suavitatis oblivisci, aut amorem veterem elicere e pe-
ctore potest. Quam ob rem, quas A. 1733. Lipsiæ iunctim
ediderat *de verbis mediis dissertationes*, earum tantum abest,
ut postea curam abiecerit, ut comtiores nunc auctioresque
prodire in lucem iubeat. Quarum rationem conformationem-
que, quum plerisque lectorum nostrorum ex priore editione
constare arbitremur, breviter tantum, quas novas accessiones
hæc altera habeat, attingemus. Apparet ea in nomine *Petri*
Wesselingii V. C. cuius admonitu consilioque, doctissimus
vir fatetur, se eius in se curam denuo suscepisse. Primum
locum, ut in priore, ita in hac editione tenet *Kusteri* libellus,
quem utilissimum P. Horrens in observationibus crit. in Thu-
cyd. p. 468. dicit, observationibus & *accessionibus novis* locu-
pletatus, quas ex Atticis maxime scriptoribus se diligenter ex-
cerptasse profitetur, viam verborum mediorum, *vere proprie-*
que mediam, tam firmis rationibus corroboraturus, quas
omnem præcidant dubitationem. Sequitur *Clertii* dissertatio,
e Gallico Latine iam olim versa, nunc *recognita*, & sicubi
opus erat, *correcta*; opibus, quas *Kustero* vir eximius oppone-
re ausus erat, penitus coniectis. Hanc excipit *nova disserta-*
tio, nunc in Germania primum luci exposita. Est ea V. C. *Sam-*
Clarkii, quam ex eius literatissimis *annotationibus*, quibus
Iliada Homericam ornavit, describere operæ pretium duxit
Wallius noster. Qui quidem, etsi ex *Kusteri* fontibus suos hor-
tulos irrigasse videtur; tamen observationibus suis destitutum
eum esse noluit eruditus Editor. *Erasmi Schmidii* dis-
sertatio, quamquam essent, qui eam vellent abici; ita tamen
rectissime loco mota non est, uti primum magno illi ho-
mini, litterarumque Græcarum apprime gnaro, vera verbi me-
dii vis, nec opinanti, suboluisse videtur. Prodit ea nunc
emendatio, & *novis accessionibus*, ex eiusdem magni viri alio
libro * *petitis*, aucta. Agmen claudit ipsius *Wallii*, viri ex-
cellenter docti, *dissertatio de verbis Græcorum mediis, exem-*
plis quum sacris, tum profanis, iterum illustrata, selecta haud
signi-

Pag. 1 - 158.

161 - 236.

239 - 250.

253 - 270.

273 - 374.

* Ex *Comment.* nempe in N. T. in Matth. V, 1. fol. 78.

seguiter, castigata, lectissimisque novi fœderis exemplis copiosior facta ac ditior. Triplex extremo libello index compareret, primus verborum, propriam vim mediam habentium; alter locorum novi fœderis sacrorum, ex usu verbi a mediis reciproco explicatorum; tertius rerum potiorum. Nunc, quanta in hac provincia, diligentia iterum versatus sit Vir Doctissimus, aliquot exemplis demonstrare, nostrum est, iis præsertim, quæ ex novis libelli accessionibus petantur. Atque hic primo verbum ἀποσπᾶν occurrit, quod, Budæo & Henrico Stephano immerito suspectum, apud Lucianum in Icaromenippo, & deor. dial. Tom. I. pag. 257. in Necyom. §. 21. occurrit, & proprie est *abstrahere*, unde medium ἀποσπᾶσθαι, *se abstrahere*, i. e. *abire, recedere, discedere*, & passivum ἀποσπᾶσθῆναι, quod aut *vere medie*, i. e. *reciproce*, aut *vere passive* significat, ideoque idem est, quod *abstrahere se*, aut *pati, se abstrahi volentem, nec omnino invitum*, aliis licet invitatis, gravissimas ob causas. Quare verbum Luc. XXII, 41. ἀποσπᾶσθῆναι, ipsi quidem, vix ad communem & minus accuratam Græce loquendi formam referendum videtur: tanquam invitatus *ab amicis suis abiit* invitatus; seu, ut veteres, re bene putata, recte verterunt, ἀπέστη, ἀπεχωρίσθῆναι. Πάνω,

Pag. 98.

101. cessare facio alterum; πάνωμαι, *passivum*, cessare suo; *medium*, cessare facio me ipsum. Hinc illustrari posse indicat
102. 1 Petr. III, 10. IV, 1. Luc. V, 4. Act. V, 42. ἀποτίθημι, depono alteri vestem, ἀποτίθημαι, mihi depono. Herodian.
103. IV, 7. 5. Aelian. III, 3. Col. III, 9. ἀμύσσει, *active*, indicat *aptare aliquem alicui rei, ἀμύσσεισθαι, aptare sibi aliquem, conciliare, placare.* 2 Cor. XI, 2. *vestrum mihi amorem conciliavi, ἡμωσάμην ἡμῶς*: non itaque de *facero* intelligendum est, filiam despondente, quæ vis quidem *activi* est; sed de *sponso*, qui cum Paulus esse nequeat, per Joh. III, 29. sequitur profecto, ut non alia, quam quæ supra dicta est, verbi vis esse hic possit. Eleganter profecto, & ad rem apprime accommodata! Παιδεύειν de magistro, seu pædago; παιδεύεισθαι, de patre, qui filium erudiendum curet, recte putat adhiberi: unde Ebr. XII, 7. υἱός, ἐν παιδείῃ πατρός, vertit: *filius,*

filii, quem pater ipse castigat, instar pedagogi. Quidni: quem pater castigandum (aliis) committit? Sed plura transcribere, brevis nostra prohibet. Ut sciant igitur Lectores, nostrum iudicium ab eo seiunctum non esse, quod ipse S. R. Wolfius de hoc opere suo in praefatione tulit, illud hic repetemus: Libere dicam, quod sentio. Dissertationis nunc sunt eiusmodi, ut ad maius robur, virtuti vere ac propriae verborum, quae a Graecis media dicuntur, conciliandum, nil amplius addi posse videatur. Tirones, & qui toti adhuc alieni Graecis in litteris sunt, vim, tot copis munitam, facile hinc poterunt adiscere. Ac peritioribus quoque viris, suam ditandi scientiam, commoda hic offertur occasio.

HIERONYMI VIELMII, ORDINIS PRÆDICATORUM, Episcopi Aemoniensis, de Divi THOMÆ AQUINATIS doctrina & scriptis Libri duo, nunc primum annotationibus illustrati. Accedunt Orationes II. habitae in Gymnasio Patavino, altera apologetica, altera ac optimo Episcopi munere. His omnibus auctoris vita praemittitur.

Brixiae, 1748. excud. Jac. Turliaus. XI. duerniones.

Non vitam solum Thomæ Aquinatis*, & alii complures, & P. Antonius Touron imprimis, ac nuper admodum Fr. Io. Franc. Bernardus Maria de Rubis, dignam indicarunt, de qua separatim studioseque exponerent; sed de doctrina etiam scriptisque eius multi fuerunt, qui copiose diligenterque agerent; propterea, quod tantus reliquis sociis suis vir ille semper visus est, ut nullam vim ingenii, scribente Vielmio, nullum eloquentiae flumen, nullam studii & amoris industriam tantam putarent,

* *Vie de S. Thomas d'Aquin liv. V. de gestis & scriptis ac doctrina S. Thomæ Aquin. Dissertat. crit. & apologet. Venezia, apud Pasquati 1750. in fol.*

at eius laudum magnitudinem, non modo oratione complecti, sed ne mente quidem & cogitatione comprehendere unquam posses. Atque horum in classe, non postremo loco, illud, cuius indicem praefiximus, opus Vielmii, censendum est, quoniam non minore diligentia studioque, quam elegantia illud, quod quaesierat, effecisse nobis videtur. Cuius igitur istos libros duos, quum excussi quidem olim essent, rari tamen, ob distracta iam pridem illorum exempla, occurrerent, Turlianus, librarius Brixienfis, ac Jac. Bonfadii operibus, in unum corpus collectis, atque, adiutore Abbate Antonio Sambuca, V. C. & Eminentissimi olim Quirini, Cardinalis, a Secretis, foras datis, bene de re litteraria meritis, denuo excudendos & illustrandos adornandosque sibi merito putavit. Adiecit enim illis duas Vielmii orationes, & luculentum, eiusdem de Vita & scriptis, commentarium, ab alio quodam Dominicanæ familiaris alumno, P. F. Seraphino Maria Maccarinelli, S. Theologiae magistro, accurate conscriptum, eiusdemque in duos Vielmii libros, quorum novam ipse olim editionem paraverat, annotationes, obscuris quibusdam locis illustrandis, interdum vero etiam corrigendis, accommodatas. Fecit illi utriusque copiam eruditus Comes Jo. Maria Mazzuchellius, e cuius museo elegans quoque numisma æneum, Vielmii referens imaginem, ex altera vero parte effigiem barbati senis & præceptoris Sixti Medices exhibens, depromptum est, quod in ipsa libri fronte, incisam æri, conspicitur.

Iam primo, antequam ipsum opus accuratius, & tanquam e proximo, intueamur, pauca quædam Vielmii de vita delibabimus, de cuius virtute undecim homines eruditi testes hic citantur. Natus vero est ille Venetiis, nobili, sed non patricia illa Vielmiorum, utpote multo ante extincta, gente, patre usus Jo. Baptista, Decemviralis Consilii a Secretis. Adolescens Patavii habuit Marcum Antonium Passerum in philosophia præceptorem, & mature se Prædicatorum, quos vocant, ordini adscribi passus est. Quo facto Veronæ litteris operam dedit, ac sacerdotio initiatus, Byzantium inde transmisit 1541, postea in Cretam traiecit, atque Cydoniæ studiorum curriculum

lum 1543. denuo ingressus est. Sed paulo post d. 6. Dec. Patavium inde redux, tanto studio in litteras incubuit, ut prælector d. 27. Sept. 1544 illius scholæ, in qua didicerat adhuc, cunctis suffragiis designaretur. Quo in munere quum summa diligentia morumque integritate versaretur, factum est, ut Patres Veneti monasterii ad SS. Joannis & Pauli, eum in societatem suam aggregarent. Posthæc 1546. theologiæ moralis factus prælector, a Franc. Romæo Tridentum accessit, ubi notum illud concilium eo tempore habebatur. Qua vero re, quum a studiis suis se avocari perquam indigne ferret, Patavium revertit, variisque honoribus auctus, atque ad extremum in numerum magistrorum S. Theologiæ relatus est in capitulo Generali, Salmanticæ 1551 celebrato. Jam, Veneti Senatus decreto, iussus est res metaphylicas, secundum Thomæ Aquinatis disciplinam, interpretari: quod uno anno fecisse videtur. Tum *Vicarium Generalem*, quem vocant, Patres famulæ Dominicæ, per Venetorum sparsi agrum, eum sibi dixerunt 1553; quam provinciam tanta æquitate administravit, ut quum, biennio elapso, decedere ex illa, pro more, deberet, alterum biennium iussus sit eam gerere. Nunc, postquam e cathedra theologica Sixtus Medices abcessisset, theologiam a. d. 12. Cal. Jun. 1554. ad Mensen Mart. 1560. Patavii interpretatus est. Sed 1560. Pius IV. eum Romam evocavit, ubi causa ei coram Fidei Quæstoribus dicenda fuit, a quibus crimine absolutus discessit, ac deinde in lyceo Romano theologiam professus est, suæque disciplinæ alumnos habuit Augustinum Valerium, Episcopum Veronensem & Cardinalem, item M. Antonium Marsilium Columnam, postea Archiep. Salernitanum, privatimque eo doctore Carolus Baromezus, Cardinalis, usus est. Tanta igitur gratia quum floret apud viros principes, d. 16. Cal. April. 1563. renuntiatus est episcopus Argolicensis in Peloponneso, datusque Cardinalibus Pisani, Francisco, Episcopo Paravino, & Aloisio, eiusdem ecclesiæ *Electo*, ut vocant, Suffraganeus, ea lege, ut ex proventibus episcopatus perciperet *pensionem annuam 300. ducatorum*. Quo facto Tridentum missus, postremis aliquot Synodi

Pag. 16.

di sessionibus ibidem interfuit. Tunc, reversus Patavium, statuta collegii Patavini meliorem in formam redegit, atque ab Episcopi dignitate alienum esse non duxit, solido quinquennio scholas theologicas habere, quas Id. Nov. 1565. aperuit, in iisque epistolas Pauli ad Romanos & Hebræos, & primum Genesis caput interpretatus est. Postea 1570. *Electi* episcopi provincia ei data est a Francisco Pisano, Cardinali, episcopo Patavino: hoc vero demortuo, Pius V. eum, episcopatus Aemoniensis, in Iliria, sedem occupare iussit, ubi sacram aedem, magnis sumptibus, splendide ornavit, ac, translatis, ob valetudinem adversam, in Alexandrum Avogarum, episcopatus curis gravioribus, Venetias, ad cœnobium suum, rediit: inde vero, præmatura morte Coadiutoris excitatus, Aemoniam 1581. repetiit, ibique ipso die 7. Martii, dicato solemnibus D. Thomæ, cuius cultor per omnem vitam fuerat, 1582. ætatis suæ LXIII, acuta febre mortuus est. Vir iste, philosophiæ apprime peritus, artiſque criticæ in iuventute studiosus, Græcam Hebraicamque linguas non, nisi a limine, salutarat, ac, quum sæpe pro rostris sacris verba faceret ad populum juvenis, ab eo munere senex cessavit, ætatioreſ vero inſas mirifice amavit. Duodecim eius commemorantur libri, quorum tamen V. scripti tantum manu, in bibliothecis ordinis sui latent, plerorumque vero iunctim edendorum spes cum Maccarinello intermortua est.

Fig. 40.

Nunc denique, qua de re duobus illis libris, de quibus agimus, exposuerit, videndum est. Ipse vero eorum Auctor, in præfatione ad Jo. Delphinum, Patritium Venetum, Torcelli Episcopum, eorum argumentum ita exponit, ut priori libro se ostendere dicat, errare toto cælo eos, „qui Thomæ scripta in universum vel contemnant, vel negligant, eorumque „tum maledicta, tum rationes, qualescunque demum sũnt, „multis argumentis & testimoniis se refellere: posteriore vero „monstrare, scripsisse illum volumina propemodum innumerabilia, quorum nonnulla, sive subiectam materiam spectes, „sive artem & modum scribendi, & cum veterum theologorum quibusvis scriptis conferri, & recentiorum libris longo „inter-

intervallo anteponi posse: ac præcipua quidem & magis
conspicua se pressius examinare, & in universum omnia in suas
classes & loca ita distribuere, ut non admodum ægre stu-
diosi in tabulas redigere ea possint, & scriptores ac typogra-
phi in sectiones, si maluerint, concinne digerere.

Quodsi igitur primo quæramus, quinam sint ii, qui con-
temnant Aquinatem? nominat primo hæreticos, horumque
principem, (quidni enim?) Lutherum; deinde factiosos, du-
ces tantum suos efferentes, ad quos primo refert Rabalam
quemdam, qui librum ediderit: *Correctorium operum Thomæ*,
quem Guillelmum Lammerum, sive de la Mara, Anglum, cu-
ius meminit Trithemius, fuisse, subiecta docet annotatio.
Deinde huc ponit *infelicem* illius libelli *auctorem*, ut ait, qui
sub nomine *confura*, auctoritate universitatis literariæ Pari-
sienfis muritus, apparuit; quem exeunte Sec. XIV, occasione
controverſiæ academiæ Parisiensis inter & F. Joannem de
Montefono agitata, a Petro Cardinale Alliacenſi, quem igno-
tum, Vielmius noster, durius propemodum ipſo Luthero
nostro habet, confectum esse, denno adiuncta docet obser-
vatio. Post eum appellat eruditos quosdam, qui veteres theo-
logos admirantur, recentiores & scholasticos contemnant.
Iam quid sit illud, quod vitio dent Thomæ, audiamus. Alii,
doctrinam Thomæ multos habere oppugnatores, viros egre-
gios, perpendunt, quos omnes reiicere, summa sit impuden-
tiæ: contra vero, catholicos omnes recipere veteres Patres,
atque eorum doctrinæ subscribere, contendunt*: alii fasti-
diunt frequentem illam locorum multorum repetitionem:
alii obiiciunt obscuritatem, quodque crebro, diversis in locis,
pugnare secum ipse videatur: alii, mysticæ theologiæ studiosi,
moleste ferunt, quod frigidum animum, eius doctrinæ raro ad
Dei amorem vitæque sanctimoniam accendat: alii vituperant,
quod curiose investiget interdum, quæ sancto silentio adorare
debeat,

Ggg 3

* Quod crimen dum diluit, multa, non incommode, de oratio-
nis genere, quo & Aquinas, & reliqui, scholæ eius facti, usi
sunt, disputat.

- debeat, quæque nullam lectoribus afferant utilitatem: alii partitiones illas & subpartitiones tam crebras, in scriptis eius, damnant: alii denique mirantur, cur Aquinas nunquam præceptoris Alberti, aliorumque, magnorum doctorumque hominum, vel honoris gratia, mentionem faciat. Hæc sunt fere erimina, quæ, sed implorato prius illius, cuius causam agit, præsidio, ita depellit a S. Thoma A. ut eius doctrina, *tamquam domus illa evangelica, nullam aeris inclementiam ventorumque vim formidat, & veluti conflagrans Moysi rubus in medio igne non consumitur, ita perstat inviolata, recta, inconcussa, stabilis.* Quæ vero ratione causam Thomæ sui egerit, lucide apparebit ex iis, quæ contra illos dicit, qui & illum, & Scholasticos omnino, vituperandos propterea iudicant, quod res illas, de quibus agunt, ad vivum usque, quod aiunt, resecant, & earum minutissimam anatomen faciunt. Primo ait, talpas ridere aquilas: deinde monet, acres eiusmodi disputationes ingenia excitare, erigere, acuerè, & fecunda facere: tandem, qui scholasticorum studiis non essent inauriti, stare adversus eos non posse, ac propterea ad convicia & probra confugere, quoties congressi cum iis infelicitè essent.
92. Secundi libri quodam sit argumentum, iam supra Vielmii verbis indicavimus. Describit vero omnia Thomæ monumenta, in sacra, quæ de Christiana religione tractent, & profana, quæ externas gentium philosophorum disciplinas tradant: quæ singulatim repetere necesse hic non est, quum aliunde de iis facile constare cuivis possit. Idem modo dicimus, in philosophicis illius scriptis, quæ agant de Ente, essentia & Principiis naturæ, maxime probari Vielmio; in theologice autem illud, quod Iobum exponit, ex eorum quidem genere, quibus sacros antiqui fœderis libros illustrare studuit; deinde *catenam eius auream* in IV evangelia potissimum laudat, in cuius tamen titulo ne hallucinatus sit Vielmus, veretur Maccarinelli, quum non S. Thomam, sed posteros ille auctores titulus agnoscat. Deinde IV eiusdem adversus gentes libros, plerisque veterum, eodem argumento Augustinum de civitate Dei excipit, scriptis præfert. *Summa autem theologia,*
101. ab

ab eo conscriptæ, præstantiam, si lingua sibi sint centum, ora- que centum, si cuncta corporis sui membra vertantur in lin- guas, & omnes artus humana voce resonent, nec plene narrare se posse, nec dignum aliquid eius magnitudine & maiestate di- cere, confirmat.

Supereft nunc, ut de annotationibus Maccarinelli, quæ pau- ex sunt, aliquem veluti gustum demus. *Censuram Thomæ*, Pag. 49. quam universitas litteraria apud Parisienses edidisse dicitur, conscripisse Petrus Alliaccensis, auctoritate quidem illius & ius- su, perhibetur, interdum vero mera etiam conviventia: idque propterea, quod credibile non sit, eam aut Thomæ doctrinam erroris insinuasle; aut doctrinam S. Petri, Apostolorum Prin- cipis, Antiochiæ iudaizantis, similiter erroneam dixisse, quem alias, etiam in re illa, purgaverit; aut propositionem quan- dam Montefoni aperte hæreticam pronuntiasse, quum tamen postea 1683. plenis in comitiis, Galli vix ausi sint, mitiori sen- tentia propositionem eandem notare. Deinde, Albertum M. 65; minime docuisse contendit, expedire, ut dispensaretur in ter- ris, ubi vini inopia est, ut sacerdotes corpus sine calice confi- cere possent, ac contrarium docuisse de *Sacr. Euch. dist. VI. Tract. 2. c. 1.* perhibet. Tum opusculum, de *regimine Prin- 94; cipum*, Thomæ abiudicasse nonnullos, ait, & Aegidio Colum- næ tribuisse; sed, solis usos esse coniecturis, confirmat. Ad extremum, Platonis libros nonnullos, Thomæ iam ætate 132; latinitate donatos extitisse, affirmit: quoniam inter opera eius, quæ recenseret litteraria Parisiensium universitatæ, *expositio Timæi Platonis* occurreret, quam absoluturum se pro- mittere Thomas non potuisset, nisi habuisset Timæum in la- tinum sermonem e Græco translatum: quod ipse Græce parum doctus videretur. Falso igitur, Marf. Ficinum, coniecit, in Proemio ad Platonis libros gloriatum esse, se primum Plato- nis libros in latinam linguam vertisse, quum *Sol Platonis nondum palam latinis gentibus esset ortus.*

His duobus libris duæ orationes subhincæ sunt: altera apo- 135; logetica, adversus obrectatores theologiæ, præsertim scholasti- cæ, habita Patavii, quum interpretandi publicum munus auspi- care.

caretur A. 1554. In qua quidem theologiam scholasticam ab his potissimum criminibus liberare studet: primo quod in differendo prapostero utatur ordine, atque a Deo O. M. ad creatarum rerum contemplationem deveniat: deinde, quod de Deo brevissime, de rebus creatis ad satietatem usque, agat: tertio, quod sordido dicendi genere tradatur: quarto, quod sit obscura: quinto, quod sit litigiosa, ac sexto in plures sectas tanquam discissa: septimo denique, quod, nefas dictu, Aristoteli in scholis christianis tanquam regnum tribuat: octavo tandem, quod multos tulerit impios, ac Deo rebelles hæreticos. Ac tertium quidem quomodo refellat, paucis videbimus.

Pag. 143.

Primo, ait, indifertos etiam audiendos esse, more Artaxerxis, ut maiore voluptate facundos post audiamus: deinde negat, Scholasticos esse sordidos vocandos, propterea, quod alia sit oratio, quæ theologum, alia, quæ rhetorem deceat. Tum in laude theologi commemorari, ait, dictionem suam omnibus, etiam Scythis, Afriis, accommodare: postea, non eloquentis viribus philosophos expugnari, hæreticos devinci, improbos coerceri; sed mole & pondere veritatis: ad extremum, theologum officio suo functum esse, monet, si integra christianæ pietatis sententia recte ab eo exponatur; eloquentiamque in eo valde desiderari, negat. Ex quibus facile poterit coniectura de reliquis capi. Altera oratio, habita Patavii III. Id. Novembr. 1565. de optimo Episcopi munere exponit, atque ex Sospitatoris nostri præceptis, multisque priorum seculorum exemplis, ostendit, illud in eo consistere, ut doceant Episcopi doctrinam Christi omnes gentes, atque, quin opus fuerit, eandem strenue defendant. Ipsam quidem scripturæ genus in integro hoc opere sic satis est purum, perspicuum etiam, atque elegans; nisi quod Græca vocabula, quæ occurrunt in eo, satis indicent, Vielinium latino, quam græce fuisse doctiorem.

*DE VETERUM CLYPEIS, BLASII CARYOPHILI
Opusculum. In quo plura, quæ ad Græcam Romanam-
que militiam pertinent, explicantur &
illustrantur.*

Lugdæ.

Legduui Batavorum, typis Eliæ Luzac iun. 1751. in 4to mai.
Plag. 17.

Rem Romanam, ab exiguis profectam initiis, tam brevi cre-
viffe, ut univerfi fere orbis populos, duce virtute, comite-
que fortuna, sibi subiecerit, omnes sciunt, qui in veterum mo-
numentis non hospites sunt aut peregrini. Quæ vero omnia,
quum Romani præcipue in acceptis referant armis; mul-
tum profecto iis debemus viris, qui de armis veterum
curatius indagandis cogitarunt. Auget istorum numerum
Cel. huius libri Auctor, Blasius Caryophilus, cuius in
antiquis monumentis summa cum laude verlatâ doctrina ac
industria tam luculenter apparet, ut, nisi iustum huic opuscu-
lo statuamus pretium, iustasque persolvamus laudes, in pu-
blice, ut aiunt, commoda peccare videamur. Accedit præ-
terea ad commendationem libri, chartæ nitor, polita & ele-
gans litterarum forma, numerorum eleganter æri incisæ effigies,
ut plaue non sit quod in eo desiderari queat. Rem ipsam vi-
deamus. Romanorum arma tantum dignitatis, præstantiæ, ho-
norisque sunt affecuta, ipsimet ut hostes, iique Romano nomi-
ni formidolosissimi, Pyrrhus, Hannibal, Galli Germanique, ea
sibi adoptarent, vetere armorum genere relicto. Non
vero genus, sed exercitatio armorum campestris, ipsis multum
profuit, quæ etiam in castris fuit peracta, ne milites otio lasci-
virent. Quin etiam quum tranquillam agerent pacem,
satiùs dixerunt animos militum, aliquid agendo, esse occu-
pato. Hinc tot altæ extructæ turres, tot fossæ, viæ, tot re-
staurata templa, aut nova ac pulcherrima ædificia e fundamen-
tis erecta. Arma Romanis imperata in primis fuisse clypeus
& gladius, quibus, ut ait Polybius, imprimis excellebant. 6.
Clypei Servio dicti, ἀπὸ τῆ καλύπτου, quod corpus celant:
Plinio autem ἀπὸ τῆ γλύφου, quod imaginibus essent
exlati. Scutum, Auctore Varrone, ἀπὸ τῆ σκύτου, quo-
niam pellibus contectum. Occurrit & ἀσπίς, figuram
habens circularem. Meminit de alia clypei specie, quæ
σάκος μέγα, vel σάκος ἐνὸν Homero audit, Iliad. II. III.
H h h 395.

- 335 Clypei, qui dicitur *Θυρεός*, mentionem fecit Polybius Hist. VI. Julius Pollux sex clypei partes enumerat, quæ sunt *ἐμφάλας*, Latinis umbæ, *ἐμφάλιον* locus supra clypeum, *μεσομφάλιον* mediæ clypei umbæ, *ἔνυξ* lamina ferrea, quæ clypei ambitum contegit, *κύκλος* clypei orbis, quales orbes visuntur in numo Viriæli, cui Mæcedones clypeum dedicaverunt; denique *ἄντιξ* clypei circulus exterior. Græcorum clypei e pellibus erant confecti, ære tamen obducti. Hinc septem in Aiæis scuto boum pelles Homerus refert, Iliad. VII. 248. Ovidius autem novem enumerat Met. XII. 96. Scuto Romano duplex tabulatum Polybius tribuit, quod glutine tauri erat compactum, ac extrema superficies lenteo deinde vitulino corio tegebatur. Erant autem pelles intus collocatæ & fibulis confutæ, quæ virgis fissiles, ad clypei extremitatem pertingerent, laminaque ærea ductili tegebantur. Antiquos in more habuisse, inaurandi vel argento induendi clypeos, aliæque arma, de Carthaginiensibus Plinius H. N. XXXV. 3. de Alcibiade Plutarchus in vita Alcibiadis, de Alexandro M. Iustinus XII. 1. referunt. Samnitium scuta auro & argento fuisse cæzata, non minus notum est, quam Gallorum scuta multa auro & argento exornata, a C. Cæsare in prælio ad Alexiam commisso cum Gallis, fuisse reperta. Scuta vero CC. quæ de auro purissimo fieri iussit Salomo, non bello, verum magnificentiæ ostentandæ inserviebant, & ex *ἄργυρῳ*, auro ductili, constabant. Artifices, quorum partes erant, ut arma auro argentoque condecorarent, vel tegerent argento & deaurarent, Barbicarii dicti, quod idem est ac Barbari, seu Asiatici, quippe hæc ars antiquissimis temporibus in Asia florebat. Appellantur etiam in veteri inscriptione Inauratores & Bractearii, quorum munera tamen diversa fuisse colligitur, quoniam illi solidi ac ductilis auri vel argenti lamellis, clypeos ac reliqua arma tegebant, quas *πρυχὰς* dixit Homerus. Ita in Bibliis arca, solidi auri lamina erat obducta. Bractearii vero tenue folium auri vel argenti adhibebant, unde *πεταλουργοὶ* dicti. Tegmina ac materia quibus aliæ nationes ut plurimum barbaræ clypeos tegebant, vel efformabant, aut ex cortice constabat, aut ex viminum textu pellibus obducto.

His utebantur Galli, Persæ, Germani, Syracosii. Clypei non
 modo ab artifice, verum etiam ab ipsis regionibus, in quibus
 erant elaborati, nomen sibi compararunt. Clypei ap-
 pendix erat Ansa, qua milites clypeum sustinere & regere
 solebant. Antiquissimis temporibus lorum adhibitum, *τελα-*
μων dictum, quod ab humero sinistro & collo dependebat,
 indicat Homerus Iliad. XVI. 804. Anfas clypeorum, ex
 corio vel ligno factas Polybius testatur. Non desunt, qui
 ansam ex ferro in usum fuisse opinantur, quale ferrum indi-
 cat munus, quem in Gallieni honorem euderunt Samii. Uti
 clypeus, ita lora exornare antiqui consuevere. Hinc Home-
 rus describit Agamemnonis clypeum, in cuius lora argenteo,
 Draco erat in symbolum; quem etiam Euripides, quum
 Hecuba clypeum Hectoris demortui alloquitur, Hecub. 1192.
 est imitatus. Mos etiam fuit, ut adnotat Pausanias in Eliac,
 p. n. 494. ornandi clypei inferiorem partem variis fi-
 guris, quod & lora accidit, e quo gladius pende-
 bat. Scutis custodiendis, ne pluvia aut contritione corrumpere-
 rentur, tegumenta sunt adhibita, & publica pro armis custodiendis
 armentaria, *δημοσίας ὀπλοθήκας*, Græci pariter ac Roma-
 ni instituerunt. Conservandis autem clypeis quum oleum
 valde conferat, magis eos antiqui curabant, ut corium magis
 corroboraretur; qui mos Hebræis quoque fuit usitatus,
 unde Esa. XXI, 5. *אֵין מִשְׁחָה לְעֵצֵי הַמִּלְחָמָה*. Quis cly-
 peum invenerit, difficile est vestigare, ob varias sententias,
 quas facilius est falsitatis arguere, quam veram ex iis pro-
 nuntiare. Initium in recensendis variis clypeorum figuris
 ducit Cel. Auctor a Clypeo Argolico, in Argivorum numo
 apud Golzium conspicuo, qui rotundam habuit figuram.
 Hinc Virgilius oculum Polyphemi, Argolico clypeo, vel areæ
 solis, similem dicit. Quia vero totum obtegebat corpus, &
 gravitate milites ad motum impeditiores reddebat, Iphicra-
 tes isti Peltam substituit, que bellatorum corpus tegeretur, ut
 levitate magis ad expeditiones habiliores forent. Multas Asiæ
 gentes Græcorum sibi arma adoptasse, Herodotus testatur Hist.
 VI. Romani quoque ab initio clypeo Argolico usi sunt, usque
 ad Servium Tullium: Regem IV. Olympiade XLIX. qui illis
 Hhh a pro

Pag. 37 - 44.

45 - 54.

pro clypeis scuta dedit. Hoc Romanorum scutum oblongum, & incurvum, in Traiani & M. Aurelii columna visitur. Polybius Hist. VI. omnium primus scutum sic designavit: Scutum longitudine latum, in superficie gibba, duos pedes cum dimidio: longum pedes quatuor; huius magnitudinis perfacile se Romanus tuebatur miles. Clypeo pariter Romani uti solebant, qui ovi formam habuit. Tertium denique scutum a Samnitibus delumfere, a parte superiore quadratum, in inferiore ovatum, mobilitatis causa. Ab aliis Romani etiam plura armorum & machinarum genera sunt mutuati, quod eis mos fuit, quæ essent optima seligere, ac in sua commoda utilitatemque convertere. Parmam, Polybius c. I. rotundam, trium pedum diametro describit; eamque non modo Velites, verum & Equites gerebant, hi tamen breviores. Peltam, Arrianus in *Tacticis*, armaturam maiorem levioresque clypeo vocat. Thracibus eam adscribit Clemens Alexandrinus I. Strom. pag. 307. quocum consentit Xenophon in *expedit. Cyri*. Peltæ Thraciæ formam designavit Dionysius Halicarnassensis Hist. II. 71. Amazonum peltas Iulius Pollux describit cum Xenophonte, hederae folio similes. Poetæ vero, versibus eam designant in speciem ac figuram Lunæ semiplenæ, seu bicornis. Huiusmodi apparet in numo Commodi, in quo Smyrna Amazon cum pelta & bipenne. Vasta scuta gestasse Gallos, & ad staturam hominis porrecta, enarrat Livius XXXVIII. 21. Diod. Sic. B. H. V. Virgil. *Aen.* VIII. 662. Strabo Geogr. IV. Polybius Hist. II. Germanis scuta nec immensa, plana, tribuit Tacitus An. II. 14. quæ hexagona fuisse ostendunt Tiberii & Domitiani numi. Primum quidem quum plana fuerint, non bene contegebant prægrandia Germanorum corpora; dein, ab initio rudes belli, bello operam dederunt, ut ex Romanis etiam armis victoriam deferrent. Scuta Britannorum erant parva, rotunda figura, ut Antonini Pii numus ostendit. Hispanis Cetra peculiaris fuit armatura, scutum leve loreum, quo, Auctore Servio, utebantur Afri & Hispani, formam habens rotundam, qualis visitur in nu-

Fig. 55-60.

mo familiae Pompeiae. Boetiorum clypeus figuram ellipticam sive ovalem habet, utrinque tamen cum incisura, in numo apud Haymum *Thef. Brit. T. I. pag. 223.* Non scutum, Pag. 61. 68. sed clypeum, Livius Macedonibus tribuit, consentiente Curtio IX. 7. Hic non admodum cavus, longitudinem habuit VIII. palmarum, ut adnotat Aelianus Cap. II. Conspicitur in Neronis numo. Apparet in numis vel cum signis Lunae falcatae, vel cum icone Dianae, aut capite Medusae, in eius medio a reliquis distinctus. Thracum clypeum, forma hexagonum, C. Scrib. Curionis numisma representat, ut Sarmatarum clypeus rotundus, M. Aurelii & Dacorum oblongus & hexagonus, in Traiani numo conspicitur. Pœnis etiam clypeum fuisse hexagonum, in Catuli honorem cunus numisma ostendit. Aegyptii autem, ut animadvertit Xenophon *Cyrop. VI.* clypeos ad pedes usque pertinentes, hastasque magnas gerebant. Hebraeorum clypeum demonstrat aumus figura oblongum, in cuius parte adversa legitur *Sofus Imp.* Tyrili clypeus erat rotundus, ut indicat numus Alexandri Severi. Getton, Scutum Scytharum fuit, quadratum, dura pelle contextum, quamvis alii Persis Gerra vindicant. Armeniorum clypeos tetragonos Aurelii Veri numisma representat, ut Traiani Parthorum clypeos rotundos. Clypeis non modo ad tegendum custodiendumque corpus usi sunt veteres, verum ad alias quoque utilitates opportunitatesque. Quod in Bibliis saepe occurrit לָּוִי i. e. defensor ab hostium odio & violentia, principes itidem לָּוִי , clypei terrae, dicuntur. Romani, clypeorum densitate contexti se defendebant, aut hostes oppugnabant, adversus pluvium se defendebant; Laczarum clypeis proennis utebantur. Clypeo vitam in traiciendis fluminibus milites servabant, tranatantes flumina in clypeum vestimenta aliaque coniciebant, ut videre est in columna Traiani. Quum milites super capita clypeos extollerent, signum erat deditio-nis. Quietem milites in armis seu clypeis capere solebant. Qua de re Claudianus IV. *Conf. Honor. 540.* laudat Honorium Augustum, qui adfuetus esset, in clypeo vigiles perducere noctes. Soleune quoque fuit, imperatores, scuto im-

69 - 81.

- sitos, a militibus inaugurari, ut de Iuliano tradidit Ammianus Hist. XX 4. Clypeis fœdera inscribebantur, & ab Hebræis in
- Pag. 82-88. signum societatis habebantur, Ioseph. A. I. XIV, 8. Postquam sacris in possibus affixi erant, nominabantur sacri. Sæpius in clypeis imagines erant sculptæ & cælatæ, ut clypei Minervæ, Agamemnonis, & Achillis. Qui imagines representabant, non æris modo in bello clarissimis, verum & togatis in pace ponebantur. Hinc imago Africani in Capitolio, Catonis Censoris ac Hortensii in Curia, collocata. Idem honor Augusto, Tiberio, Germanico, præstitus, quin & privatis clypeos ponendi invaluerat consuetudo. Feminarum quoque effigies in clypeis depictas, ac in templis fuisse collocatas, ostendit Lapis inscriptus anno XX imperii Antonini Pii, Maffei Mus. Veron. pag. 268. Clypeis porro utebantur in certaminibus & pompis.
- 89-94. Præmii loco, in festis Junonis Argivæ, clypeus dabatur victoribus, æreus, & corona ex myrto. Hunc morem Samios esse imitatos, Alexandri Severi numisma, cum epigraphe CAMION, testatur. In festis Palladis, Clypeus una cum Deæ simulacro, ad pulverem detergendum deferebatur. In Panathenæis autem, iuvenes armati clypeo & hasta præcedere solebant, armati in Olympiis, Pythiis & Nemeis certaminibus viri decurrebant. Cursores, qui in cursu vicissent, Diis clypeos
- 95-102. volebant, teste Pausania in Eliac. Romani campestris exercitationes, equorum, vel armorum, itidem habuerunt. Quas Augustus post bella civilia neglexit, Nero autem, qui etiam scutum sua manu prætulit, id est certamen dirigebat, restituit, ut e duobus numis innotescit. Quod & Galba in pedestri decursione fecit. Qui tyrones exercebat, Campidoctor dictus in marmoribus. Cautum erat in constitutionibus Augusti militarium, & Adriani, ut ter in mense educerentur extra castra tam equites, quam pedites, ad exercitationes. Maximinus quinta quaque die iubebat milites simulacra belli agere. Quam exercitationem Imperatores ipsi peragebant, ut de Traiano, Hadriano, & Honorio innotescit, de quo Claudian. VI. Conf. 627. Quo quidem in loco Claudiani, Scaliger & Barthius, viri doctissimi, multum sunt allucinati, dum in explicanda

da voce areæ, aream Circi, non vero Campi Martii, quæ in urbis regione exercitationes militares collocat Dionys. Halicarn. Ant. V. interpretantur. Iſtam autem rei militaris periti-
 am Romani a Lacedæmoniis, ceteroquin in re militari claris, acceperunt. Veget. III. in Prolog. & c. 10. Non omittitur Troicæ Decurſio. Quem pene obſoletum ludum Cæſar reſtituit, Tiberius Caius & Nero ſplendidiorem reddiderunt. Antiquiſſimis temporibus, clypeos, ac reliqua arma, Diis belligeris dedicære in more fuit. Inter hos Minervam imprimis venerabantur, Anacr. Od. LIII. Marti pariter ac Apollini arma hoſtium vovebant, quin & Herculi Iovique Feretrio, Liv. Hiſt. I. 10. In templorum parte anteriore arma fuiſſe collocata, Poetæ Latini affirmant. Nec minus in porticu, quam in arcubus templi, ſuſpensebantur. Laribus præter domesticis arma fixa, quæ nondum emeriti, in bellum ituri, denuo arripiebant. Quo ſpectat Jerem. XLVI. 3. עֲרֹכָהּ מִן הַמִּזְבֵּחַ, Templis qui poni vellent clypeum, certam ratamque pecuniam areæ Pontificum perſolvebant. Quod oſtendit marmor Romæ repertum. Grat. MXIV. 1. Proportento ac prodigio habitum, ſi e templis arma delaberentur. Hoſtium arma, Plato, in templis haud dedicanda cenſuit, ne alendis odiis anſa daretur. Huc pertinet lex Romanorum, qua interdictum erat, hoſtium ſpolia vetuſtate correpta reſtaurari. In tropæis ponendis clypeo uſi ſunt Athenienſes, poſtea univerſa arma fuerunt collocata. Ab iis erigendis Romanos animo abhoruiſſe, Florus Hiſt. III. teſtatur. Domitius Ahenobarbus & Fabius M. poſtquam Allobroges perdomuerunt, tropæa poni curarunt ſuper faxeis turribus, armis hoſtilibus exornatis. Neque figuris tantum, ſed dictis etiam ac ſententiis, rerum eventis, Deorumque quos colebant inſignibus, & clypeos & numos exornare ſolebant. Sic Brenni Gallorum a Camillo fugati ducis hiſtoria, legitur in clypeo ferreo, qui Muſeum Ioannis Woodwardi Londinenſis condecorat, cuius de antiquitate Iacob. Gronovius, & Hearne, inter ſe diſſident. Milites gregarii, ſplendidis & politis, ſed nullo inſigni condecoratis clypeis, utebantur. Lacedæmones in clypeis Δ, Συκιονος

Pag. 103-113.

114-121.

122-128.

Fig. 129-
131.

nios Σ, Romanos nomen militum, & ex qua fuerint cohorte & centuria, in clypeis celsasse, Pausanias, Xenophon, Vegetius, & Dio tradiderunt. Hinc Græci peculiarem artem, litteris aureis vel argenteis clypeos exornandi, norant, quam τέχνη ἐμπαύσην, artem imprimendi vel incidendi, dixerunt, quæ docebat, quomodo litteræ aureæ clavi, & ballæ in argentum vel æs extrinsecus adiguntur, deprimuntur, quod auro includere, vincire, vel ligare latini nuncuparunt. Quamobrem hi artifices, sculptores, cavatores, & cavitarii sunt dicti. Ab his Decreta Senatus, in Cæsaris honorem, litteris aureis in columnis argenteis fuerant incisa, ut narret Dio Hist. XLIV. Haud dissimili modo, in lamina aurea, summi Pontificis Hebræorum erant insculptæ litteræ aureæ יהוה ויהוה, atque intus impressæ & incisæ, non tamen extrinsecus adiectæ. Hinc male in Bibliis Græcis legitur γράμματα ἐπιτυπόμενα σφραγίδος, potius ἐπιτυπόμενα: Litteræ enim erant incisæ, eodem modo, quo lapides anulorum, ad signandum facti, scilicet cavarique solent, quos Latini Gemmas, Græci σφραγίδας appellant. Nos non dubitamus, optimos quosque istarum rerum æstimatores, quæ præstantia, quis delectus rerum huic insit libro, & quæ parum, aut omnino nihil, hoc in genere ab Auctore præmissum sit, aut incultum relictum, ex his prolatis esse intellecturos.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti Anno MDCCLV.

*INSTITUTIONES THEOLOGIAE EXEGETICÆ, IN
usum Academicarum prælectionum adornatæ a Doct.
CAROLO GOTTLIB HOFMANNO.*

Vitembergæ, 1754. 8.

Alph. r. plag. 6½.

Et si multa sunt, magnaque, cœtus sanctioris, qui a Luthero, viro summo, nomen duxit, in omnem eruditionem sacræ meritæ: tamen vix aliquod in his illustrius reperitur, quam fervens illud atque constans divina oracula recte interpretandi studium. Hoc nascentis ecclesiæ commendatio fuit: hoc ornavit crescentem, atque adeo corroboravit: idem hodieque, validæ iam, & propitio Numine, nihil omnino metuenti, novas in dies vires addit, nova subministrat propugnacula. Quam laudem Evangelicorum cœtui propriam, confiteri olim infensissimos eorum nominis hostes adegit rei veritas: eoque ipso, & omni, quod consecutum est, tempore, his solis armis victrix perstitit, a tenuissimis progressa initiis, & humanis opibus oppugnata semper magis, quam adiuta, natio. Sed in hoc principe studiorum suorum genere tractando, occupari se feliciter non posse, nisi præceptis uterentur sanis, perspicuis, atque certis, & argumenti natura docuit ecclesiæ nostræ doctores, & vicinorum hominum, effræna licentia per sacras literas grassantium, exempla admonuerunt. Itaque non defuerit in illis, qui regulas, diviniora scripta probe explicandi, sub-

tili iudicio eruerent, digererentque felici mentis & sensus acuminis, eum in modum, ut ad intelligentiam sacri sermonis pervenire volentibus, parata iam omnia sint & expedita. Quis *Flacium, Dannbauerum, Glasium, Rambachium*, æterna ecclesie nostræ decora, non videt indigitari? Sane ab eorum, quibus addi complures possunt, opera, tantundem emolumenti in religionem Evangelicorum profectum est, quantum in ædes solet ab eo, qui illis iustam atque firmam compagem conciliat. Non hæc S. R. Hoffmannum, primum Vitebergensis Academiæ & Ecclesie Theologum, fugiunt: idem tamen, ad Institutiones Theologiæ Exegeticæ de novo confribendas, animum appulit. Cuius instituti rationes ut cognoscantur, adeunda nobis est præfatio. Hic docentem audimus Auctorem, se in plerisque exegeticæ artis compendiis, quæ a iuvenibus hæc rerum studiosis tractari conveniebat, vel ordinem, vel breviter, vel prolixiter, vel *à supèrius*, vel aliud quidpiam desiderasse, planeque se ita statuere, cuique Doctori Academico liberum merito relinquendum qua methodo credat, auditoribus suis scientiam aliquam commodius atque facilius tradi posse, ea ut omnino utatur. Sed maximum pondus ad capeffendum hoc propositum habuit cogitatio, tantum non in omnibus libellis, qui Hermenevtices sacre præcepta complectuntur, philologiam Biblicam aut plane abesse, aut mutilam duntaxat tradi & imperfectam; qua tamen nec carere sine gravissimo intertrimento, nec imbui seorsum in Academiis possint, futuri voluntatis divinæ interpretes. Ergo Notter ex immortalis *Sal. Glasii* opere, quod *Philologiam Sacram* inscripsit, potiora excerptit, quæ ad indolem linguarum Sacri Codicis, & veram earum tractationem perspicendam, faciunt. Quod ad methodum, quam adhibuit, ea simplex est & naturalis, argumento ipsi ingeniisque Lectorum, discipulorum imprimis, peraccommodata. Exempla illustrationis gratia subiecta videas complura, non illa quidem penitus nova & singularia, talia tamen, quæ sustentare mirifice possint vel medioerem attentionem. Prudenter enim Auctor: ut in aliarum scientiarum regulis, exempla notiora memo-

etiam egregie iuvant, regularumque applicationem mirum in modum faciunt, ita ut exemplum notum citius in mentem redeat, quam ipsa regula: sic etiam in interpretatione scripturarum divinarum, exempla nota & vulgaria citius & prius monentur exegese memoriam atque mentem, ac regula. Denique nec istud silentio videtur prætereundum, nobilem illam Exegeticæ Sacræ partem, quæ de typis Vet. Test. hoc est, de symbolicis gratiæ divinæ per Christum Servatorem Opt. Max. comparandæ prænuntiis, exponit, insigni cura ab Auctore perpolitam esse. Præterquam enim quod Christianæ Religionis multum interest, dogmatis eius sinceritatem inter sectatores suos servari, quin & defendi strenue: ætatis etiam, in quam incidimus, ratio habenda fuit, quippe quæ de typis Oeconomiciæ Veteris ita sentit, ut omnis tandem eorum explicatio in coniecturas videatur desitura. Sed de præfatione hæcenus.

Opusculum omne tribus libris absolvitur, ad quos antequam deferaris, in *Prolegomenis* tibi paulisper commemorandum Pag. 1-16. est. Ea, quid sit illud quod Theologiæ Exegeticæ nomine venit, quibus aliis vocabulis designetur, quam necessaria, quam utilis, circa quasnam res occupata, quo denique modo, & quibus subsidiis tractanda sit, diligenter docent. *Liber primus* hunc titulum præ se fert: *de Fine Theologiæ Exegeticæ*. Scilicet, finis scientiæ istius hic est, ut Scripturæ Sacræ sensus, intelligentiam clarius vocant, vel cognoscatur, vel communicetur cum aliis. Ut hæc distinctius tradi possint, tria Capita, seu partes dicendorum, Auctor constituit. *Primum*, de sensu Sacræ Scripturæ in genere inscribitur; *Secundum*, de sensu Sacræ Scripturæ literalis; *Tertium*, de sensu Sacræ Scripturæ mystico. *Liber secundus* est de *Subiecto Theologiæ Exegeticæ*. Hic duo occurrunt Capita. *Alterum* de subiecto inhærentis Theologiæ Exegeticæ agit: ita Theologum adpellant, voce ex cathedris scholasticis petita. *Alterum* de subiecto tractationis Theologiæ Exegeticæ exponit: quo nomine significatur ipsa Scriptura Sacra, cuius in claritatem, ordinem, & partitionem, duabus Sectionibus inquiritur. Pervenimus ad *Liberum* 137-398.

brum tertium, eundemque ultimum, cuius in fronte hæc apparent: *de Principio, Mediis, & Subsidiis Theologiæ Exegeticæ*. Tribuitur vero ille in complura capita, quorum age adscribamus argumentum. *Caput I.* de principio Theologiæ Exegeticæ. *Caput II.* de mediis & subsidiis Theologiæ Exegeticæ in genere. *Caput III.* de consideratione textus originalis. *Caput IV.* de consideratione contextus. *Caput V.* de consideratione parallelismi. *Caput VI.* de subsidiis grammatico-exegeticis. *Cap. VII.* de subsidiis critico-exegeticis. *Cap. VIII.* de subsidiis rhetorico-exegeticis. *Cap. IX.* de subsidiis logico-exegeticis. *Cap. X.* de subsidiis logico-exegeticis scientiarum & disciplinarum realium, sacrarum & profanarum. *Caput XI.* de adminiculis exegeticis.

Habes, Lector, brevem totius libri sciagraphiam, cui nos quidem nihil magnopere superaddendum censemus. Nam ex dictis facile intelligitur, intelligetur autem magis etiam a Lectoribus ipsius libri, Rev. Auctori *rem lectam esse potenter*: quem adeo *nec facundia deserere poterat, nec lucidus ordo*. Neque suspicamur fore, qui de materia opusculi plenius instrui optent. Nostri certe homines, argumentum Hermenevices Sacræ ex ipso vocabulo colligent: quæ vero præterea eos scire iuvabat, supra iam ex Præfatione decerpta proposuimus. Invitamus autem illos, quicumque sententias Ecclesiæ Evangelicæ detorquere, & nescio quas eidem opiniones, præsertim quod ad locum de divinis libris, affingere consueverunt, ut, lecto hoc libello, meliora se patiantur edoceri, eosque tandem aliquando ferus pudor invadat, precamur. Nos & doctoribus Academiæ publicis, & studiosis inventibus, egregie hoc libro consultum existimamus, quod in tradendo argumento uberrimo iuxta ac perdifficili, concinna brevitate & accurate curiosi A. versatus est: quæ duæ res magnæ semper laudi habitæ fuerunt, magnæ commendationi.

BERNHARDI HENRICI REINOLDI, ANTECESSORIS quondam Viadrini, Opuscula luridica adhuc varia, recensuit illa, notulis instruxit, in præfatione vitam clariss.

riissimi Autoris exposuit, ac dissertationem singularem: de insignibus Germanorum in Iurisprudentiam elegantiore meritum, praeiisit IO. FRID. IUGLER, Augustiss. M. Britann. Regi a Consiliis, & Academiae Lunenburgensis equestris Inspector.

Lugdani Batavorum, apud Samuelem Luchtmanus & filios,
1755. 8.

Alph. 3. pag. 17.

Praeclare omnino Juglerus V. C. de commodis elegantioris Iurisprudentiae meretur, quod venusta & amoenissima Reinoldi opuscula ab interitu vindicaturus, hanc collectionem nitidam satis & opportunam adornavit. Diu in Germaniae Librariis frustra quaesiverunt eximios hosce elegantissimi ingenii Reinoldiani foetus, & periculum erat, ne olim profus sepelirentur oblivione, & in situ ac squalore delitescerent. Rectissime igitur scripta tam egregia tunc edacibus eripuit Juglerus, eaque cum posteris quoque communicavit. Merito exprobratur Germanis ingratae mentis vitium & labes, cum nil nisi quod peregrinum redolet solum ament & exoleverunt, domesticae vero & patriae doctrinae ac eruditionis monumenta profus vilipendant, spernant, neglant. Ea nimirum adhuc regnavit opinio, in humanioribus litteris, & elegantiori Iuris Civilis prudentia, solos Batavos, Gallos, Italos, praestantes fuisse, & eximios. His putabatur & criticae artis acumen, & interpretationis facultas & elegantiae arbitrium, solis cecidisse in peculium. Enimvero pudeat tandem Germanos suae caecitatis, & intempestivae profus modestiae. Insignia enim eorum sunt merita circa elegantiore, quam vocant, Iurisprudentiam. Sive enim Iuris Romani historiam, sive fontes Iuris antiqui, sive legum emendationes & interpretationes spectemus, Germanos nec Italos, nec Gallos, nec Batavis inferiores deprehendes, aut seigniores. Luculenter Germanorum honorem ea in re vindicavit adseruitque V. C. Juglerus, in disputatione sua, qua hanc ornavit collectionem.

In ea primum ostendit Germaniæ Iureconsultorum industriam, quam in fragmentis Iuris antiqui ac Anteiustiniani eruendis, & e situ protrahendis, conservandis, ornandis denique ac illustrandis, certatim collocaverunt. Deinde commoustrat Jctorum Germaniæ labores, in enucleandis, vel explicandis Justiniani Institutionibus, conspicuos. Porro de illis agit, qui amplissimum Digestorum corpus in iustum systema redegerunt, & universam Iuris civilis scientiam iusta pertractarunt methodo, adspersis doctrinæ auctioris floribus. Deinde pergit ad Codicem Justiniani, in quo interpretando & illustrando, Germani magna cum laude versati fuerunt. De Novellis egregia profant Germanorum merita. Etenim, quis Græcum illarum textum feliciter restauravit, quis melius enodavit, Germanis? In Iure Græco Germanorum industria eximie elaboravit. Theophilum nemo rectius vindicavit, nemo luculentius restituit Germanis. Si singula Iuris civilis capita contemplemur, miranda omnino Germanorum diligentia, qua illa excoluerunt. Quis de Stoica Jctorum veterum Philosophia accuratius disputavit, quis legem illam Julianam Papianam Poppream, præcipuum Iuris civilis fontem, quis alias leges plures luculentiori illustravit commentario, quis complura Iuris Civilis Capita maiori exposuit industria, quam Germaniæ Iureconsulti? Si Historiam Iuris Romani spectes, Germanis sine iactantia palma debetur. Sive enim universi Iuris Civilis originēs, initia, progressus, incrementa, vicissitudines, siue singularum Legum, singularumve Iuris Civilis specierum fata, siue Jctorum sectas, familias, vitas consideres, nemo in omnibus illis rimandis, investigandis, exponendisve, meliori cum solertia unquam fuit versatus quam Germani. Si antiquitatem denique omnem Civilem, si ritus vetustos, si veteris Latii Romæque instituta intueamur, Germanos haud secus industriæ laudem sibi comparavisse, ac in reliquis, reperiemus.

Ipse Reinoldus, patriæ honos atque decus dici meretur, si illius merita circa elegantiorē Iuris Civilis scientiam consideres.
Vitam

Vitam illius & scripta, quibus inclaruit, in Præfatione enarrat Juglerus. Fuit sane vir ad ornandam iurisprudentiam natus, omnibusque illis largissime instructus præfidiis, quæ magnus iuris interpretæ effulget. Floruit excellenti ingenio; Nilò Cælaream videtur imitatus esse. Græcarum & Latinarum literarum, privata fere industria, æmulationem sibi comparaverat peritiam, cum ad sacra Themidos accederet. Jura in pluribus scholis, imprimis Viadrina, magno cum plausu docuit. Præmaturem autem fato, illi Academicæ & litteratorum orbi ereptus est. Inter ingenii monumenta eminent ipsius *Varia ad Ius Civile pertinentia*, quæ Breinæ A. 1708 in 8. prima vice lucem aspexerunt. In his egregium sese & dexterimum præstitit interpretem. In legibus corrigendis & emendandis, in genuina lectione rimanda, modeste versatus est. Longe alienus fuit ab illorum audacia & temeritate, qui ubique urunt, secant, scindunt, rumpunt, legesque adulterant magis & interpolant, quam emendant aut sanant. In ipsa vero legum interpretatione hanc sibi dixerat legem, ut verum earum sensum primo, adhibitis Grammaticæ explanationis subsidiis, erueret, deinde vero, ex lapidissimo iuris naturalis fonte, ex historia, antiquitate, opinione, & sententiis auctorum, sibi repræsenteret. Enodavit in hisce Variis difficillimas iuris quæstiones. Emendavit & explicuit leges; illustravit quoque loca auctorum classicorum, ad ius civile pertinentia. Verbo: cum insigni voluptate quemvis elegantioris doctrinæ cupidum ista varia perlecturum esse, spondemus. Scribendi genus purum est, tersum, facile, nitidum & elegans. Miscet ubique utile dulci. Coniecturæ, quibus leges corrigit, vel explicat, admodum probabiles sunt. Ubique elucet ingenium amœnum, acumen, candor & sinceritas haud vulgaris.

Sequuntur academicæ disputationes, quas omnes harum rerum intelligentes diu iam maximi fecerunt. In prima illarum enodatur Lex LVII. D. Mandati, quam omnibus, quæ involuta erat, traxis, feliciter explicuit ac liberavit Reinoldus. Hæc universa de mandato doctrina egregie tractata. Inprimis

mis vero ea quaestio solide discussa, utrum morte mandatarii mandatum expiret, an in haeredes transeat?

In secunda explicatur Lex XXII. Anastasiana C. Mandati, quae satis obscura videtur & impedita. Reinoldus, praemissa de cedendis & transferendis actionibus, ac de procuratore in rem suam, doctrina, eam ita in epitomen coarctat: Actiones aliis competentes nemo in se transfert, qui secus fecerit, non plus consequitur, quam quanti ipse actionem comparaverit, & si quid usurarum nomine debirum fuerit: illis tamen in speciebus, quas lex eximit, actiones in semet transferre, & sine imminutione exercere, licet. Hanc esse mentem legis veram ostendit Reinoldus, deinde exceptiones huius regulae enumerat.

In Tertia Reinoldus L. XXIII. D. de regulis Juris emendat & interpretatur, quae criticorum adhuc mirifice torsit exereuitque ingenia. Si quis unquam, abstrusam & difficilem de culpa in contractibus praestanda doctrinam, accurate perspicueque tradidit; certe Reinoldus id in hac nobis praestitisse dissertatione videtur. Quarta causas enumerat, in quibus hodie-num querela inofficiosi testamenti necessaria est, & utilis. Quinta edicti Publiciani historiam tradit, & actionem in rem Publicianam inde oriundam luculenter explicat. Sexta egregias observationes & praestantissima continet praepcepta, de codicis interpretatione, eiusque subsidiis & cautionibus. Septima totam Senatus consulti Macedoniani materiam exhaustit. Octava denique, iusti instar Commentarii esse potest, ad illustrandum amplissimum, de acquirendo rerum dominio, titulum.

Dissertationes Reinoldi excipiunt illius orationes, variis recitatæ occasionibus. Prima, quam ad auspiciandum in schola Bremensi docendi munus dixit, verum Juris Naturalis investigat principium, omniaque illius praepcepta, ex ordine & sine rerum conditarum promanare, ostendit. Qua quidem in sententia, Reinoldus, acutissimos sibi suffragantes habet Philosophos. Altera in Herbormensi Gymnasio recitata, Sexti Pomponii Jcti vitam, scripta, atque fragmenta enumerat, eumque

ab omni falsitatis suspicione liberat. Tertia, in alma Viadrina iterum inueneris auspicandi causa quondam habita, utilitatem Inscriptionum Legum Pandectarum & Codicis, in illis explicandis, egregie ostendit. Hanc notulis ornavit suis Abraham Wielingius. Cedro dignissima hæc est oratio, quæ satis manifeste arguit, Reinoldum prorsus nullum latuisse dextræ interpretationis adminiculum.

Subnectuntur deinceps variaz Reinoldi exercitationes minores. Quæ cum haud minus nitidæ sint & elegantes, a nobis prætermitti non debent. Prima spicilegium completur ad materiam de Infalls, supra traditam. Secunda nova quædam Codicis interpretandi præcepta proponit, idque inprimis demonstrat, fontes esse illius omnino adeundos, si veram illius mentem adsequi velis. Tertia, Legem XI. C. de Iudæis & Cœlicolis eximie illustrat, & Iudæos haud temere blasphemiz insinulandos esse ostendit, eorumque causam contra calumniatores candide agit. Quarta, Legem difficillimam satisque vexatam XV. §. ult. D. de usufructu, in Variis Cap. XVI. iam explicatam, ulterius illustrat. Infertur sunt Jacobi Perizonii de Legis huius intellectu litteræ ad Reinoldum scriptæ, quibus egregia continentur monita. Quinta docet, quanta incommoda invexerit attuleritque inepta Legis Corneliz de Sicariis, cum Aquilia, confusio. Sexta arduam enodat doctrinam, de exceptione securæ malæ fidei adversus actionem Publicianam. Septima continet repetitionem succinctam eorum, quæ supra de utilitate Inscriptionum disputaverat in interpretandis Digestorum & Codicis legibus conspicua.

Adduntur adhuc observationes, quæ Reinoldus, Fabricii Bibliothecam Latinam emendare, ac locupletare annis est. Has duo excipiunt inauguralia Reinoldi Programmata, quorum prius Jus Romanum commendat, posterius vero rectam optimamque illius discendi docendique rationem ostendit. Ex hisce opusculis conflata est pulchra hæc, quam Juglero debemus, collectio. Nulli dubitamus, fore, ut eruditi avide eam amplectantur, & Juglero V. Cl. maxime agant habeantque gratias,

quod tam egregia elegantissimi ingenii Reinoldiaui monumenta conservare, & cum posteris quoque communicare sat egerit.

CORNELII ALBINI KLOEKHOF, MED. DOCT.
*de morbis animi ab infirmato tenore medullæ
cerebri Dissertatio.*

Traiecti ad Rhenum, apud Nicolaum a Vucht, Gysb. Thie-
me a Paddenburg, & Abrahamum a Pad-
denburg, 1753. 8.

Plag. 10.

Clarissimus Auctor singulare argumentum, illudque omnino difficile & arduum, sibi excutiendum sumit, quando, *communes omnibus hominibus mentis actiones, interventu quodam cerebri medullæ exerceri, nominatim, perceptionem idearum, imaginationem, attentionem, memoriam, iudicium, ratiocinationem, voluntarium musculorum motum, affectiones mentis pariter, interventu medullæ cerebri fieri,* expositurus est. Etiam si enim illud evidens est, mentem humanam, sine organo suis impressionibus recipiendis commodo, agere non posse: istud tamen postulatum, cerebri medullam animæ parere, non statim innotescere poterat. Igitur sui problematis veritatem executurus, totam medullæ cerebri texturam cogitando emensus est, ut, cum illius fabricæ leges prorsus singulares sint, cum medulla ista corticem sibi continuum, volumine excedit longissime, cum partes eius sint multifformes, latente formæ causa, exinde effectus quoque eius, cum reliquis mechanicis non satis comparandos, singulares omnino esse intelligatur. Ut coniecturæ locus esset, mutationes variaz, quæ intra mentis actiones, tam simplices, quam mixtas, a mutato medullæ cerebri nascuntur statu, pro demonstrationis fundamento ponuntur. Intellectum scilicet est, post convulsionem, vel externam vim cerebro illatam, læsas manere actiones cerebri cæteras, sensibus externis & motu voluntario integris,

alio

alio forte tempore ab eadem medulla, a morbo aliisve de causis læsa, omnes, quæ ex machinæ lege celebrantur, animæ actiones, vel aliquæ ex his, iunctim cum illis homini propriis, delentur. Hinc infert Clar. Auctor, *disparem esse partium medullæ conditionem, ut una serviat solis actionibus mentis, a sensibus externis motuque voluntario distinctis, & intra medullæ compagem tota disseminetur, altera simul his ipsis sensibus motuque serviat, & in nervos producatur.* In illa proinde versatur sententia, animam mox in fibras medullæ manentes solas agere, cum cogitat; mox illas quæ spiritibus perviæ sunt, inque nervum musculos moventem abeunt, concitare, quando motus voluntati subiacentes expediendi sunt: eritque adeo nervi officium duplex, aliud, cavo suo liquorem medullæ accipere, aliud, mutationem a mente impressam propagare; quamvis ipse haud neget, medullam spinæ ossis, non levem, sedem animæ quærentibus, difficultatem movere. Veluti ergo certus medullæ tenor est, qui integras animæ actiones præstat, ita vicissim infirmatus aliquis eiusdem tenor, morbis animi occasionem præbebit certissime; id quod iudicatu difficile haud est, cum a sensibilibus viscerum liquida transmittentium & sensibilibus mutationibus, ad analogas partium, quarum structura minus cognita est, constitutiones, valere possit consequentia. Est ergo, aut esse potest in medullæ cerebri fibris, *rigor, infirmitas*, non aliter ac illos status in nervis ab hac egressis deprehendere, & actionum variarum labem exinde æstimare, solemus. Veluti igitur tenor tubulorum quorumvis infirmatus, transmittet liquida haud transmittenda, vel vicissim, sub alio respectu, ob collapsum, liquidorum competentium exclusio, hinc tubulorum contentorum renixus, & liquidorum aggregatio: ita hæc omnia similiter intra nervos, & eorum originem, medullam, evenire non minus solent, ut, quicquid nervorum stamina extrema, suis tunicis destituta, molli, uti oleum, tepida, id sensum quoque hebetare valeat. Id quod veluti corporeas, ita quoque morales hominis actiones, mutabit insigniter. Perceptio idearum vividior ab irritabilitate, imaginatio fertior a flexilitate fibrarum medullæ

nimis, dependebunt. Cum attentio fibræ stabilem supponit, volubilis erit, & in varia distrahetur animus, si fibræ medullæ fluctuat; & reliquæ etiam facultates animi, iudicium, ratio, a laxo, per morbos, aut temperamento, aut ætate, aut sexuali conditione, habitu medullæ, alias aliasque mutationes accipient; quod circa animi pathemata, quæ sunt commotio eius varia ab idea placentis, molestæ, aut insolitæ rei orta, non minus eveniet, ut, prouti fibræ medullæ flexilis est aut rigida, molles, flexiles, duri rigidique ad mores animi esse dicantur, ita ut nec cultura quidem morum, necessarias motuum animi ex medullæ structura sequelas immutare possit. Multum proinde imperit in animum quoque habent, eiusque statum, mutatis ante medullæ flaminibus, convertere possunt corporeæ conditiones, liquorum vitalium immodica egressio, consumptio, derivatio, solidarum partium maceratio, inertia, distractio, compressio, certa viscerum reliquorum constitutio, segnities cordis & arteriarum, vini abusus, voluptas, dolor, acutæ febres, imbellis aut effæta ætas, sexus iusfirmior. Quotiescunque igitur mentem, præter solitum cogitare, aut velle deprehendimus, aliquam harum causarum subesse putabimus, quarum sedem agendique modos rimabimur, corporis eiusque signorum, quæ aliquam alicubi mutationem evenisse arguere possunt, curiosissimi. Quandoquidem vero in variis cerebri medullæ plagis, variarum sensationum impressiones fieri solent, proinde, cum *non omnes medulla cerebri plagæ, semper a communi causa paria patiantur, sæpe leditur sensus aliquis singularis: mox memoria leditur, mox ratiocinatio, mox imperium in motus animi.* Quæ cum ita sint, quo a mutatis corporeis conditionibus, medullæ quoque cerebri status, atque cum hoc animi effectus in machinam non parum convertantur; unumquemque sane oportet, ex cognitis rerum, quæ corpus, hinc animam, mutare possunt, noxis, mentis integritati studere, eaque cavere sedulo, quæ cerebri medullam, uno alterove modo infirmare poterunt. Ex hac consideratione, ab incunte statim ætate conditiones illæ acquirendæ sunt, sub quibus eadem lege, quæ omnes corporis fibræ, ita quo-

quoque illæ medullæ cerebri obfirmari possint. Licet enim uniuscuiusvis, quam sibi congenitam habet, idiosyncrasia, mutari regimine, victu, motu, omnino haud possit; siquidem *credibile est, stamina medullæ cerebri non nisi definiti roboris capacia, mentemque uniuscuiusvis hominis definita sibi que propria capacitatis participem esse: attamen cerebrum, qua menti servit, expeditur & roboratur moderatis animi actionibus, affectionibus nimis fatigantur, infirmantur, teruntur medullæ stamina.* Modus igitur esto omnium, studii, contentio- nis in quovis labore, atque ipsa quoque virtus, ad excessum evitata, in vitium abit; iustus tandem morosus fit & queru- lus, misericors in laxitatem & seignitiam prolabitur. Quæ cum ita sint, ut sub certo rerum quæ corpus & una animum mu- tare possunt regimine, sanitas mentis servari augerique potest; datur etiam ratio, curandi morbos ab infirmato medullæ cerebri tenore ortos. In hoc sanationis negotio, modo ab animo principium fit, modo a corpore, nonnunquam utriusque medicina simul adornatur. Negotiosa vita circum- cidenda est illi, qui sese laboribus ex profunda meditatione ce- rebro obortis oppressum sentit. Ipse animus honesti viri, suis quos sibi subinde oboriri intelligit animi motibus a lege alienis, etiam si illi ex morbo oriantur, frænum iacere pot- est. Qui sinistra manu opus facit, potest dextræ adsuescere, si usus accedit. Accedit idearum contraria illis dominantibus actio; præ ceteris mutandus est viscerum morbosus status omni medicina, quæ materiem mutare potest. Parvo opere maximi momenti res absolvitur. Clarissimus Auctor, uti medi- cum facere oportebat, qui in mentem nude acceptam impe- rium habet nullum, ex machina desumit doctrinæ modos; hæc enim sola mutari potest, animus in se mutationem nul- lam recipit. Dignus lectu liber est, in quo præter bonum meditationis ordinem, Romana etiam elucescit scriptio.

Versuch in der Geschichte des Herzogthums Mecklen-
burg.

i. e.

**TENTAMEN IN HISTORIA DUCATUS
Meclenburgici, per SAMUELEM BUCHHOLZ, cum
Præfatione A. I. D. AEPINI, Profess. P. O. Ducalis,
Eloquentiam docentis in Academia
Rostochiensis.**

Rostochii, impensis Antonii Ferdin. Röse, 1753. 4.
Alphab. 4. plag. 13.

Henricus Nettelbladt, I. U. D. & Senator Rostochiensis, ante decennium multa cum laude evulgavit *Notitiam scriptorum Meclenburgicorum*. Eos Buchholzius in limine huius operis indicare ac diiudicare haud omisit. Consuluit ipse fontes primos, quoad eius fieri licuit, & ipsa tabulariorum acta ac diplomata, quibus potuit potiri. Veritati ac modestiæ operatus, origines iurium ac consuetudinum significavit ita, ut nemini nocere studuerit, sed potius tramitem fuerit secutus, quem ipsi monumenta præluxerunt. Auctori, ut hanc historiam concederet, suavor exstitit Burchardus Gottlieb Genzmar, eius quondam in schola ac Academia commilito, Principum iuventutis moderator præstantissimus. Auctor Meclenburgicas intra terras natus quidem non est, muneri tamen ibi præfectus. Adhibuit usibus suis Alberti Kranzii *Vandaliam*, quatuor Partes *Monumentorum Germanicorum Perill*. Cancellarii Holsatiz Ernesti Ioachimi de Westphalen, Matthiz Iohannis de Beehr *Res Meclenburgicas*, Hansi Henrici Clüveri *Descriptionem Ducatus Meclenburgici* vernaculam, Illustrissimi de Binau *Deutsche Kayser- und Reichshistorie*, M. Dieterici Schröderi, Archidiaconi ad S. Mariz apud Wisnarienses, *Papistisches Meclenburg*, ubi de Episcopatibus Swerini ac Razeburgi solícite disseritur, & scripta alia. Præmisit operi Tabulas VIII. genealogicas, e quibus Dominos regionis, Reges Ducesque, rescire licet. Excipit eas isagoge seu introductio, in qua primæ lineæ ducuntur de vetustis Germaniz Principum domibus, de situ terrarum Meclenburgicarum, de mari, fluminibus, ac lacu-

lacubus earum, de illarum fertilitate, de lingua Saxonica ibi trita, de proceribus ad comitia coeuntibus, de virtute incolarum, de religione, de Ducatus partibus, quæ sunt Ducatus Meclenburgi, Principatus Venedorum, Swerini, & Raceburgi, Comitatus Swerinenfis, atque dominia Rostochii & Stargardiz. Recenset urbes partium illarum, & Dominos distribuit in Vandalicos, Venedicos, & Germanicos. Io. Fridericus de Chemniz *Genealogiam Ducum Megapolitanorum* scripsit, nondum editam. Clüweri, Notarii Heiligenhaventis, Descriptionem Ducatus Meclenburgici alteram, seu editionem secundam, curavit Consiliarius aulicus Iarchow. Sectione I. de Vandalis, Meclenburgicarum terrarum ambitu gavisis, agit differitque Auctor. Ipsi feruntur fuisse generis Suevici, ac habitasse Vistulam inter & Albim. Herulos fuisse Vandalorum progeniem ac ad Havelam incoluisse, Helmoldus videtur docuisse. At ibi pro *Herulis* legendum est *Hevilis*. Procopius patriam Herulorum ad latus Norwagiæ collocat. Videntur ipsi *Dalekariam* habitasse. Vandalorum vitam & commercia egregie adtigis Auctor, ratus, ipsis placuisse democratiam vel dominandi formam, in quam ex illa fuerit haud parum adscitum, donec domini habenas adduxerint pro destinationibus suis. Regem *Amburum* iam tempore Alexandri M. condidisse Meclenburgum, Butzovian, Werlam, aliasque urbes, sunt qui nobis persuasum eunt. Multa in successorum eius familia, genealogia, & factis occurrunt, quibus melior lux est exoptanda. Vandali dicuntur partim emigrasse patria, partim in ea remansisse. Illos in duas abiisse gentes ferunt, in Burgundiones, intra Galliam sedium potitos, ac in Vandalos, ad Hispanias Africamque progressos, quorum Reges Auctor commemoravit. *Corsico*, Rex Vandalorum, qui in Germania restabat, dicitur cum Romanis bellasse. Eius ætate Odoacer Italiam occupavit superiorem, a Theodorico Ostrogothorum Rege vincendus. De Odoacri rebus in Italia, annoque emortuali, D. Bernardinus Zanetti folide differuit, *del Regno de Longobardi in Italia*, ac præcipue Lud. Ant. Muratorius, in *Antiquitatibus Italiae mediæ ævi*. Vandalos, ad Balticum

Pag. 17.

21.

24.

35.

49.

- thicum mare, in angustiores limites coercerant Saxones & Venedi seu Slavi, illi ab Occasu, hi ab Oriente. Obscuritate idcirco sese involverunt res & reges Vandalorum, ad quorum plenioram notitiam consuli potest etiam Ioannis Georgii Ecardi Liber, qui *Origines Germanie* complectitur. Sectio II. succedit, historiam Venedorum, in terris Meclenburgicis, enarrans. Sub finem enim Seculi VII. regnum Vandalorum desisse dicitur cum Rhadegasto II, licet aliquot Principes Vandalorum videantur supervivisse, ac ex pacto terras cum Venedis dispartivisse. Adamus Bremenensis, Helmoldus, Albertus Stadenensis, ac nonnunquam Carolingidarum ac Ottonum scriptores, historiam Obotritorum ac Slavorum adtingunt. Slavinarum seu Slavorum gentes ad mare Balticum, & ad paludem Mæoticam, ac Danubii ultima porro habitasse initio, Ill. Jo. Jac. Malcovius solide ostendit, in *Geschichte der Teutschen*. Lib. XI — XVI, XXXI. *Anmerckung*, pag. 205, seq. Lips. 1737, 4.
76. Venedi, Winidæ, Venedæ, ad Vistulam & Sinum Venedicum sedes, iam Taciti & Ptolemæi ætate habuerunt, adpellati alias
50. *Antæ & Sarmatæ*. Vandalos a Venedis esse distinguendos, Auctor solide monet. Henetos Paphlagoniæ porro a Venedis fuisse diversos, haud ignoramus. Venedorum gentes, ad mare Balticum incolentes, dictæ fuerunt Cassubii, Redarii, Rugii, Wilzii, Ucrani, Obotritæ, Polabi, Wagrii. Helmoldus eis alias præterea adiunxit. Idololatria Venedorum videtur aliquid ex Vandalorum superstitionibus traxisse, vel olim utrique populo fuisse communis. *Svanclwit* videtur ex *S. Vito* ortus, quem Corbeienses Monachi in Rugiam & terras adiacentes Pomeranicas adtulerant, expulsi ab incolis ob avaritiam, ut legitur in fine *Traditionum Corbeiensium*, quas Ioannes Fridericus Falkius edidit. Runica scriptura Vandalis ac Venedis fuit communis. Notanda sunt Venedorum hospitalitas, sinceritas, ebriositas, crudelitas, latrocinandi studium. Venedi amarunt imperium monarchicum ac procerum, regio sanguine editorum, excellentiam, licet haud probarent nomen *König*, sed adhibuerint nomen *Kiral*, *Korol*, quod *Dominum* notat, vel etiam *Knees wielki*, *Principis manus*.

gni. Inde usu venit, ut *Iohannes Theologus* a Venedis dictus fuerit *Knees Ianicke*. Witslavus II, Princeps, foederatus fuit Caroli Magni, ac Saxones infestavit, Magdeburgum cepit, & Albin tranliturus a Saxonibus fuit percussus, anno 795. Wizlavii successoribus consuetum fuit, Regibus Germanorum, ex pacto foederis quodam, annua pendere tributa. Nec tamen capropter Imperatoribus Regibusque Germanorum subiectos eos fuisse, Auctor contendit. Thrasco, Wizlavi filius, Caroli M. foederatus fuit peræque, victoriis de Saxonum natione reportatis felix, auxiliis Caroli contra inquietos Wilzios sustentatus. Gothefredus, Rex Danorum, Saxonum ac Wilziorum amicus, Thrasconem a. 808. vicit. Cum bellum Thrasco esset reparaturus, a Danis a. 809. inter pacis condiciones per insidias interemptus fuit. Fratres ipsi fuerunt *Godlieb & Slaomir*. Ille a Danis in prælio occisus est A. 808. Huius filii, *Ruric, Suvar, & Truvar*, in Russiam discesserunt, ibique *Principes Magni* fuerunt dicti. Alii eos ex Suecia, alii ex Dania, credunt arcessendos. At ob linguæ generisque commercia, & ob promptam Russorum obedientiam, eos fuisse sanguinis Venedici, admodum est verisimile. Slaomir, Rex & Princeps magnus dictus, dominatus est, fratre occiso, in terras Meclenburgicas, Caroli Magni ac Ludovici Pii partes amplectatus contra Danos, ad annum usque 817, quo Danis auxilio fuit adversus Francos. *Geodrac*, Thrasconis filius, eum, ope Francorum præmunitus, a. 819. deiecit regno, ac restituito Slaomiro mortuoque 821. successit, ad a. 830. Ludovici *vasallus*. Filium nactus fuit successorem *Gozomuzlowium*, qui inter dissidia Imperatoris familiaris intestina, cepit iuris sui esse. Ludovicus Germanicus, Pii filius, nostrum ad obsequium revocare conatus fuit. Obstiterit ei *Gozomuzlow*, inter dissensiones 844 percussus, relicto filio *Tabemuzlow*, qui non potuit non præpotentibus Ludovici viribus principatum concedere, & ad officium redire. Anno 861 se in libertatem adferere tentavit. Sed frustra. Anno 862. iussus fuit Ludovici maiestatem reverenter habere. Successit ei *Miltevoy* primus, circiter a. 865. cui Aribertus III. post quadriennium successit, obscurus æque

Pag. 96.

98.

100.

104.

106.

- Pag. 108. æque ac pater. Mistevoio successit frater *Mislav*, potentia
 coruscus, qui Brandenburgum recuperavit, a. 904. in Saxo-
 niam orientalem irrupit, Nordalbingiam a. 913. devastavit, ac
 Hamburgum exussit. Henricus Auceps vim eius fregit a. 925.
 Brandenburgum expugnavit, Marchionem septentrionalem
 constituit. Reparaturus bellum *Mislavus*, necem incurrit,
 percussus 934. Successit ei filius *Billung I*, Mecklenburgi
 sedem tenens, qui christianæ locum dedit religioni, veneratus
 Henrici Aucupis ac Ottonis Magni dominationem, donec oc-
 casio ei adspiraret sese latius extendendi. Otto II. eum coer-
 cuit, & ab obsidione Brandeburgi repulit. Venedi omnes,
 inde a Vistula usque ad Albim, dominatum eius adfectaban-
 tur. *Mieccslavus II*, Billungi filius natu maximus, christia-
 nam secutus religionem professione, regiones tamen Saxo-
 num mirum in modum infestavit. mortuus 999. Successit ei filius
 117. *Mistevoiy II*, qui ob denegatam sibi vel filio e Saxonia uxorem,
 repudiavit religionem Christianam, & in vicinas Christianorum
 regiones violentam fecit impressionem haud unam. Mar-
 cam ad Brandenburgum recepit, tractu Soltquellensi excepto.
 Vastavit Nordalbingiam & Hamburgum. Rediit tandem ad fru-
 gem, diademate se a. 1023. abdicavit, ac Bardevici obiit exsul
 1025. Reliquit quinque filios, Andracum, Udonem, Gneum, Ra-
 125. tibor, & Boguslavum, progenitorem Ducum Pomeraniz. An-
 draco succedenti, ac inter præliandum intereunto, successit
 Udo, quem exspirasse tradunt ad annum 1032. Udonem ex-
 cepit filius *Godschalcus*, apostata, crudelis, expulsus, in Dania
 exsul, restitutus, denuo christianus, ac ab ethnicis homini-
 bus, ipsi subditis, obruncatus a. 1066, surrogato ei Princi-
 133. pe Rugiorum, Critone. Aufugerant inter hæc filii God-
 schalci, Butue in Saxoniam, Henricus in Daniam, matris
 Syrithæ solum natale. *Butue*, iura avita sibi vindicaturus, &
 a Christianis Meclenburgicis in Principem adscitus, dolo
 Critonis a. 1075. Plonæ captus ac obruncatus est. Itaque
 Crito, filius Grimi, qui Mistevoiy II. fuerat frater, solus præfuit
 139. regioni, quem paulo post Henricus, ex Dania redux, turbavit,
 ac in convivio interficiendum curavit a. 1105. Dominum

tunc egit Henricus, cui Critonis filius, Rizzo, multum molestia faceffivit, ad Raccburgum tandem victus. Rem Christianam inter suos collapsam reparaturus, cessit fato, autequam statisset modum, quo filii *Svantepolk* & *Knut* terras regere avitas deberent. Hi, de successione invicem certantes, in causa fuerunt necis contractæ. Suantepolci filius *Suiviko*, habenas regni capessivit: at inter turbas a. 1135. Erdeneburgi interiit. *Canurus*, Dux Sleavici, originis regie Danicæ homo, a Lothario III Imperatore Megalopolitanis præesse iussus, exclusit heredes *Burhuen*, *Pribislavum* ac *Nictorum*, obruncatus circa a. 1136. Redierunt tum heredes isti, ac terras avitas ex æquo inter se dividerunt. Non est cur posteros eorum ad annum usque 1164. compendiaria ratione recensamus. Sectio III. exhibet Principes Meclenburgicos Germanos, ad annum 1167 usque liberos, ac postea Imperatori deditos. In Meclenburgicas terras Duces Saxonie potentiores infuderunt gentes Germanicas, ut nomen Venedorum exstinguerent. Henricus Leo, novos nobiles, milites, ac ministeriales, in regionem Meclenburgicam invexit. Nonnullos ex prisca gente remansisse, ac iisdem sese adstrinxisse conditionibus, negandum haud videtur. *Presbislavum*, e terris suis eiectum, Henricus Leo non restituit ante, quam privilegia nobilibus impertita consensu ac auctoritate sua confirmasset. Hæc est origo privilegiorum nobilitatis Meclenburgicæ, quæ posthæc ab Imperatoribus fuerunt corroborata. Henricus Leo novam Meclenburgicis tractibus faciem, novos colonos, iura Saxonica, linguam Saxonie inferioris, communitatem religionis christianæ, induxit. *Pribislavum* II. in Pomerania exsulem, & christianæ religioni sese adgregantem, Henricus Leo terris avitis a. 1167. restituit, ne invidiam procerum imperii nimis exasperaret. *Pribislavus*, qui Lüneburgi dicitur baptizatus, terras suas libere rexit, quemadmodum *Nostro* videtur, & urbes condidit novas, *Rostochium* in primis, quas, adscitis e Germania hominibus, implevit. Ipse, ni Henricus Leo, circa a. 1167. cœnobium *Dobberan* extruxit. *Pribislavus*, cum *Guncelino* Comite *Swermentis*, Henricum Leo-

Pag. 159.

167.

177.

185.

nem comitatus est in Palæstinam. Anno 1178 Brunsvicum Prebistaus venit, ut hastiludio solemniter interesset in aula Henrici Ducis. Inter certandum ex equo lapsus, exspiravit. Filius eius Henricus Burwinus I, cum cognato Nieloto, qui dynastiam Rostochiensem tenebat, bellatus, Regi Danorum ansam suppeditavit invadendi Meclenburgicas terras, ac utrumque a. 1182. ducendi captivum. Utrumque Rex libertati restituit a. 1183. ea conditione, ut ipsius essent *Vasalli*, ac in terras avitas bipartito dominarentur. Canutus VI. & Waldemarus I. filius, Reges Danicæ, in Meclenburgicis terris supremum sibi vindicarunt dominatum. Rostochium iubetur gaudere iuribus Lobecensibus. Prælio Bornhovedensi a. 1226. Waldemarus cum fœderatis fuit a Duce Saxonie Alberto devictus, quo ipso Principes Meclenburgici sese in libertatem adseruerunt. A. 1237. fratres Principes terras inter se dividerunt, nec tamen quietis fuerunt patientes. De Dominis Werlensibus, seu Principibus Venedicis, Auctori visum est seorsim differere. Deinceps ad Principes Meclenburgi, ad Ducem Albertum I. usque, progreditur, ab anno 1237, usque ad annum 1377. Tum de Ducibus Stargardiensibus exponit, a Ioanne VI. Henrici Leonis filio natu minimo, exorsus. Porro historiam Ducum Meclenburgicorum, ab Alberto I. ad Henricum VI. deductam, exsequitur. Tandem telam inde ab Henrico VI. usque ad Adolphum Fridericum I. pertexit. Ad extremum recentissima persequitur, ab Adolfo Friderico I. usque ad Christianum Ludovicum II. simul exponens de progenie Swerinensi ac Strelicensi, siquidem forma dominandi vinculo quodam communitatis gaudet. Subiunxit Auctor tanto labori, feliciter exantlato, tres Appendices, primam de *Comitibus Swerinensibus*, secundam de *Episcopis Swerinensibus*, tertiam de *Episcopis Raczburgicis*, respiciens ad solum Meclenburgicum, in quo Comites & Episcopi illi suas olim habuere possessiones. Qua ratione Comitatum Swerinensem Duces Meclenburgici adquisierint, ac Duces Saxonie suum ius feudi in illum deseruerint, docere laborat Auctor. Comites Swerinenses ab a. 1160. ad annum 1358. floruerunt. Henrico Leoni, Duci Saxonie, Guncelius, ob fortitudinem

debut dignitatem suam. Nisi fallimur, Guncelinus ille fuit nobilis Dominus Wolferbuttelæ, quam sibi vindicatum ibat Henricus Comites Swerinenses vulgo a Bartenlebiis dynastis, horumque genere, solent deduci. Hæc suffecerint Lectori, ut intelligant, quantum pretium Volumini Buchholziano debeat constitui.

*SOLUTIO ÆQUATIONUM CUBICARUM CLASSIS
secundæ per methodum novam.*

§ 1.

Cubicæ æquationes, quæ generaliter per. $ix^3 \pm mx \pm n = 0$ exprimuntur, se distinguunt, uti notum, in duas Classes. Prima consistit ex iis, in quibus *Cardani* regula solutionis locum habet, & secunda ex illis, in quibus solvendis hæc regula parum valet. Æquationes omnes huius formæ: $ix^3 + mx \pm n = 0$ sunt prioris classis; hæc vero: $ix^3 - mx \pm n = 0$ referuntur partim ad priorem, partim ad posteriorem. Juxta regulam dictam in æquationibus primæ classis præcipuum est, radices extrahere cubicas ex $\frac{1}{2}m^3 \pm \sqrt{\frac{1}{4}nn}$, vel $-\frac{1}{2}m^3 \pm \sqrt{\frac{1}{4}nn}$, sed hæc res haud exigui est laboris; quapropter methodum solutionis aliquo modo mutavi, ut sine extractione ex binomiis hæc radices æquationis certo inveniatur, de quo forsan alio loco agam.

§ 2. Æquationes: $ix^3 - mx \pm n = 0$ incidunt, si $\frac{1}{2}m^3$ minus est, ac $\frac{1}{4}nn$, in primam, & casu contrario in secundam classem. Sed hoc commodius indicat radix quadrata ex $\frac{1}{4}m$, & cubica ex $\frac{1}{2}n$, illa enim si minor est quam hæc, æquatio est classis prioris, sin vero maior, est posterioris. e. g.

<p>A) $ix^3 - 66x + 340 = 0$</p> <p>3) — 2) —</p> <p>$\sqrt{\frac{22}{4\frac{1}{2}pp}}$ $\sqrt[3]{\frac{170}{5\frac{1}{2}pp}}$</p>	<p>B) $ix^3 - 87x + 130 = 0$</p> <p>3) — 2) —</p> <p>$\sqrt{\frac{29}{5\frac{1}{2}pp}}$ $\sqrt[3]{\frac{65}{4pp}}$</p>
---	---

Est itaque æquatio A primæ, & B secundæ classis.

§. 3. Pro veritatibus iam ab aliis demonstratis repeto hæc: a) quod uti generaliter in omnibus æquationibus, ita etiam in cubicis, quæ ex puris numeris integris consistunt, si numerus sive coefficientis quantitatis maximæ unitas est, nulla alia radix rationalis, ac numerus integer contineatur; b) quod omnes æquationes secundæ classis, tres comprehendant radices veras; c) quod maxima earum summam faciat utriusque minoris, ea tamen cum conditione, ut hæc signum contrarium radicis maximæ præ se ferant; d) quod radices tres æquationis sint vel omnes irrationales, vel omnes rationales, vel unica posterioris generis tantum.

§. 4. In casu unica radice rationalis, qui frequentissimus est, nescitur ante solutionem, an hæc maxima, media, vel minima sit, quocirca ratio habenda inventionis trium radicum simul. Hactenus methodus solvendi perfecta haud innotuit; & quamvis hæc quoque, quam communicaturus sum, qualitate eiusmodi non gaudeat, ita tamen comparata est, ut tres illæ radices per eam certo possint inveniri.

§. 5. Fundamentum huius methodi situm est in computatione duarum æquationum ex radicibus generalibus, harum minima exprimitur per q , media per p , & maxima, quia ex summa ambarum minorum consistit (§. 3, lit. c), per $p + q$. Primus casus secundæ classis est, si radices sunt: $p + q, -p, -q$. Hæc reducuntur in æquationes, quæ Zyphræ æquiparantur ita: $x - p - q = 0, x + p = 0, x + q = 0$, & oritur ex earum multiplicatione inter se æquatio cubica primi casus:

$ix^3 (-pp - pq - qq) x - ppq - pqq = 0$, vel: $ix^3 = (pp + pq + qq) x + ppq + pqq$. Secundus casus radices: $-p - q, +p, +q$ comprehendit, quæ in suas æquationes mutatae producant æquationem:

$ix^3 (-pp - pq - qq) x + ppq + pqq = 0$, vel: $ix^3 = (pp + pq + qq) x - ppq - pqq$.

§. 6. Primi casus æquationem illi generali ex §. 1. nimirum: $ix^3 - mx - n = 0$, vel $ix^3 = mx + n$ æquiparo: m & n , tanquam quantitates cognitæ, æquales pono supra dictis incognitis ita:

$pp +$

$$\frac{pp + pq + qq = m}{\text{(cub.)}}$$

$$p^6 + 3p^5q + 6p^4q^2 + 7p^3q^3 + 6ppq^4 + 3pq^5 + q^6 = m^3$$

subtr. $\frac{1}{2}p^4qq + 1p^3q^3 + \frac{1}{2}ppq^4 = \frac{1}{2}nm$

$$A) p^6 + 3p^5q + 5\frac{1}{2}p^4qq + 6p^3q^3 + 5\frac{1}{2}ppq^4 + 3pq^5 + q^6 = m^3 - \frac{1}{2}nm$$

quadratum de: $p^3 + 1\frac{1}{2}ppq + 1\frac{1}{2}pqq + q^3$ est:

$$B) p^6 + 3p^5q + 5\frac{1}{4}p^4qq + 6\frac{1}{2}p^3q^3 + 5\frac{1}{4}ppq^4 + 3pq^5 + q^6$$

$\frac{1}{4}p^4qq - \frac{1}{4}p^3q^3 + \frac{1}{4}ppq^4$, hoc est differen-
tia A & B.

$$\frac{ppq + pqq = n}{\text{(quadr.)}}$$

$$1) \frac{p^2qq + 2p^3q^3 + p^2q^4 = nm}{\frac{1}{2}p^4qq + 1p^3q^3 + \frac{1}{2}ppq^4 = \frac{1}{2}nm}$$

Si duæ minores radices æquationis sunt æquales, fit $\frac{1}{2}p^3q^3 = \frac{1}{2}p^4qq + \frac{1}{2}ppq^4$, & sic hæ quantitates se invicem tollunt; minoribus vero inæqualibus differunt quidem illæ quantitates, sed earum differentia in omnibus æquationibus, quarum radix maxima non attingit numerum 200, non tam insignis est, ut radix sequens cubica $\frac{1}{2}n$ maior sit, quam vera radix. Deductionem huius asserti, brevitatis causa, in aliud tempus remitto. Haud iniuste itaque pro æqualibus fumo:

$$\sqrt{) p^6 + 3p^5q + 5\frac{1}{2}p^4qq + 6\frac{1}{2}p^3q^3 + 5\frac{1}{2}ppq^4 + 3pq^5 + q^6 = m^3 - \frac{1}{2}nm}$$

$$p^3 + 1\frac{1}{2}ppq + 1\frac{1}{2}pqq + q^3 = \sqrt{(m^3 - \frac{1}{2}nm)}$$

adde $1\frac{1}{2}ppq + 1\frac{1}{2}pqq = 1\frac{1}{2}n$

$$\sqrt{) p^3 + 3ppq + 3pqq + q^3 = 1\frac{1}{2}n + \sqrt{(m^3 - \frac{1}{2}nm)}$$

Ergo radix maxima: $p + q = \sqrt{1\frac{1}{2}n + \sqrt{(m^3 - \frac{1}{2}nm)}}$

§. 7. Hæc est regula inveniendi radicem maximam, ubi notandum, quod residuum extractionis quadratæ, tanquam res exigui momenti, non attendatur, radix vero cubica per extrahio-

tionem, uti vocant, decimalem continetur, si residuum quasdam partes decimas unitatis complectitur. Inventa radice maxima, utile erit instituire eius examen, & ad indagandas ambo minores, valorem eruere quantitatis $p - q$, id quod absolvitur per computationes hasce:

$$\begin{array}{l} ppq + pqq = n \\ \text{divid. per } p + q = p + q \\ \hline \text{Ergo } pq = \frac{n}{p + q} \end{array} \qquad \begin{array}{l} pp + pq + qq = m \\ \text{adde } pq = \frac{n}{p + q} \\ \hline pp + 2pq + qq = m + \frac{n}{p + q} \\ \sqrt{} \\ p + q = \sqrt{\left(m + \frac{n}{p + q}\right)} \end{array}$$

$$\begin{array}{l} pp + pq + qq = m \\ \text{subtrahe } 3pq = \frac{3n}{p + q} \\ \hline pp - 2pq + qq = m - \frac{3n}{p + q} \\ \sqrt{} \\ p - q = \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p + q}\right)} \end{array}$$

Si radix maxima rationalis, $p + q$ erit perfecte aequale radici quadratae ex: $m + \frac{n}{p + q}$, sin vero irrationalis, quod ex eo cognoscitur, quando decimae quaedam numerum integrum superant (§. 3. lit. a), remanebit quidem differentia, sed adeo exigua, ut $p + q$ pro radice vera reputare possis. Inventio duorum minorum fit ita:

$p + q$

$$\begin{aligned}
 p+q &= \sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} \\
 \text{add. } p-q &= \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)} \\
 \hline
 2p &= \sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} + \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)} \\
 2) & \frac{\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} + \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}{\phantom{\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} + \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}} \\
 p &= \frac{\phantom{\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} + \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}}{2} \\
 \text{Ergo } -p &= \frac{-\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} - \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}{2}
 \end{aligned}$$

$$\begin{aligned}
 p+q &= \sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} \\
 \text{subtraft. } p+q &= \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)} \\
 \hline
 2q &= \sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} - \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)} \\
 q &= \frac{\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} - \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}{2} \\
 \& - q &= \frac{-\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} + \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}{2}
 \end{aligned}$$

48. NOVA ACTA ERUDITORUM

Examen minorum radicum sic instituitur:

$$\begin{array}{ll}
 p) \frac{ppq + pqq = n}{pq + qq = \frac{n}{p}} & q) \frac{ppq + pqq = n}{pp + pq = \frac{n}{q}} \\
 \text{subtrahe hoc} & \text{subtrahe hoc} \\
 a. . . pp + pq + qq = m & a. . . pp + pq + qq = m \\
 \hline
 p = \frac{m - \frac{n}{p}}{2} & q = \frac{m - \frac{n}{q}}{2} \\
 \sqrt{} & \sqrt{} \\
 p = \sqrt{\left(m - \frac{n}{p}\right)} & q = \sqrt{\left(m - \frac{n}{q}\right)}
 \end{array}$$

Si radix maxima rationalis, hoc examen superfluum est, computationes enim priores exacte valores p & q producant; sin minus, examen monstrat, an & quæ ex minoribus rationalis sit.

§. 8. Aequationi secundi casus æquiparatur: $rx^3 = mx - n$, & computatur porro, uti in primo, hac tamen cum differentia, quod signum — radicem quadratam ex: $m^3 - \frac{1}{8}nn$ comitur, & sic radices æquationis erunt:

$$\begin{aligned}
 -p - q &= \sqrt[3]{\left(-\frac{1}{8}n - \sqrt{\left(m^3 - \frac{1}{8}nn\right)}\right)} \\
 p &= \frac{\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} + \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}{2}, \quad q = \frac{\sqrt{\left(m + \frac{n}{p+q}\right)} - \sqrt{\left(m - \frac{3n}{p+q}\right)}}{2}
 \end{aligned}$$

§. 9. In applicatione huius methodi, distinguo æquationes radicem maximam rationalem continentes, ab illis, in quibus est irrationalis. Prioris generis sunt:

$$\begin{aligned}
 A) \quad ix^3 &= 849x + 5600 \\
 m^3 &= 811560049, \quad mn = 3130000 \\
 \frac{1}{2}mn &= 1565000 \\
 m^3 - \frac{1}{2}mn &= 596280049 \\
 \sqrt{m^3 - \frac{1}{2}mn} &= 24416 \\
 i\frac{1}{2}n &= 8400 \\
 i\frac{1}{2}n + \sqrt{m^3 - \frac{1}{2}mn} &= 32816 \\
 \sqrt{i\frac{1}{2}n + \sqrt{m^3 - \frac{1}{2}mn}} &= 32 = p + q
 \end{aligned}$$

$$\begin{aligned}
 B) \quad ix^3 &= 372x - 1449 \\
 m^3 &= 51478848, \quad mn = 2099601 \\
 \frac{1}{2}mn &= 1049800\frac{1}{2} \\
 m^3 - \frac{1}{2}mn &= 50429047\frac{1}{2} \\
 -\sqrt{m^3 - \frac{1}{2}mn} &= -7101 \\
 -i\frac{1}{2}n &= -2171\frac{1}{2} \\
 -i\frac{1}{2}n - \sqrt{m^3 - \frac{1}{2}mn} &= -9272\frac{1}{2} \\
 \sqrt{-i\frac{1}{2}n - \sqrt{m^3 - \frac{1}{2}mn}} &= -21 = -p - q
 \end{aligned}$$

M m m z

n=5600

$\begin{array}{r} n = 5600 \\ \text{per. } p+q = 32 \\ \hline \frac{n}{p+q} = 175 \\ p+q = 32 \\ \text{add. } p-q = 18 \\ \hline 2p = 50 \\ p = 25 \\ -p = -25 \\ n = 1449 \\ -p-q = -21 \\ \hline \frac{n}{p+q} = +69 \\ p+q = 21 \\ \text{add. } p-q = \sqrt{165} \\ \hline 2p = 21 + \sqrt{165} \\ p = 10\frac{1}{2} + \sqrt{41\frac{1}{4}} \end{array}$	$\begin{array}{r} m = 849 \\ + 175 (\text{triplum}) = 525 \\ \hline \sqrt{1024} \quad \sqrt{324} \\ p+q = 32 \quad p-q = 18 \\ \hline \text{Subtr. } p-q = 18 \\ \hline 2q = 14 \\ q = 7 \\ -q = -7 \\ m = 372 \\ + 69 (\text{triplum}) = 207 \\ \hline \sqrt{441} \quad \sqrt{165} \\ p+q = 21 \quad p-q = \sqrt{165} \\ p+q = 21 \\ \text{Subtr. } p-q = \sqrt{165} \\ \hline 2q = 21 - \sqrt{165} \\ q = 10\frac{1}{2} - \sqrt{41\frac{1}{4}} \end{array}$
---	---

§. 10. Aequationibus, quae radicem maximam irrationalem complectuntur, methodum ita, residuo ex divisione non attento, applico:

$$\begin{array}{r} C) \quad 1x^3 = 1200x + 9000 \\ m^3 = 1728000000, \quad mn = 82000000 \\ \frac{1}{2} mn = 40500000 \\ \hline m^3 - \frac{1}{2} mn = 1687500000 \\ \sqrt{m^3 - \frac{1}{2} mn} = 41079 \\ \frac{1}{2} n = 13500 \\ \hline \frac{1}{2} n + \sqrt{m^3 - \frac{1}{2} mn} = 54579 \\ \sqrt{\left(\frac{1}{2} n + \sqrt{m^3 - \frac{1}{2} mn}\right)^2} = 3720 \end{array}$$

n =

$$\begin{aligned}
 n &= 9000 \\
 p+q &= 37\frac{9}{10} \\
 \hline
 \frac{n}{p+q} &= 237 \\
 p+q &= 37\frac{9}{10} \\
 \text{add. } p-q &= 22\frac{1}{10} \\
 \hline
 2) \frac{2p}{p} &= \frac{60}{30} \\
 \hline
 -p &= -30 \\
 \hline
 \frac{1200}{-300} \\
 \hline
 \sqrt{\frac{900}{-30}}
 \end{aligned}$$

$$\begin{aligned}
 m &= 1200 \\
 + 237 \text{ (triplum)} &= 1437 \\
 \hline
 \sqrt{\frac{1437}{39\frac{9}{10}}} & \quad \sqrt{\frac{489}{22\frac{1}{10}}} \\
 p+q &= 39\frac{9}{10} \quad p-q = 22\frac{1}{10} \\
 \hline
 \text{subtr. } p-q &= 22\frac{1}{10} \\
 \hline
 2) \frac{2q}{q} &= \frac{15\frac{8}{10}}{7\frac{9}{10}} \\
 \hline
 -q &= -7\frac{9}{10}
 \end{aligned}$$

Examen rad. ration. $\frac{9000}{-30} = -300$

D) $ix^3 = 320x - 1216$

$$\begin{aligned}
 m^3 &= 32768000, \quad mn = 2478656 \\
 \frac{1}{2}mn &= 739328 \\
 \hline
 m^3 - \frac{1}{2}mn &= 32028672 \\
 \hline
 -\sqrt{(m^3 - \frac{1}{2}mn)} &= -5659 \\
 -\frac{1}{2}n &= -1824 \\
 \hline
 -\frac{1}{2}n - \sqrt{(m^3 - \frac{1}{2}mn)} &= -7483 \\
 \hline
 \sqrt[3]{(-\frac{1}{2}n - \sqrt{(m^3 - \frac{1}{2}mn))}} &= -19\frac{4}{10} = -p-q \\
 \text{Mmm } 3 & \quad -n
 \end{aligned}$$

$$\begin{array}{r}
 -n = -12:6 \quad m = 320 = 320 \\
 -p - q = -19\frac{5}{10} \quad + 62 \text{ (triplun.)} = 186 \\
 \hline
 \frac{n}{p+q} = + 62 \quad \sqrt{) 382} \quad \sqrt{) 134} \\
 p+q = 19\frac{5}{10} \quad p+q = 19\frac{5}{10} \quad p-q = 11\frac{5}{10} \\
 p-q = 11\frac{5}{10} \quad p+q = 19\frac{5}{10} \\
 p-q = 11\frac{5}{10} \\
 \hline
 2) \frac{2p}{p} = \frac{31}{15\frac{5}{10}} \quad 2) \frac{2q}{q} = \frac{8}{4} \\
 \hline
 320 \\
 - 304 \\
 \hline
 16 \\
 \sqrt{) \frac{16}{4}} \\
 \text{Examen rad. rat.} \quad - 1216 \\
 + 4) \quad - 304
 \end{array}$$

§. 11. Radices ita computatæ minores interdum differunt a veris circiter $\frac{1}{20}$; ratio eius est, quod divisio quotientem: $\frac{n}{p+q}$, si radix maxima irrationalis, haud perfecte producat, & licet $\frac{3n}{p+q}$ aliquo modo magis a vero valore differre possit. Sed quia examen radicum nullum dubium relinquit, perspicitur facile, an differentia adsit, nec ne. Observationes alias haud inutiles hoc loco nunc non attingam.

§. 12. Inventa una ex minoribus rationali, si lubet, reliquas quoque computare curate, æquatio quadrata, in qua latent, querenda, quæ ita formatur: Quantitati xx præponitur unitas, radix inventa vero cum eius signo est numerus sive coefficientens quantitatis x , & quotiens ex examine cum sub signo est numerus absolutus æquationis quadratæ. Per eius solutionem inveniuntur postea radices ceteræ, absque ullo defectu e. g.

ad

$$\begin{array}{l}
 \text{ad C) } 1xx - 30x - 300 = 0 \quad \text{ad D) } 1xx + 4x - 304 = 0 \\
 \hline
 1xx - 30x = 300 \qquad \qquad \qquad 1xx + 4x = 304 \\
 \hline
 1xx - 30x + 225 = 525 \quad \sqrt{} \quad 1xx + 4x + 4 = 308 \\
 \hline
 1x - 15 = \pm \sqrt{525} \quad \sqrt{} \quad 1x + 2 = \pm \sqrt{308} \\
 \hline
 \text{Ergo } x = \begin{cases} 15 + \sqrt{525} \\ 15 - \sqrt{525} \end{cases} \quad \text{Ergo } x = \begin{cases} -2 + \sqrt{308} \\ -2 - \sqrt{308} \end{cases}
 \end{array}$$

§. 13. In casu, quo per hanc methodum tres radices simul sunt repertæ irrationales, si placet unam vel alteram accuratius eruere, fieri hoc potest per approximationem, quam notam hic suppono esse, cum ab aliis sufficienter iamiam explicata est.

§. 14. Methodus mea vero occasionem, uti spero, dare poterit inventioni solutionis perfectæ. Sufficiens interim erit ad solvendas æquationes secundæ classis. Quodsi hæc tibi non displicuerit, L. B. integram de solutione æquationum translationem expecta, novas observationes, novaque artificia analytica, ad, inveniendas solutiones problematum continentem.

BENEDICTI XIV. MAXIMI ECCLESIAE ROMANAE Pontificis, Dissertatio de Nicolai Papæ IV. publico cultu in S. Maria Maiore. Edidit IOANNES BAPTISTA ALBRIZZI.

Venetis. 1751. 4. reg.
Plag. 2.

Splendorem bibliopola ac typographus, Albrizzi, Dissertationi iunxit, tum chartæ, tum literarum. Sacravit eam Auctori suo summo admodum diserte, & eleganter. Prædicat initio Benedictus IV. doctrinam & eruditionem, libris conscriptis elaram, quos recensuit in *Bibliotheca Pontificia Ludovicus Iacobus a S. Carolo Lib. I. sub Nicolao IV.* Fuit Nicolaus olim Ordinis Minorum alumnus Conventualium. ad pur-

purpuram postea euectus, & tandem Pontifex. Merita eius Cardinalitia exsequitur Auctor *Historia generalis Cardinalium*, editæ Parisiis 1640, nec non Antonius *suarum historiarum* tit. 24. Cap. 9. §. 7. His adnumerandus est Gregorius Kolb, in *Serie Romanorum Pontificum*. Vitam Nicolai IV. egregie scripsit Franciscus Pagius, in *Breviario Romanorum Pontificum* Tom. III. Narrant, eum ex dolore de Ptolemaide, Syriæ oppido, ab Aegyptiis expugnata, & tarditate Christianorum Principum, rebus Palæstinæ collapsis haud succurientium, decessisse, non sine magna sanctitatis opinione. Notant eum alii, quod Gibellinis partibus fuerit addictior. Robertus Barus, & Ioannes Baleus, Angli, scripserunt, eum frigide suo muneri satisfecisse, nec animorum saluti studuisse. Auctor *Histoire des Papes* Tom. III. eum crudelitatis & furoris accusat. *Meras fabulas & infames calumnias* adpellat Benedictus XIV, quicquid scriptum fuit Nicolai famæ adversum, perhibens, eas esse confutatas ab Arrichy in *Floribus historiae sacri collegii Cardinalium*, & Gretsero in *Defensione Romanorum Pontificum*, seu *Examine mysterii Plesseani* c. 56. Tom. VII. Opp. edit. ult. Muratorius negavit in *Annalibus Italiae* ad a. 1192, eum Gibellinis adhæsisse partibus. Dicitur Nicolai IV. cultus publicus in basilica S. Mariæ Maioris ei fuisse constitutus, licet nupiam aut *Beatificationis breve*, aut *Bulla Canonisationis*, de eo reperiat. Clementis X. iussu diligenter perquisitum fuit, quinam Pontifices cultu publico gauderent. Nihil tunc de Nicolai cultu inventum. P. Arturus, qui *Martyrologium Franciscanorum* composuit, tacet prorsus. Inscriptiones templi illius non exstant amplius. Omnis res redit ad inscriptionem illam, quam Sixtus V. ei a. 1574 posuit, ob pietatem in ordinem, & patriam suam. Plura argumenta, quibus cultus illius fama & opinio infirmatur, hic leguntur. *Opinio sanctitatis*, quæ in eius elogio legitur, non sufficit cultui publico. Nec ceteræ narrationes sunt tanti roboris, ut eis standum videatur. Hæc, secundum mores & instituta ecclesiæ suæ, Benedictus XIV, in eo studiorum genere, si quis unquam, versatissimus.

DIS-

DISSERTATIONES SELECTAE EX HISTORIA EC-
clesiastica, de persecutionibus in ecclesia excitatis ævo
apostolico, Auctore P. PETRO LAZARI, Soc. Ies. Pu-
blico Professore Historiæ Ecclesiasticæ in Collegio
Romano.

Romæ, ex typographia Komarek in platea Sciaræ. Sumti-
bus Venantii Monaldini Bibliopolæ in via cursus.
Superiorum facultate, 1749. 4.
Plag. 32.

Argumentum de persecutionibus in christianos excitatis, quod Cl. Auctor *ἀνευ προοιμίου* adgreditur, plures iam-
dum occuparunt, sed ipse illas tantum, quæ, vivis apostolis, sub Nerone, Domitiano, & Traiano eiusdem supervenerunt, per-
centendas sumit. Præmissis pauculis de ecclesia apostoli-
ca nullis hæresibus inquinata, nec ex *Hegeſippi* sententia per-
turbata, (in quo tamen multos sibi consentientes non habet) de causis harum afflictionum, earundemque fructu, quibus
Christiana religio non sufflaminata, nec oppressa fuerit, sed
nova sumserit incrementa, de vexationibus, quas non longe
post *ἀνάληψιν* Christi, & insequentibus temporibus a Judæis
perpeſsi sunt, tres istas ordine persequi instituit. Per *Ju-
daeos*, qui, memorante *Dione* Lib. IX. p. 668 *prohibiti sunt
conventus agere*, non intelligendos esse censet christianos, qui
cum Judæis tum temporis subinde confundebantur, quod non-
dum ea tempeſtate tanto numero essent. Nec christiani fue-
runt, qui *Suetonio* in *Calig.* cap. XXV. *tumultuati fuisse* di-
cuntur, *impulsore* Chresto, quos in Nerone suo nomine intigni-
verat. *Chrestus* autem, illa ætate, nomen satis vulgatum fuit.
Primus, qui ex imperatoribus Romanis in Christianos grassari
cepit, fuit *Nero*; qui igitur sub prioribus augustis locantur
martyres, de illis merito ambigitur. Quos inter cum referatur
S. Prisca, non potest illa esse, quam Paulus salutatur *Rom.*
XVI. 3. cuique iterum salutem dicit *2. Tim. IV, 19.* Inſpergit
hic A. quædam de actis *Thecle*, quæ spuria habet, edita a *Gratio*;
N n n de

Pag. I-7.

- de *Basilii Seleuciensis* libro de vita & miraculis S. Thecla, qui tamen ipsius factus non est: dicitur illa ἀπόστολος apostola, quoniam *feminarum antiquissima, & prima martyrii sui testimonio publico, fidem suam professi*. Illa se persecutio, *Dodwello* iudice, non intra urbis mœnia continuit, sed latus divagata, orientis etiam regiones infestavit; unde inter christianos opinio est evata, *Neronem* antichristum esse, eundemque olim rediturum. Initium persecutionis factum est a. ær. vulg. 64. & duravit ad 68. usque. Quod *Eusebius* H. E. Lib. II. cap. 25. trahit, *Petrum & Paulum κατὰ τὸν καίρον* martyrium passos fuisse, id de uno eodemque anno interpretatur. Et *Petrus* quidem in circo *Vaticano*, inter utramque metam circi, cruci fuit adfixus; *Paulus* vero, non longe ab *Olie.* via, quoniam *Neronis* pellices suis cohortationibus ad castiorem traduxerat vitam, supplicio est adfectus. Per sanctos de *Cæsaris* domo, quos apostolus salutatos vult *Phil. IV, 22.* *Neronis* domesticos, qui doctrinæ Christi sacramentum dixerint, intelligit. Nominat præterea alios, quorum tamen tempus desicri nequeat; primis quippe temporibus, observante *Papebrochio*, defuerunt, qui hæc hteris consignarent; notariis ecclesiasticis imperante *Domitiano*, & forsitan post illum demum, constitutis.
- 9 - 14. Sub *Vespasiano* etiam quidam cruenta morte perempti fuisse perhibentur; quare, quod *Eusebius* H. E. L. III. c. 17. scripsit, ipsum nihil ἀπέρον adversus Christianos gessisse, non, uti *Rufinus*, & post ipsum alii, vult exponi, *intariam omnino nullam christianis intulisse*, verum ipsum non singulare aliquod savitiae genus edidisse, aut in infectandis christianis diligentiam adhibuisse, aut nova edicta proposuisse. Novam persecutionem instituit *Domitianus*, *malevolorum*, uti *Melito* apud *Eusebium* Lib. IV. cap. 46. adfirmat, *inductus consiliis*. Duo de illa contra *Dodwello* notat: 1) non exilio tantum in christianos animadvertisse, sed corporis etiam cruciatibus, & capitis sententia. *Orosio* enim L. IV. c. 10. teste, *crudelissime persecutionis edicta ubique dedit*; & *Theodoretus* adfirmat, ipsum multos variis suppliciiis neci dandos curavisse. Nominat etiam aliquos, qui religionis christianæ causa trucidati fuerint,
- de

de nonnullis vero, qui hoc ævo passi fuisse dicuntur, non sine ratione dubitatur. 2) Ipsam non ita brevem fuisse, ut vix annum duraverit, protractam in tertium, vel, ut alii volunt, quartum annum. *Nerva*, quod *Dio* Lib. *LXVIII.* perhibet, Pag. 15-18. *reos impietatis*, i. e. christianos, quibus *ἀσεβητος* crimen impingebatur, absolvit. Quare, si quidem *Timotheus*, ipso imperante, mortem sustinuit, in populari seditione factam fuisse est dicendum. Tertiam persecutionem sub *Traiano* nominant *Salpicius Severus*, *Augustinus*, *Orosius*. Contra nititur *Dodwellus*, provocans ad auctoritatem *Lactantii* de M. P. qui adfirmat, *seculis temporibus, a Domitiano ad Decianum, multos ac bonos principes Romani imperii clavum tenuisse, ecclesiam nullos inimicorum impetus passam, cetera.* Demonstrat igitur contra illum, falsum esse, ad imperatorem solam antiochenam persecutionem, qua passus *Ignatius*, spectare; cui contrarium editum a *Plinio* in epist. ad *Traianum*, quo *heterie* prohibentur, commemoratur. Alia *Dodwelli* argumenta A. refellit. De Auctore libelli de M. P. observat, ipsum aut falsi arguendum, quod fecerit *Nourrius*, vel opportuna aliqua explanatione excusandum esse, qui in persecutionibus, quæ Diocletianeam anteverterunt, breviter nimium ieiuncque fuerit verfat. Quædam porro observat ad locum *Prudentii* contra *Symmachum* Lib. *II.* v. 669. seqq. quem *Cuperus* pro causa *Dodwelli* producit, qui reliquis persecutionibus præteritis, *Neronianæ* continuo adnectit *Decianam*. Illustriores martyres, qui hoc tempore sunt obruncati, sunt *Ignatius*, antiochenus præsul, *Simeon* Hierosolymitanus: alii præterea nominantur, de quibus tamen aliquid certi adfirmari nequit. De *Clementis* romani martyrio sunt qui dubitent, erud. Auctor vero sententiæ adfirmanti accedit. Postremo inquirat in sententiam illorum, qui omnes omnino *Christi*, aut apostolorum, discipulos, martyres esse volunt, quod de omnibus illis dici posse negat. Liber in universum non indiligerter scriptus est; est tamen ubi *ἀκριβειαν* desideres, forte destinata opera neglectam.

18 - 19.

19 - 21.

22 - 23.

23 - 27.

27 - 28.

INSCRIPTIONES CITIÆ, SIVE IN BINAS INSCRIPTIONES Phœnicias, inter rudera Citii nuper repertas, coniecturæ. Accedit de nummis quibusdam Samaritanis & Phœniciis, vel insolitam præ se litteraturam ferentibus, vel in lucem hæcenus non editis, dissertatio, Auctore IOANNE SWINTON, A. M. ex æde Christi Oxon. & R. S. S.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, typis Academicis, 1750. 4.
Plag. 10.

- I**nter rudera Citii, urbis olim Cyprî celeberrimæ, complures inventæ sunt characteribus ignotis in lapidibus incisæ inscriptiones, quarum triginta tres *Richardus Pocockius*, viginti novem vero post *Pocockium* collegit, descripsit, descriptasque in patriam suam detulit *Porterius*, medicus Anglus. Ex his duas illustrandas suscepit doctissimus *Swintonius*. Postquam eam in rem observavit, inscriptionum harum litteras ad præfati Phœnicum alphabeti normam esse exaratas, vocatis in subsidium nonnullis veterum Sidoniorum, Gaditanorum, atque Ebræorum nummis, in quibus similes litterarum ductus observare licet, Citieorum res breviter perstringuntur, ac varia de
8. Phœnicibus, Citii incolis, de Belo, urbis huius conditore, de eius filio Pygmalione, de Elulæo, Citieos a Phœnicum imperio deficientes ad obsequium reducente, de Pharaone Hophra, Cyprîos, Phœnices, & cum his etiam Citieos subigente, de Persis eorumque in hanc civitatem imperio; de aucta eiusdem potentia, Atheniensium impetus fortiter sustinente; de Citii postea in libertatem vindicatis, eorum *ἀυτονομία*; de Romanis, Citium expugnantibus, deque aliis eius factis, ex præfatis scriptoribus commemorantur. Expenduntur deinde secundum alphabetum Phœnicium, quod tabulæ æneæ incisum auctor ipsi dissertationi præfixit, litteræ, quæ inscriptiones ipsas efficiunt, & quarum alteram, monstrato litterarum
16. Phœniciarum valore, sic legit eruditus Auctor:

לעבראמון בן עברטן הוב שלב *Abdamamono*
filio Abdemoni principis, vel reguli; adeo ut inscriptio-
 nem hanc sepulcralem fuisse statuat. Ipsam hanc suppe-
 ditatam Phœniciz huius inscriptionis versionem, certam
 atque probabilem conatur efficere. Quoad suppletas litteras
 vocales, quæ in ipsa inscriptione prætermittæ sunt, observat,
 parvi referre, quibus vocalibus, in significationibus verborum
 incognitorum, litteris Phœnicis constantium, velimus uti, si
 modo hæ vocales a linguæ Phœniciz genio non abhor-
 reant, & toti inscriptioni sensus commodus atque idoneus,
 saltem non ineptus, earundem vocalium ope, inde eliciatur.
 Nemini enim obscurum est, Ebræos, Syros, Arabes, Phœni-
 ces, cet. vocalium in consonis latitantium sonos inter se invi-
 cem frequentius permutasse, ac promiscue usurpasse. Id ex-
 tra omnem dubitationem positum est, voces Phœnicias, ob
 maximam linguæ Phœniciz cum ebraica convenientiam, lin-
 guarum orientalium, maxime Ebraicæ, ope, esse interpretan-
 das; ideoque etiam suppletæ huius versionis rationem, ex
 eadem lingua commode posse reddi. Atque hoc haud infeli-
 citer præstitit noster Auctor. Prima littera est ל, quam pro
 articulo, & signo quidem dativi, more Ebræorum, habet. 17.
 Nomen proprium *Abdamamon* alibi quidem haud occurrit;
 sed ex aliis consimilibus vocibus, eiusdem explicatio Auctori
 nostro haud difficilis videtur. Uti enim nomina *Abd, Abda,*
Abdemonus, Abdastartus, Abdaloninus, possim occurrunt; sic
 eandem rationem nominis *Abdamamon* esse censet, idque ex
Abda & Mamon compositum, ac *servum Mamonis,* seu *divi-*
tiarum, significare arbitratur. Per *Mamon* Plutum, seu divi-
 tiarum Deum indicari putat, ac proinde nomen hoc idem
 esse censet, ac *servum Pluti.* Quod sequitur vocabulum בן, 21.
 ebraice *filium* denotare, est notissimum; eandem vero signi-
 ficationem id quoque apud Phœnicios habuisse, ex verbis
 apud *Plautum* Punicis, ubi ad minimum ter occurrit, potest
 comprobari. De nomine *Abdemon* idem, quod de superiori
Abdamamon, notandum est. Quod vero ad ultimum huius in-
 scriptionis vocabulum attinet, Auctor dubitat, utrum הרב 23.
 Nnn 3 *bur-*

- barrab*; an *שברב* *sberrab*, ex præfixo *ה* & *ב*, vel *ש* & *ב*, sit legendum. Utramque lectionem sensum laud mutare, ibidem Auctor observat. Præfixa enim sunt *ה* & *ש* sequente dageseh post utrumque, quorum illud Latinis *hic*, *hac*, *hoc*, articuli locum occupat; hoc vero latine vertitur per *quis*, *qui*, *ille*, *qui*, *illud*, *quod*. Hanc ob causam vocabulum hoc latine reddi debet, *illius principis*, vel: *qui princeps*, *qui est*, (aut: *fuit*) *princeps*. Merito autem querere quis possit, quisnam fuerit ille *Abdemon*, cuius in hac inscriptione facta sit mentio, & quam ætate hæc sit posita? Quodsi *Isocratem*, *Diodorum Siculum*, & *Theopompum* apud *Photium* audimus, horumque testimonia inter se comparamus, patet, exulem quemdam virum, cui nomen *Abdemon*, e Phœnicia profectum, sive potius Tyrium, eiectione Evagora I. potestate regia Salaminem tenuisse, eiusdemque filium, tyranno postea interempto, ad Citium, sub Perlarum signis militantem, occubuisse. Hunc *Abdemonem* eundem esse, cuius in hac inscriptione facta sit mentio, Auctor noster suspicatur; hocque posito, istam anno 386. ante Servatorem natum exaratam esse, contendit, atque ex eo colligit, Phœniciam hanc inscriptionem, reliquas illius gentis, quotquot adhuc innoverint, ætate superare, quum satis notum sit, antiquissima nuntinata, litteris Phœnicis ornata, & Seleucidarum temporibus percussa, ultra trecentesimum ante Christum annum neutquam ascendere.
32. *Succedit* altera inscriptio, quam *idem*, expensis singulis quibus ea constat litteris, & monstrato earundem valore, pro sepulchrali monumento habet, eamque sic legit eruditus Auctor:

LE AS MAN BEN ABA,

five:

LE ES MVN BEN ABA

Latine:

ESMVNO

ABAE. FILIO.

ESMVN


ESMVN nomen proprium esse, idque a Phœnicibus olim Aesculapio datum fuisse, perspicue docet *Damascius* apud *Photium*, *Biblioth.* pag. 1074. Ex hoc simul discimus, sic eum nuncupatum esse ob *calorem vita*, vel *calorem vitalem*; quoniam Aesculapius, secundum *Macrobius* *libr. I. saturnal. sermonum, cap. 20. vis salubris de substantia solis subveniens animis corporibusque mortalium* fuit. Hæc quum ita sint, & *Bochartus*, & alii, errare videntur, quando Phœnicium id Aesculapii nomen ab ebræo *אֶסְמוֹן*, *octavus*, deducendum esse arbitrantur. Quomodocunque tamen res ea se habet, id certissimum esse videtur, Cyrios, Græce loquutos, nonnunquam vocem *ΑΣΚΑΠΗΙΑΔΗΣ*, ac proinde, ut par est credere, *ΑΣΚΑΠΗΙΟΣ*, id est, ESMVNI, tanquam nomen viri proprium in ulum adhibuisse. Phœnicesque in Cypro principes interdum viros, eosque solos *ASMAN*, *ESMVN*, vel *ESMVNI*, antiquitus nuncupasse. Adeo ut *ASMVN* ille, in inscriptione hac commemoratus, antistes, dux, heros, aut saltem populi Citei vir primarius esse videatur. *Asmun* hic dicitur filius *ABA*, quod itidem nomen proprium apud Aegyptios & Arabes fuisse, vitis illustribus & heroibus, item civitatum primoribus adsignatum, ex *Pausania*, *Diodoro Siculo*, & *Stephano*, haud obscure potest comprobari. Atque hunc *Asmunem*, *Abæ* filium, apud Citeos vel in bello occubuisse, vel morbo periisse, eodem, quo *Abdamamonus*, tempore, statuit doctus Auctor; & addit, nemini mirum videri debere, si, quadringentis ante Christum natum annis, iam monumenta sepulcralia, & inscriptiones sepulcrales, apud Phœnices in usu fuisse audiat. Idem enim, eodem tempore, Græcos, Phœnicum æmulos, fecisse, probari potest ex binis inscriptionibus Atheniensibus, Ionico, veteri caractere exaratis, apud *Bernard. Montefalconium paleograph. Græc. pag. 134. & 135.*

Explicationem hanc duarum inscriptionum Phœnicicarum, in Citiæ urbis rudibus repertarum, excipit *de nummis quibusdam Samaritanis & Phœnicis, vel insolitam præ se litteraturam ferentibus, vel in lucem hæctenus non editis; dissertatio.* Nominum ab erudito Auctore explicatorum numero


Pag. 39.

41.

45.



W. 19 051



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

ro ordo fuit. In *primi* autem no. sic conspicuntur vocabu-
la: **הרתה צידן**, *anthei* nummi. In postica vero **שנים שנים**,
libertas, sive *liberatio Simonis*, vel *libertatis*, sive *liberatio-
nis Simonis*. Ex hoc coniecit Auctor, nummum hunc anno
Simoni, tum vi Iudaeorum sacerdotis, atque principis, secundo,
percutsum fuisse. Eundem nummum iam illustravit *Joan-
nes Bapt. Oltius*, ut *Reliquiae de num. vet. ceteris*, pag. 76.
obseruat. In *secundo* nummo videtur in altera parte cornu
copiae, in altera corona laurea. In illa conspicuntur quoque
sex litterae Samaritanæ, ita ut eodem venustate exese simul
videantur: in hac legitur **באחאעו אנתיון**. Litteras
Samaritanas, quæ adhuc in nummo hoc conspiciuntur, sic le-
git Auctor: **הרתה צידן**, delectas vero
hæc modo restant: **הרתה צידן**, easque Latine
sic reddit: *Hyrcean Hyrcæen genit, Hyrcæus sacerdos
summus*, atque existimat, nomine hoc indicari Joannem Hyr-
canum, Simonis filium, & post occisum patrem, summum
apud Iudæos pontificem. Ex corona laurea, in postica num-
mi parte conspicua, colligit Auctor nummum hunc sine
dubio victoriam aliquam Joannis Hyrcæni, a rege Syria, vel
ab alio quodam principe reportatam, designare. Quævis vero
hæc victoris sit, ac, utrum per id nummi huius ætas ad au-
gustum ante Christum natum 109, aut 110, 129, 130, aut 131, sit re-
ferenda, definire quidem Auctor noster non audeat existimat
tamen, eorum sententiam, qui annum 110 definiunt, reliquis
probabiliorem ipsi videri: maxime quod in altera nummi
parte legatur *Antigoni* nomen, ac propter id nummus hic in
Antigoni, Hyrcæni filii, victoris ab Antiocho Cezareo re-
portatæ memoriam, summi sacerdotis iussu cæsus fuisse videa-
tur. *Tertius* nummus est denarius regis Iudæ, cuius caput
cum præmissa barba, & coma circumcis tortis, in altera num-
mi huius parte videtur. Pone caput est sceptrum, regis
maiestatis insignis, ante vero cernuntur voces: *rex Iudæ*. In
altera parte templum conspicimus, cum quinque litteris Phæ-
nicis, quas Auctor interpretatur: **מלך יהודה**, sive *Iudæ*, ac
simul observat, Chananæorum & Phœnicum nomina nonnun-
quam

Pag. 52.

53.

quem in AI desisse, litteram vero I, ob dichilem eius in fine pronuntiationem, saepe in scriptura fuisse omissam. *Quartus* nummus Auctori videtur a Sidoniis cufus. Ab altera parte cernitur caput muliebre turritum, Cybelem forsitan, vel Altartem Sidoniorum deam referens; ab altera vero, prora navis, & in huius sinistra parte pumilio galeatus, deorum Patæorum numero adscribendus, una cum tribus integerrimis litteris Phœnicis. Has legit: צרן, vel צרץ, quod expressum est Sidonis urbis nomen. Lectionem hanc munire videtur ipsa, quæ in nummo hoc cernitur, navis prora, perpetuum fere Sidoniorum symbolum, ut *Vallantius, Montefalconius*, aliique observarunt. Nummi *quinti*, itidem Sidonii, anticam partem occupant capita ingata, Jovis forsitan & Janonis, si-ve potius Beli atque Baalidis; posticam vero prora navis, & pumilio homo, unus procul dubio e diis Patæis, cum epigraphæ Phœnicia, cuius primam litteram interisse, modo explicatum Sidoniorum numisma haud obscure videtur indicare. *Sextus* nummus ex litteris *Cel. Jo. Henr. Bruckeri*, Prof. Basileensis, litteris illustratur, cuius tres typi, sibi invicem in omnibus fere similes, Parisiis a Rev. *Barthelemio*, nummophylacii regii custode secundario, cum ipso communicati sunt. Id unus eorum habet peculiare, quod bis fuerit cufus, primo cum Alexandri M. cuius nomen Græcis litteris in margine adhuc legitur, & postmodum cum alia Samaritani vel Judæi cuiusdam principis imagine. Antica pars inscriptione omni caret. Conspiciuntur ibi duo cornua copiz coniuacta; si-ve, ut aliis placet, lychnuchi, in templo reponi soliti, icon. Ad ipsam numi huius inscriptionem quod attinet, de nonnullis litteris, qua ratione debeant legi, *Bruckerus* dubitare se profitetur, easdemque interpretandi provinciam *Swintonio* per-
mittit, qui ex dictis modo litteris has voces elicit: יתן זכהו חגרי ובריו ב *Jonathan, sacerdos summus & socii eius, secundo*, scilicet anno. Hæc interpretatio eo maiore probabilitate se tuetur, quod in primo Maccabæorum libro passim eadem loquendi ratio: ΙΩΝΑΘΑΝ ΚΑΙ ΟΙ ΜΕΤ' ΑΥΤΟΥ, si-ve: ΚΑΙ ΟΙ ΠΑΡ' ΑΥΤΟΥ, ut ex
Ooo cap.

Pag. 56.

67.

cap. IX, 32. 44. 48. 58. 62. & cap. X, 87. manifeste constat. Litteram Δ notam numeralem hoc loco esse, ex Alexandri, *Bala* nimirum, addito nomine, & corona laurea, conficit Auctor. Nomen hoc indicio est, nummum hunc regnante in Syria Alexandro Bala percussum esse, & quidem in memoriam insignis alicuius victoriz; eo enim tendit, quæ ibidem conspicitur, corona laurea. Nullam vero aliam victoriam iunctum adepti sunt Alexander & Jonathan, fœderati principes, quam gloriosam illam a Demetrio Sotere reportatam. Hanc consequuti sunt anno 162. æræ Seleucidarum, elapso præne ab inchoato Jonathanis sacerdotio biennio, ut ex nummis constat; ex quibus præne haud obscure, litteram Δ numeralem notam in hoc nummo esse, confirmatur. Nummus

Fig. 72.

Anticus, Auctore nostro indice, a regibus Syriæ, Seleuci successoribus, est percussus. Ab uno latere caput exhibet Barchi, vel potius Antiochi IV. sive Epiphaniis, & quidem, pro Aegyptiorum more, cincinnatum; ab altero autem clavam, una cum inscriptione Phœnicia, minus solitis litterarum duobus exarata. Hanc, expensis singulis, quibus ea constat est, literis, sic legit eruditus Auctor: LABEDVTZ CVBDR Græce, per mutationem τὸ B in Π, & τὸ Δ in Θ, ut & alias sit, & per elementorum transpositionem: ΛΑΠΗΘΟΣ ΚΡΥΠΤΟΥ. Hæc si admittuntur, facilis erit inscriptionis huius interpretatio. Cyprum enim insulam prius vocatam fuisse ΚΡΥΠΤΟΝ, refert *Plinius hist. nat. lib. V, cap. 55.* & ΚΥΠΤΟΝ, (ex quo τὸ P post τὸ T, si ipsam nummi locutionem retinere velis, forsitan, ut alios factum est, extrusum fuit.) legit *Stephanus de urbibus* voc. *Κύπρος*. ΛΑΠΗΘΟΣ est nomen urbis, a Belo conditæ, & a *Pomponio Mela, Strabone, & Plinio* commemoratæ. His concessis, haud difficile nummo huic ætas sua potest assignari, si modo, ut probabile efficit Auctor, simul admittatur, in eo conspici caput Antiochi Epiphaniis. Hic enim insulam Cyprum in potestatem redegit, eamque ab anno Seleucidarum 142. usque ad annum 144, sive annis ante Christum natum 169 — 171. tenuit. Trium itaque annorum horum spatio nummus hic

cusus

Culus esse videtur. Quomodoenque se res ea habet, ex ipso nummo haud obscure patet, insulae Cypri nomen, a Phœnicibus inditum, fuisse sine dubio KVPTR, vel KAPTR vel KAPTOR, & hoc admissio, patere antiquam *Caphtorim*, sive *Caphtororum* sedem, Deut II, 23. Ipsam hanc opinionem tuendam suscepit doctissimus *Augustinus Calmetus*, in prima *commentariorum biblicorum* editione: quamquam eam, loquibus de causis, in altera deseruit, atque ex Creta *Caphtoras* deducere maluit, quod fusius doctissimus Auctor ibidem docet, multa erudite de origine nominis *Cypri*, numque a plantæ nomine insulae nomen, aut versa vice illius nomen ab hoc sic formatum, commentatus. Sequitur denique *octavus* nummus, qui quoniam elephantum refert, quod animalis genus Carthaginiensibus in maximo usu fuisse constat, ac præterea literam Phœniciam *Koph* præ se fert, a Carthaginiensibus, quorum urbem כּוּפּוּ *Carta Aco*, vel *Cartaco* Phœnices adpellerunt, percussus esse Auctori videtur. Pag. 83.

MEMOIRES DE PHYSIQUE PURE, SANS MATHEMATIQUES, de toutes les Academies de Sciences, &c.

li. e.

COMMENTARII PHYSICES PURÆ, NULLIS MATHEMATICIS ADMIXTIS, ex omnibus Scientiarum Academiis depromti, in unum corpus redacti, & secundum ordinem, quo lucem viderunt, Tom. I. ad annos 1665. 1666. 1667.

Lausannæ, 1754. 4.

Alph. x. plag. 10. cum 25. figuris æri incisis.

Commentariorum, qui in omnibus pæne Scientiarum Academiis publicentur, tam varia, tamque immensa est congeries, ut vel solæ Anglorum *Transactiones Philosophicæ*, *Academiæ Scientiarum Parisiæ Commentariis* iunctæ, ultra centum volumina in quarta, quam vocant, forma, impleant. Fit igitur, ut nonnisi in paucorum potestate sit, nempe ditiorum, istam tot librorum copiam coemendi. Hinc

Q 0 0 2

Hinc ad omnes reliquos, qui veræ doctrinæ fontes indagare student, magna sane utilitas redundatura esse videtur, si modus inveniretur, quo universa illa commentariorum farrago in unum veluti corpus redigatur, nulla re omitti, quæ scitu veli necessaria, vel proficua sit; & quo, sine negotio, & modicis sumptibus quisvis ad eam rerum notitiam, quam maxime omnium desideret, pervenire possit. Et illud quidem editores operis, de quo iam disserimus, animo moluntur; in quem finem omnes scientias in XX. classes dispescere, eisdemque diversas collectiones, quæ & separatim prostant, illis instituire placuit. Quo illud evenit, ut, quicumque unam vel alteram istarum collectionum sibi comparare animum induxerit, hisce possimum commodis gaudeat, quod nihil superflui aut inutilis, sed ea solum nanciscatur, quæ ipsius sibi plurimum intersunt; deinde quod vix vicesimam partem faciet sumptuum, quos, si omnes omnino commentarios emerit, necessario erogasset. Cum ceterum lingua franco-gallica fere omnibus sit cognita, atque usu recepta; nulla plane difficultas obstat, quominus hæc versiones, ab Editoribus in illam factæ, ex commentariis, latina, itælica, anglica, atque tætonica lingua conscriptis, ab omnibus facile intelligi, & fructus inde, quibus sicut illorum idiomatum pleniore cognitione prorsus carendum fuisset, uberiores sane percipi queant. Si denique, ut fidem dant, Editores operam impenderit, ne inutiles ac tædiosæ repetitiones irrepant, ut sunt v. c. experimenta super Electricitate eadem, facta tum in Gallia, tum in Germania, inque Commentarios Academicarum & Societatum plus simplici vice relata, lectorum & temporis parcent, & sumptibus. Quoniam autem consilium istud, quod modo exposuimus, quodque omnibus solidioris doctrinæ cultoribus æque ac amatoribus arrisurum esse confidimus, ad exequendum laboris profecto ac molestiæ multum, sed & impensæ exigere palam est: certe promptis & liberalibus eruditorum subsidis dignum esse videtur. Nunc, age, ostendamus, quid in præsentis volumine præstitum sit, eiusque rationem accuratius declaremus. Quinque

ex Academia Scientiarum Londinensi, quæ a 1665. primus
 Commentarios edere cepit, hic sistuntur dissertationes,
 quæ ad res naturales pertinent; non enim aliæ huic Colle-
 ctioni reservantur. Inter eas experimenta & observationes su-
 per *rore Maiali* primum locum occupant; his efficitur, rorem
 esse lutei coloris, putrefactioni resistere, nihilominus sub fi-
 nem incensis in gluten degenerare, insecta procreare, & post
 ingentem evaporationem, glaucam quandam terram, (une terre
 grise) relinquere, in qua auxilio microscopii anguli & salis
 particulæ appareant. In calce, quædam etrusco caracte-
 re exarata lineæ leguntur, ubi Editores enixe rogant, ut, si
 quis in cognoscendis causis rerum paulo curiosior, su-
 per rore disquisitiones atque experimenta, quæ eius na-
 turæ, causæ, usus, ceteris eo pertinentibus, maiorem sint al-
 latura lucem, velit insinuare; itemque mediante microscopio
 ista parvula insecta, a rore procreata, exactius indagare,
 ea cum illis communicare haud gravetur. Nihil de reliquis com-
 mentationibus, quæ vapores sordiarum, speculum quoddam ar-
 dens, fluxum maris, &c. concernunt, dicere attinet; cum insi-
 tutiori ratio postulet, non tam argumenta, quam æcono-
 miam operis exponere. Ea de causa admonitionem ad
 lectorem a. 1665. subiectam, hic inferere e re duximus. Ita
 autem habet: „Ex nexu, quo omnes scientiæ, præfer-
 tim autem physica, cum medicina, chemia, historia naturali,
 „anquam amico quodam vinculo, inter se coniunctæ sunt,
 „non potest non fieri, ut plures huic scientiæ inservientes
 „commentarii, varios & innumeros complectantur tra-
 „ctatus, qui ad unam vel alteram istarum confinium scientia-
 „rum pertineant. Quocirca diu addubitavimus, quem illis lo-
 „cum assignare debeamus. Totidem enim peculiaris formam
 „tes volumina, quot diversitas commentariorum exegisset: eo-
 „rum numerum mirum in modum auxissemus, & insuper quæ-
 „dam nimis tenuia futura prævidebamus. Qua de causa ani-
 „mum induximus, ex eiusmodi commentariis, omnes ex-
 „cerptare locos, qui non essent physici, iisque subiungere,
 „ad quos commode referri poterunt. Cæteros, qui haud fa-
 „cile in summarium redigi possunt, iis servamus scientiis, ad
 „quas

„quæ potissimum spectare iudicaverimus, curaturi simul, ut in
 „sine Commentariorum Physicæ, ad quemvis unum tituli, &
 „argumentum sedulo indicentur.“ Transactiones philosophicæ
 omnes ferme suppeditant commentarios ad an. 1665. & ver-
 santur maxime circa Barometrum, terræ motum, parelios, ef-
 fectus tonitru, fluxum maris, &c. Admiratio nos subito ce-
 pit, ubi, temporis ordine minime servato, quædam ex Historia
 Acad. Scient. ad an. 1704. 1724. &c. ibi reperimus; quos tamen
 in commentariis, quibus subtrunchi erant, optime convenire vi-
 debamus. Mox autem non sine voluptate quædam ex pag. 52.
 intelleximus, (ubi scilicet tractatio quædam in nucleo tantum,
 ut ita dicamus, exhibetur.) Editores fidem facere, se nullam vel
 levissimam mutationem in commentariis facturos esse, nisi cu-
 rus antea lectoribus rationem reddidissent. Plane diversam ab
 illa, quam modo indicavimus, Editores rationem secuti sunt,
 p. 56. Ibi invenimus supplementum ad V. C. Wallerii Com-
 mentarium de fluxu & refluxu maris (*sur les marées*), ex quadam me-
 ditatione de fluxu & refluxu maris, quæ præmium Academiæ
 Scientiar. a. 1740. meruit, & P. Cavalieri auctorem habet,
 defunctum. Scilicet inde potiora, huius in universo & vasto O-
 ceano soliti motus, phænomena edisseruntur. Cum vero quæ-
 stiones meræ, absque solidis responsionibus, novitatis studium
 magis excitare, quam ei satisfacere videantur; apposite sane ad-
 iecerunt Editores, *Boyllii* quæstio de mari, ex epitome, quam
 Fontenellius fecit ex Historia naturali maris Comitæ de Mar-
 sigli, ubi istis quæstis egregie atque ex arte responderetur, &
 quæ tum ob gravitatem materiæ, tum ob doctrinam Auctoris,
 quam maxime se commendant. Porro Societas Regia, quæ
 Londini floret, Hevelio V. C. inter alias quæstiones illam
 quoque proposuerat, nam illis, quæ vulgo de hirundinibus fe-
 runtur, quod scilicet tempore hiberno sub aqua congelata se
 abscondant, neque prius resuscitentur, quam ad ignem appositæ,
 quicquam veri insit? *Schefferus*, Prof. Upsal, huic eximie quæ-
 stioni illa solum recessit, quæ ab aliis audiverat; quibus Edi-
 tores adhuc ea subiecerunt, quæ in *Kleinii* historia avium
 inveniuntur, & ita habent: „Ex Suecia superrime vir in histo-
 ria naturali doctissimus, celebris Ioh. Gottfr. Wallerius, Phi-
 los.

„Iof. & Med. D. Facult. medicæ Upsalienfis Adiunctus & Reg.
 „Colleg. Med. Membr. litteris 6. Sept. fi. vet. 1748 exaratis, fe-
 „quentia ad me dedit: In Actis Dantiscanis, sententiæ tuæ de hi-
 „rundinibus, tam multis testibus confirmatæ, eo lubentius sub-
 „scribo, quod hac in re ipfissimis meis oculis sum confirmatus.
 „Vidi namque non semel, sed multoties, autumnno ingruente,
 „hirundines turmatim arundinibus ad littora lacuum assidentes,
 „se sponte ex arundinibus præcipitasse, atque aquis submersisse,
 „idque post præviam cantilenam quandam, non peculiarem, sed
 „diutius protractam, fere ad quadrantem horæ & ultra duran-
 „tem; neque, dum sic arundinibus assident, meticulosæ sunt,
 „quod mirandum. Si lapidis ictu quis eas deterrere velit, avo-
 „lant quidem ab arundine, cui insident, sed non ripam vel ter-
 „ram firmam versus, verum ad aliam arundinem in propinquo.
 „Vidi & hirundinem, hyeme a lacu reti piscatorio protractam,
 „quæ tugurio calido immissa volitare cepit, paulo vero post
 „mortua est.“ Quamvis postremus huius voluminis annus a
 „Transactionibus Philosophicis incipiat, maxima tamen com-
 „mentariorum pars egregia Academicorum Florentinorum
 „experimenta exhibet, quæ iam indicare animus est. Pri-
 „mordia capiunt a descriptione instrumentorum, quibus Acade-
 „mici utuntur; quæ inter primum locum obtinent Thermome-
 „tra. Spiritus vini, quem in illis adhibere soliti sunt, quam multis
 „& maximis incommodis subiectus sit, item quam omni-
 „bus aliis fluidis Mercurius præset, optime, & ad oculum de-
 „monstravit D. *Martinus* in Tract. de Constructione & Gra-
 „duatione thermometrorum; unde, quæ ad istam descriptio-
 „nem spectant, excerpere visum est Editoribus. Ad rite iudi-
 „candum de Florentinorum experientis, imprimis necessa-
 „rium est, ut convenientiam (*les rapports*), quæ obtinet inter eo-
 „rum & nostratia thermometra, probe exploratam habeas;
 „eam D. *Martinus*, primum accurate determinavit, cuius
 „observationes, quibus istam convenientiam docuit, Editores
 „idem inseruerunt. Additiones istiusmodi, si opportuna &
 „commoda sunt, atque cum re, de qua agitur, bene congruant,
 „lectorum animos instruere ac recreare possunt. Attamen nobis
 vide-

videtur. eas ab Editoribus ultra modum extendi, & plus iusto coæcervari. Sequuntur XII. experimenta, quæ præfationem Atmosphææ ita clare & perspicue probant, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Hæc excipiunt XIII. in vacuo facta. Per quartum inquirere Editores constituerant, num ad vim electricam aer sit necessarius; sed, quod successus propositis non respondebant, omiserunt, & ad ea, quæ D. Watsonus in Transactionibus Philosophicis hæc de re in medium protulit, & quæ suo tempore exhibebunt, ablegarunt. Primum experimentum, effectum vacui in sono indagat; qui etsi idem vitus est ac in aere libero, tum Academicis, tum Hombergio, membro Academiæ Scientiarum Parisinæ; multo tamen aliter se habere, instrumentis magis perfectis, & maiori adhibita cura, postea inventus est. Tum sistuntur experimenta super congelatione æquæ, globulis ex orichalco, argento, auro, &c. inclusæ, arte facta, rel. quæ omnia sane egregia & lectu dignissima sunt. Appendice, tres commentarios, ex Ephemeridibus Germanicis depromptos, complexa, præfens volumen finitur, præmissa hæc admonitione, quod, quum videant Editores, in Ephemeridibus Germanorum ac Italicorum, innumeros inventi commentarios nequaquam spernendos, operæ pretium se esse facturos sibi persuadeant, si quosdam eorum in quolibet volumine inseruerint. Nobis quidem non liquet, an istæ additiones ad omnium palatum sint futuræ; quod minime defuturos credimus, qui hæc collectiones, ex meris Commentariis Academiarum congestas, spernant, & quibus forte quædam observationes recentiores magis satisfecerint; qualis ea est, quæ de speculo caustico, a Petro Hæfens Dresdæ factæ agit, de quo unum adiiungere verbum liceat. Huius speculi effectus sunt multo insigniores, quam omnium, quæ abhinc visa sunt; quod inde apparet, siquidem monetam auream, quam vulgo Pistole d'Espagne appellant, spatio minuti secundi, florenum Saxonicum autem, triplici elapio minuto secundo, liquefacit.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLV.

Pars I.

NOVUS THESAURUS IURIS CIVILIS ET CANONICI &c. Ex collectione & Museo GERARDI MEERMANN, Icti, & Syndici reip. Roterodamensis.
Tomus VII. & ultimus.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1753. fol.
Alph. 9. plag. 7.

Ergo, Novi Thesauri Iuris Civilis & Canonici edito Tomo VII. quem iam sub censuram vocare animus est, magna illa collectio Meermanniana nacta est finem: quem & Meermanniano V. C. & inprimis emtoribus, gratulandum arbitramur. Illius enim labores, horum autem sumtus, in hoc facti, iam conquiescunt.

Primum locum in hoc Tomo tenent *Fr. Ramos del Manzano*, & *Iosephi Fernandez de Retes Tractatus Academici*, iam, mandato Meermannii, ab adolescente diligente & docto, multis partibus correcti, & a vitiis purgati: quorum copiam nactus est Cl. Editor partim a *Cornelio Henrico de Wael*, Advocato Hagano, V. C. partim a *Maiansio*, Viro Cel. Sunt autem *Francisci Rami*:

1) De privilegiis rei rusticæ Collectanea, sive in Pragmaticam Eborensem, in favorem agricolarum emissam a. 1619. Pag. 1.
Ppp quæ

quæ hodie extat lib. 28. tit. 21. Compil. Recitationes solennes. Cuius quidem libelli rationem reddere non attinet. Pertinet enim ad legem Hispanicam illustrandam: Collectis & aliorum, & Romanorum inprimis, institutis similibus.

7. 2. Eiusd. ad Tit. de Apochis publ. & de descriptionibus Curialibus, & de distributionibus civilibus lib. X. Commentatio Methodica. Est autem huius totius libri argumentum, ut, ad explicandam legem Codicis laudatam, de Descriptionibus Curialibus, Apochis & Antapochis publicis, ex Romanorum institutis, exponat diligenter.
13. 3. Eiusd. ad Tit. Cod. de Naviculariis Lib. XI. iuncto tit. 10. l. b. VII. Regiæ Compil. breves & dilucidæ Enarrationes. Enarrat privilegia & immunitates naviculariorum, & poenas eorum, qui in leges vectigalium committerent.
19. 4. Eiusd. ad tit. Dig. de Institoria actione Commentarius adversarius, multo diu elaboratus, nondum digestus. In quo cum, quis institor sit, quomodo is amittat munus, explicatur, tum quæstiones, ad eum locum iuris civilis pertinentes, solvuntur.
5. Eiusd. ad L. 1. §. ult. D. depositi Academica commentatio. Cuius vel ipsa inscriptio rationem arguit. Ceterum vero A. in eo elaborat, ut doceat, in l. c. pro *commodatam* legendum esse *commendatam*: quæ emendatio iam dudum multis interpretibus placuit. Neque vero rara est utriusque vocabuli, in scriptis libris, facta a librariis permutatio.
39. 6. Eiusd. Tractatus de SCtis & Constitutionibus circa moram, in fideicommissaria libertate, factis. Inprimis L. 26, §. 7. L. 28. §. 4. L. 51. §. 4. L. 52. 53. D. de fideic. libert. & L. 17. C. eod. ita explicantur, ut primo verba SCti *Rubriani* deinceps enarrentur, deinde SCtum *Dafurnianum* & *Juncianum* exponatur. Sed superavit hunc libellum diligentia *Io. Aug. Bachii* V. C. Collegæ nostri, in *Divo Traiano* p. 90. seqq.
43. 7. Ad tit. D. de servitut. Commentarius publice recitatus. In priori quidem parte, divisione ac discrimine servitutum expolitis, multisque interpretum vulgariis erroribus confutatis, definitionem ac naturam servitutis explicat: in quibus omni-
bus

bus diligentia eius præstat: non possumus tamen ei concedere, neque in hoc, quod *operas servorum* in numero personarum servitutum esse non existimat; neque in eo, quod nulla servitus esse possit, quæ neque in personæ, neque in prædii alicuius, utilitatem comparata sit. Nam hoc quidem ipsorum veterum Romanorum Ictorum disputatio redarguit, qui tandem concesserunt, etiam servitutem constitui posse, ad amoenitatem prædii, sive ad oblectationem domini. Vid. *Noodtii* Prob. 1, 7, 8. Parte autem altera, Auctor, nonnulla huius tituli capita interpretatur v. c. L. 2. 3. 6. 8. §. ult. L. 11. 12. 14. §. 1. L. 17. simulque sinceram, ab omni, a multis sæpe tentata, emendatione, & integram præstat L. 15. §. ult. etsi eius rationem non admodum probemus, quibus magis placeat interpretatio *Scusi*, Strict. Pand. ad h. l. Denique Auctor convincit atque explodit eam interpretum vulgariam rationem, cum servitutes in *continuas, quasi continuas, & discontinuas*, inepte partiuntur: agit de ulucapione servitutum, per *Legem Scriboniam* vetita, atque L. 5. C. fin. regund. interpretari studet.

8. Eiusd. ad nobilissimam *Legem Frater a Fratve* 38. D. Pag. 70. de condict. indeh. breves & dilucidæ Recitationes. In quibus quæ tradita est difficilis ac vexatissimi illius capituli interpretatio, tam acuta est, ut breviter delibato facile a legentibus devorari possit. Quare præstat, cupidos ad ipsas Recitationes ablegare.

9. Eiusd. ad tit. de acquir. vel amitt. poss. Recitationes 79. Novantiquæ, quibus adiecta est Appendix Recitationum ad tit. Dig. de acquir. vel amitt. poss. sive ad insignitum §. nihil commune L. naturaliter 12. de acquir. vel amitt. poss. de Concurfu iudicii petitorii, & possessorii, de Interdictis, remediisque possessorii, Methodica Tractatio. Uterque liber versatur, uti inscriptio vel ipsa declarat, in explicando enucleate loco iuris civilis eo, qui est de possessione, & Interdictis; in quo sane interpretis idonei diligentia, atque acumen, habet, quo se iactare, atque venditare intelligentibus possit.

10. Eiusd. ad tit. Dig. de Re Judic. & de effectu sententiarum & interlocutionibus Curæ secundæ, recitatæ a. 1638. Primum 116.

num inscriptionem tituli Dig. & L. 1. deinde L. 56. end. aliaque eiusdem tituli capita, diligenter enarrat. Subiungitur Appendix partis secundae Recitationum ad tit. Dig. de re iud. siue de privilegio eorum, qui non damnantur ultra, quam facere possunt, Commentarius.

Fig. 146.

11. Eiusd. Recitationes Academicæ ad tit. Dig. de Verb. Obligationibus. Quæ locum iuris civilis obscurum, atque difficilem, multo acuminis patefecit Auctor.

104.

12. Eiusd. de venditione liberi hominis ad Paulum in difficili lege, Si usum fructum 23. Dig. de liberali causa, selectus & brevis Commentarius. Ad illud difficile capit Pauli explicandum, hoc recte statuit Auctor, iam temporibus Q. Mucii Sævolæ Romæ cautum fuisse, ut liber homo, se pretii participandi causa vendideri passus inficitari, in servitutem addiceretur: quæ constitutionem Sæcio Claudiano aliquo factam primum, vulgo, sed perperam putant; quæquam, aliquo Sæcio Claudiano relata ac reductam, non improbabile est, propterea, quod Paulus in Commentario ad Sæcium Claudianum in L. 3. D. de his qui fin. man. ad lib. de ea constitutione disputavit. Atque id eo fit verosimilius, quod Auctor non observavit, quod in hoc quidem iure explicando Sæcium mentio fit a Iuris. Ceterum v. *Bachii nostri Histor. Jurispr. Rom. II, 2, 2, 14.*

106.

13. Eiusd. Praelectio ad L. 25. Dig. de Actione rerum amotæ. Brevis est, sed diligenter scripta, huius loci enarratio.

112.

14. Eiusd. Commentarius ad Sævolam in L. Gallus 29. D. de lib. & post. her. inst. Duae partes habet: in quarum priore primum, præparationis insiar, breviter principia huius tituli exponuntur: male tamen *posthumi* vocabulum, contra Cuiacium, putat compositum ex *post.* & *humi*, cum sit nihil aliud quam *postumus*, siue qui post nascitur, & sine adspiratione scribendum. Tum agitur de institutione & exheredatione postumorum ante formulam C. Aquillii Galli: ante quam, iam e lege XII, postumum suum institui potuisse statuit, aliam autem non item. Deinde formulam Aquillii dili-

diligenter explicat. In altera autem parte exponuntur studiose § 29. & §. ideam credend. & §. quid si tantum eiusdem Legis Gallus.

15. Eiusd. ad Ulpianum in Lege, Si totam §3. D. de acquir. vel amitt. hered. Commentarius. Versatur in explicando loco de fideicommissis tacitis, in fraudem Legum factis, illustrandaque Lege laudata. Pag. 255.

16. Eiusd. ad titulos Dig. de legatis & fideicommissis Primo, Secundo, & Tertio, Praelectiones. In quarum priorum parte elementa iuris civilis, de origine, definitione, differentia, exaequatione Legatorum & fideicommissorum, traduntur: in altera autem, in nobilissimam L. 89. D. de legat. III. de iure aderecendi in legatis & hereditatibus, etiam tractatur. Obiter verba: *quod iure antiquo capit*, in L. 29. §. ult. D. de legat. II. eleganter enarrantur, reiecta omni emendationis licentia. Ceterum recte docet, cum Cuiacio, A. Fabio, aliisque ductis JCtis, contra vulgarem opinionem, inter verbis tantum coniunctos non esse ius aderecendi. 271.

17. Eiusd. ad tit. D. g. de vulgari & pupillari substitutione Praelectiones. Primum de nomine, notatione, definitione, ac formis substitutionum: deinde de origine & causis substitutionum receptarum, deque mutuis sive brevilocuis substitutionibus, exponitur. Denique disputatiuncula, ad L. 6. D. h. t. & altera, de fictione Legis Corneliz, ad L. 26. §. h. t. sequuntur, accurate scriptae. 321.

Atque haec quidem sunt Fr. Ramos Academicæ Exercitationes, antea nondum editæ: quas excipiunt *Josephi Fernandez de Retes* Tractatus Academici, antea nondum vulgati.

1. Repetita Praelectio ad tit. Dig. de Verborum Obligationibus, in duas partes divisa, quarum singulae in suos tractatus descriptæ sunt. 372.

2. Eiusd. ad tit. Dig. de acquir. vel amitt. hered. Praelectio Academica: quam sequitur Appendix, sive de thesauris, & possessione eorum acquirenda vel amittenda, Scholastica dissertatio, ad explicationem textus in L. 3. §. 3. L. 44. pr. D. de acquir. vel amitt. hered. 453.

- Pag. 454. 3. Eiusd. de Interdictis & Remediis possessoriis Scholastica Relectio. In qua Auctor fere singula interdicta diligenter exponit.
540. 4. Eiusd. ad tit. Dig. de Re Judic. Novi Tractatus Academici: quorum prior de fructibus agit, alter autem brevis est disputatio in L. 42. D. de re iud.
569. 5. Eiusd. subseciva selectio ad Legem, Ut heredibus 50. D. de legat. II. In qua docetur, etiam in legatis & fideicommissis substitutionem fieri posse.
576. 6. Eiusd. ad Legem, Inter stipulantem 83. Dig. de Verborum Obl. Novantiqua Praelectio. Primum traditur de stipulatione facti alieni; deinde sequitur Repetita Praelectio ad §. Sacram Legis inter stipulantem 83. D. de V. O.
600. 7. Eiusd. de dividuis & individuis obligationibus, Commentatio Repetita praelectionis Academicae.
625. 8. Eiusd. de Fideicommissis perpetuo familiae relictis, ad titulos de legatis II. & III. Academica Praelectio. Ostenditur primum origo talium fideicommissorum, doceturque, cui in iis succedatur. Origo autem ducitur ab Imppp. Severo & Antonino. Tum traditur, quae debita successor in tali fideicommissio teneatur solvere. Postremo autem de Majoratibus, quos vocant, agitur. In quo desinunt Retesii Academicae Exercitationes.
643. Eos autem sequitur: *Dottoris Niets* Tractatus Academicus de Pralegatis, nunc primum editus: cuius potestatem Meermano fecit Maiansius V. C. Auctor, quamquam fuit Antecessor Salmauticensis, tamen in ceteris tam obscurus est, ut ne nomen quidem constet. Ceterum hic Tractatus non est contemnendus.
669. Proximum locum occupat *Gerardi Meerman*, Specimen Animadversionum Criticarum in Caii Icti Institutiones, secundis curis auctius: Accedit eorundem Caii Institutionum Summarium, a Petro Aegidio, Antverpiensi, primum publici iuris factum a. 1517. nunc vero iterum, & emendatius quidem, in lucem editum. Id specimen, adiectumque Summarium, ex editione Parisiensi a. 1748. expressum est, cedente Cel. Auctore

Stare precibus amicorum, qui illud, deficiente exemplorum copia, hic repeti flagitassent. Cum vero ex superioribus editionibus ratio eius specimenis satis cognita sit, non attinet hic quidquam de eo dicere.

Sequuntur *Julii Pauli Sententiarum Receptarum* ad filium Pag. 687.
libri quinque, cum Notis Cl. V. Petri Fabri JCI, in Senatu Tolosano Praesidia, nondum antea editis, eiusdemque observationibus, pariter anecdotis, in Notas Jac. Cuiacii ad eandem Pauli sententias. Has Notas observationesque P. Fabri, cum Cel. Editore communicavit Josephus Finellresius, Cel. JCIus Hispanus, descriptas ex exemplo Operum Cuiacii Juridicorum, P. Fabri animadversionibus passim adspersis referto: quo & ipse Fabrotus usus est ad edenda Opera Cuiaciana; quod exemplum denique pervenit ad Mich. Gonfer, Professore Cervariensem doctissimum, cuius librum nondum editum, *de iure asytorum*, dignissimum qui edatur, se possidere scribit Cl. Meermannus. Ceterum, his animadversionibus Fabri, Meermannus ipse quasdam suas observationes, adscriptas olim suo Jurisprudentiae Anteiust. exemplo, addidit. Ipsum textum Pauli ad editionem Schulting. exprimi curavit. Quamquam vero omnia, quae ab ingenio P. Fabri profecta sunt, eruditionis laude dignissima sunt, quod & de his observationibus confitendum est: tamen existimamus, satius futurum fuisse, si Pauli sententiae, cum illis animadversionibus, huic Thesouro i latz non essent: non quod non & ipsi communicatas illas nobiscum gauderemus, sed quod aut separatim edendae, aut reservandae videbantur novae editioni jurisprudentiae Anteiustinae, quam fieri ab aliquo docto JCIo, valde optabile est. Certe, ne emtoribus pretium intenderetur, non erat textus Pauli una exprimendus.

His continuantur *Tituli ex Corpore Ulpiani XXIX*, emendatius, quam antea editi, cum notis Cl. V. Petri Fabri, eiusdemque observationibus in notas Cuiacii in eodem Ulpiani titulos, item animadversionibus nonnullis Ger. Meermann, JCI. Has Notas iam Ios. Finellresius, Jurisprudentiae Anteiustinae, a se editae, a. 1744. 12. ex eodem Cuiacianorum
Ope-

Operum exempla, insertos, in lucem edidit. Sed cum rarissima esset ista Hispanica jurispr. Autei, editio, non inutile fore putavit V. C. Meermannus, eas hic cum Ulpiani titulis repetere, cum praesertim & longiores, & eruditione pleniores, illis in Pauli sententiis Notis, essent. Addidit & hic nonnullas suas observationes Meermannus, XII. annis ante scriptas, cum consilium cepisset, edere Commentarium in titulos Ulpiani, in quibus multa superesse vidisset, ab Intt. aut plane non, aut non satis recte, exposita. In his Meermannianis observationibus nonnullae sunt, vel imprimis memorabiles: tanquam ea, quam ad Ulp. §. i. proœ n. de Legibus & moribus dedit, de capite Legis Cinciae, de modo donationum. Docet nempe, hoc Legis Cinciae, *de modo donationum*, caput, uni Cuiacii ingenio deberi, qui lacunam in loco laudato, de coniectura, in editione Lugd. a. 1566. sic supplevit: *Imperfecta lex est veluti Cincia, quae supra certum modum donari prohibet, exceptis quibusdam cognatis, & si plus donatum sit, non rescindit.* Quam editionem, veluti e libro scripto expressam, sequentes Editores omnes repetierunt. In antiquioribus autem Edd. verba longe aliter reperiuntur; ne verba quidem Legis Cinciae mentione facta. Itaque Meermannus eum locum, secundum libros antiquiores editos, & scriptos, sic exprimi curavit: *Quod legatum est: quae lex perfecta est * * ** *Quid prohibet, exceptis quibusdam cognatis, mortis causa plus donare, & si plus donatum sit non rescindit.* Porro observat, optimam emendationem loci depravati duci posse ex fragmento Dosithei Graeco, quod ex Ulpiani libro Regularum, sive defunctorum, sive conversum esse constat. Ipsi vero coniectura haec est, primo verba haec fuisse posita: *Lex est aut perfecta, aut imperfecta, aut minus quam perfecta:* quod ipsum quoque Cuiacius suspicatus fuerat: deinde hunc sese in modum scripsisse Ulpianum: *Lex enim Iulia & Papia, (nam huius legis fragmentum Dosithei mentionem facit.) viro & uxori, exceptis quibusdam personis, (vel cognatis, vel casibus.) prohibet matrimonii nomine inter se plus decima capere, & si plus relictum sit, rescindit, quod datum legatum est: quae lex perfecta est.*

Imper-

Imperfecta lex est, que prohibet exceptis quibusdam personis (vel cognatis) mortis causa plus donare, & si plus donatum sit, non rescindit. Namque existimat, Ulpianum respexisse ad SCum in L. 35. pr. D. de mort. caus. donat. ad Legem Iuliam & Papiam factum. Certe ex his perfectum est, alterum caput Legis Cincix, de modo donationum, cum in nullo alio iusto & idoneo loco, sed in ea una Cuiacii coniectura, omnibus libris scriptis inuitis facta, nitatur, admodum dubia, siue potius nullius fidei & auctoritatis esse. Quam viri Cel. observationem, sane elegantissimam, grati agnoscere debent Interpretes Legum Romanarum.

Eiusdem elegantix est alia V. C. observatio, *de conventione in manum* ad tit. IX. De cetero textum Ulpiani, quamquam ad Schultingii exemplum exprimi curavit, tamen cum emendavit in multis secundum Auredoni Codicem expressum in ed. Charondæ Paris. 1578. quam editionem Schultingius, cum iam perfecto ab operis libro, demum nactus esset, nullo modo sequi potuerat.

Secundum has Notas positum est *Gabrielis Catiani*, de eo quod interest, Syntagma, editum primum Lugduni a. 1542. 4. apud Gryphium. Is JCtus, Brixix natus, Alciato magistro in iurisprud. profecit: ceterum & litteris humanioribus, & Græcæ linguæ scientiâ, egregie instructus. Quibus rebus eo pervenit, ut multos Glossatorum, quos vocant, errores confutare in hoc syntagmate potuerit, multasque novas interpretationes legum hoc caput spectantium adferre: quamquam veterem eius, quod interest, falsamque divisionem, Doctorum erroribus debitam, & primum a Gabriele Gass, (Tom. VI. huius Thesauri) reiectam, adhuc defendit. Pag. 775.

Huic succedit *M. Tatii Alpini* ad Wolfgangum Hungarum Epistola, in qua, furtum per lancem & licium conceptum quid sit, aliter quam hæcenus explicatur. Accedit *Tatii Amerbachii* ad Andr. Alciatum Epistola, de furto per lancem & licium concepto. Alpini quidem epistola prodiit Basileæ a. 1545. 4. Amerbachii autem demum a. 1549. ibidem. Illa adiecta a Jo. de Water editioni Institutionum, satisque adeo & 799.

nota, & in promptu est: neque igitur opus erat eam hic repetere, nisi Epistolam Amerbachii, in qua illa confutatur, huc inferendam iudicaret Cl. Editor. Ceterum absurda illa Alpini de furto per lanceam & licium concepto opinio, hodie non facile quinquam fugit, a Jo. de Water Obl. II, 1. & Wielingio Diatr. de furto per lanceam & licium concepto cap. 2. §. 2. refutato.

- Pag. 812. Proximus est D. *Gulielmi Barclaii*. Jcti, ad Legem imperium Dig. de Jurisd. Commentarius: cui adiunguntur *Io. Matth. Magni*, Jcti, ad sex eiusdem libri priores titulos, Praelectiones: olim iam una cum illo, eodem volumine, editi Andegavi 1604. 8. Ceterum nulla, nisi raritatis & brevitatis, dos utrumque librum commendare potest.
835. Exequirunt *Francoisi de Hauteferre a Salutatione* Exercitationes ad tit. Decretal. de etate, qualitate, & ordine proficiendorum, Paris. 1635. 4. editae. In quibus, fatendum est, capitula eius tituli, egregia eruditione explicari, ita quidem ut Jac. la Lande Exercitationes, in eundem tit. (Tom. IV. huius Th. G.) longe multumque superentur.
842. Clausulam huic Tomo, adeoque toti Thesouro, imponit *Osii Azeviti* Pactum renuntiationis, sive Dissertatio de pacto dotalibus instrumentis adiecto, ne puella, quam pater aut avus elocat, patri vel cognato succedat: quae prodit Aureliae A. 1644. 4. Satis diligenter & docte argumentum propositum persecutus est Auctor, tum e iuris civilis & canonici, tum e Gallici iuris praecipis.
- Animus fuit Cel. Editori, ut ex Conspectu constaret, alios libros huic Thesouro inferre: sed mutavit consilium, ut fit. Nam alii indigni erant: alii autem, veluti *Nic. Fernandez de Castro* Exercitationes Salmant. & *Is. Finestresii* Commentarii in Hermogeniani libros Epitomarum, nimis grandes, ut, quamvis dignissimi, inferri non possent. Spem tamen ostendit, fore, ut quod optabile est, *Finestresii* Commentarii separatim operis tradantur.
- Ceterum hic Tomus in omnibus rebus simillimus reliquis est. Praefationi tamen, quaedam supplementa ad praefationes reliquorum Tomorum subiecta sunt.

*DIPLDMATARIUM GARSTENSE, EMENDATUM,
auctum, illustratum, ex Colledaneis manuscriptis R. P.
SIGISMUNDI PUSCH, Soc. Iesu, & ex aliis monu-
mentis, opera R. P. ERASMI FROELICH,
S. I. S.*

Viennæ Austriæ, 1754. typis Jo. Thomæ Trattner, Czf. reg.
aulæ typographi & Bibliopolæ, plag. 12.
in 4.

Est in Austria superiore, in vicinia Styriæ urbis, florentissi-
mum Benedicte familiæ monasterium, *Garsten, Garste-
na, Steyer-Garsten*, dictum. Eius Ecclesiam, B. M. V. sa-
cram, ab Altmanno, Pataviensium Episcopo, permutatione
facta, cum omni iure redemit Ottokarus III. Styriæ Marchio,
apud Laureacum, a. 1082. utque adeo in errore sint, quotquot
fundatum ante ea tempora, a Marchionibus Styriæ, cogno-
bium Garstense, existimant. Ottokarus IV. prioris filius,
Clericis Canonicis Benedictinis eo loco, forte a. 1107, substi-
tuit, qui Abbatem sibi Bertholdum a. 1111. præfecerunt. Illius
igitur Garstensis Monasterii Diplomatarium, quod vocant,
primus, ex libro traditionum Monasterii Garstensis, edidit *Jo.
Petrus a Ludewig*, Fridericianæ nuper Cancellarius, Reli-
quiar. MSSor. omnis ævi Diplomatum, ac monumentorum
ineditorum, Tomo IV. Hunc virum eruditissimum, cuius
fama nunquam intermoritura est, cumulare laudibus oportebat
propterea, quod provide cavisset, ne, quæ in libro tradi-
tionum Monasterii Garstensis, iuvandæ Historiæ Germanicæ,
repererat, perirent. Quid autem R. P. *Froelichius*? Vir lit-
teratus, inquit, I. P. a Ludewig, — — perillustrem Virum,
eruditissimumque dicere debebat, gratiam mereri, quod protra-
xisset in lucem, e monasterii tenebris, præci ævi monumenta.
»At parum venusta est, *pergit noster*, Diplomatarii illius (Lu-
»dewigiani) facies, nam si unum alterumve Diploma demas,
»reliqua fere sunt misere mutilata, atque deartuata, in com-
»pluribus annis non est adnotatus; multis in margine adferi-
»ptus habetur annus, qui chartis illis minime congruit.“ Me-
minis-

minisse debebat venerabilis Froelichius, ipsum Ludewigium, præfationis pag. 17. dicere, qua fide, quæ in margine habentur, essent adscripta, se nolle definire; *dare uti accepisset*, quod ipse, pro se, Froelichius p. 23. huius libri dixit: poterat adeoque superfedere indirecta illa *ἀνιστορίας* Ludewigianæ mordaci exprobratione. Testatam orbi erudito, suam, in rebus, quæ ad historiam reinque diplomaticam pertinent, *ἀκριβειαν* reliquit, in ipsis MStorum reliquiis, Ludewigius, *ἰ μακαρίτης*, adeo æstimabilem, ut non credamus, hæc a Froelichio dicta suspiciosius, bonæ eius memoriz fraudi unquam futura. Illud autem egregie a Viro summo factum est, quod emendavit numeros annorum, verosque, aut veris propiores, vitiosis substituit, p. 9 - 17. Jam unde defunta sint diplomata Garstensa, quæ hoc libro exhibentur, Froelichius exponit. Debentur vero industriz R. P. *Sigismundi Pusch*, Jesuitæ, in Græcensi Academia quondam Cancellarii, cuius doctæ industriz, Chronologiam Sacram Ducatus Styriæ, in Partes duas tributam, acceptam refert literatus orbis. Ille igitur Puschius, ingentem MStorum thesaurum, præcipue Diplomatum, accurate descriptorum, quæ ad Styriæ notitiam quoquo modo facerent, Collegio Jesuitarum Græcensi reliquit; a quo ille ad Froelichium, Theresianum Professore longè celeberrimum, pervenit, qui iam, edendo Garstensi diplomatario, eius thesauri particula, de Styriæ, vicinarumque regionum historia egregie meretur. *Diplomata XIX.* sunt, quæ hoc libro ad verbum descripta, observationibus illustrata, sistuntur. Nos, singulorum titulos adscribemus, quemadmodum ab Editore prelati sunt. Est igitur *I.) anni 1082.* Altmanni Patavienfis cum Ottacharo, Marchione Styrensi, concambium pro Ecclesia Garstina: Laureaci. Pertinet hoc imprimis ad cœnobii Clericorum Garstensis origines, quæ in hunc annum incidunt, extra omne dubium ponendas. *II.) Intra annum 1092. 15 annum 1112.* Udalricus, Patavienfis Episcopus, confirmat concambium Altmanni decessoris cum Marchione Ottocaro. *III.) Anni 1112.* Ottaker Marchio *IV.* firmat Cœnobium Garstensiuum, ab se Benedictinis institutum, & auget. Non est hoc iust-

insigne documentum in diplomatario Garstensi Ludewigii. Observat Editor doctissimus, Ottocarum hunc *IV.* ab a. 1088. circiter, ad annum 1122. Styriæ præfuisse, atque adeo sub Henricis Cæsaribus, quarto & quinto, floruisse. *IV.) anni 1123.* Leopoldus Marchio Styr. Garstensis firmat data a Patre Ottokaro, & nova donat. Styræ, prid. Kal. Martii Indict. XV. Ex hoc diplomate annus emortualis, diesque, Ottocari *IV.* dies nimirum 28. Novembris, 1122. evincuntur. Illud peculiare est, edicere Leopoldum, *ut de qualibet fera, quæ* (in forestis suis,) *caperetur, semper dexter armus,* (Garstensis monachis,) *pro sui iuris portione assignetur.* Eius lepidi iuris loco, nunc quidem 2. cervos mares, & 4 femellas, in singulis annos Garstenses accipere, Frœlichius adnotavit. *V.) infra 1122. & 1123.* Donatio Leopoldi S. Marchionis Austriae, vicæ in Herzogenburch, rogatu Leopoldi Marchionis de Styre. Fragmentum est, ex Codice donationum. *VI.) anni 1142.* Conradus Rex donat manfos quadragenos Garstensis. Datum Ratisbonæ. In subscriptione testium, adnotante Frœlichio, notatu dignum est, Peregrinum, Patriarcham Aquileiensem, postponi Henrico Ratisbonensi, quod in huius Diocæsi, ac sede Episcopali Ratisbonæ, hæc res transacta est: Otto Frisingensis autem Patriarchæ præponitur, quod Otto ex Austriacorum principum stirpe esset. *VII.) anni 1145.* Donatio Dieterici Enekl. Acta Styræ. Ex codice Donationum. *VIII.) Forte anni 1156, sed certe intra 1129. & 1164.* Ottocari *V.* de iure Advocati Garstensis. In hoc diplomate Ottoc. *V.* Liupoldum Marchionem Parentem suum vocat, contra quam est in fragmento Ludewigiano: proavus meus marchio Liupoldus, &c. *IX.) Intra 1153. & 1164.* confirmat Garstensis: sine loco & anno. *X.) anni 1163.* Ottocar. *V.* teste filio Leopoldo, confirmat Garstensis donata a Patre suo Leopoldo, & a maioribus suis Ottockaris. Datum in castro Styre. Ad hoc diploma sequentia adscripsit Frœlichius: „Sufficit nobis ad „continuationem Genealogiæ Marchionum Styriæ; nempe, „isthic Ottakarus *V.* Leopoldi filius, Ottakari *IV.* nepos diferte

renuntiatur: porro huic filius tribuitur Leopoldus; alter enim Ottockari V. filius, ex Chunegunda Vohemburgenfi, natus demum est hoc eodem anno 1163. XIV. Kal. Sept. seu Augusti die 19. si credamus Chronico Admontensi. XI.) *anni 1171* Henricus Dux Austriæ, S. Leopoldi filius, Leopoldi pulchri nepos, firmat donata Garstensisibus. XII.) *circa a. 1177.* ab Alex. III. Pont. Max. Ottocarus VI. petit confirmationem Garstensium. XIII.) *circa a. 1177.* Adelberti Salzburgensis Archiepiscopi Epistola ad Alex. III. Pont. pro confirmatione Garstensium. XIV.) *Anni 1179.* Bulla Alex. III. confirmantis monasterium Garstense. XV.) *Anni 1181. vel 1182.* Ottocarus, Dux Styriæ, fundat missas in Garsten, pro suo itinere in Jerusalem, etc. Hic est ille Ottocarus VI. e Marchione, primus Styriæ Dux, anno 1180, vel præcedente, renuntiatus; quod notamus contra ea, quæ in Germania Principe, Ill. Ludewigius, L. I. c. 2. p. n. 73. (edit. Ulmenfis 1752.) scribit, Ottocarum V. a. 1160, fuisse ab Imperatore Ducem creatum. Eodem hoc Ottocaro VI. 1192. mortuo, Leopoldus VI. virtuosus, heres dictus, Ducatum Styriæ genti suæ Babenbergico-Austriacæ intulit. De quo vide Hofmanni Stemma Babenbergico-Austriacum, Witteb. 1740. 4. XVI.) *Anni 1181. vel 1182.* Leopoldus, Dux Austriæ, a telonio Garstenses eximit. XVII.) *Anni 1192.* Leopoldus, Dux Austriæ & Styriæ, Garstensisibus firmat vetera, & nova donat, Datum Græc. Cum in hoc diplomate mentio fiat Salinarum in Ischel & Aussee, eæque non tamquam recens institutæ memorentur: Frælichius V. Cl. hoc loco, de antiquitate Salinarum Austriæ ac Styriæ, multa disputat, imprimis contra Fuggerum, de Roo, & Sebast. Insprugger, cuius prostat Austria mappis Geographicis distincta; quæ nos non describimus. Hoc unum addere iuvat, ex Ottokaro Hornek, scriptore synchrono, atque ex Diplomatis, adfirmare Nostrum, iam ante a. 1132. apertas in Ischel & Aussee Salinas fuisse. XVIII.) Leopoldus, Austriæ & Styriæ Dux, confirmat chartam anni 1163. Ottockari V. Garstensem. Datum apud Welfam 1204. (corrige 1216.) Est inter testes, Ulricus, venerabilis Episcopus Pataviensis: quod est

est contra rationem temporum. Ulricus enim sedit ab a. 1215. Aut igitur loco, *Ulricus*, legendum, *Wolfgerus*, si annus recte scriptus sit: aut charta ad a. 1216. remittenda est. XIX.) Litteræ confederationis inter Monasterium Garstense & Emmeramense, anni 1296. Diploma hoc iam est in Thesauro Anecdotorum Bernh. Pezii, Tom. VI. seu in Codice Diplomatico P. II. pag. 129. editum: nihilominus ab Editore, isthæ, auctarii loco, annectitur, ut Garstensium Diplomatum, hac facta accessiuncula, aliquem veluti Codicem diplomaticum Lector acciperet.

Hæc sunt summa capita Libri, ad historiam atque genealogiam Austriæ Styriæque apprime utilis; & cui præter eam commendationem, etiam altera ab Auctore *Fralichio*, Viro Eruditissimo, accedit: cuius doctrinam, & præclara in meliores litteras merita, ut decet, suspicimus. Si ex laudato MSSorum, Diplomatum imprimis, Thesauro Puschiano, qui est in eius manibus, plura aliquando iuris publici fecerit V. Cl. quod ut faciat propediem, vehementer optamus; habebit sibi obstrictos, novo beneficio, quotquot Historiæ amantes atque intelligentes sunt, obligatosque.

DEL REGNO DE' LONGOBARDI IN ITALIA, MEMORIE storico-critico-chronologiche.

i. e.

COMMENTARII HISTORICI ÆQUE AC CRITICI
& chronologici, de Regno Longobardorum in Italia,
Auctore D. BERNARDINO
ZANETTI.

Venetis, sumtibus Laurentii Basseggii, cum licentia Superiorum & privilegio, 1751. 4.

Alphab. 4. plag. 8½

Paulo Francisco Iustiniani, Episcopo Trevigiano, opus consecravit Auctor, Antifuti suo. Hieronymus circa annum
395.

395. ad Heliodorum scripsit epistolam, qua deplorat incommoda, a barbaris septentrionalibus imperio Romano a Constantinopoli ad Alpes Julias illata. Longobardorum tamen haud meminit, tunc nondum in Pannoniam sese infundentium. Alaricus Visigothos, incunte seculo, ad Italiam duxit. Radagaisus, eius imperator, anno 404. inundavit superiorem Italiam, immo ipsam Hetruriam. Alaricus a. 408. exercitum innumerabilem, Alpibus superatis, in Italiam effudit. Stilico, Praef. Honorii praefectus militum, Ravennae inclusus, pacto ignominioso suis redemit libertatem. Innocentius k tunc Romae erat Episcopus, quam urbem expugnavit ac diripuit Alaricus, tendens inde Rhegium in Calabria, invasurus Siciliam & Africam. Immortuus est ceptis a. 410. Ataulfus, cognatus, ei successit, exercitumque in inferiorem Galliam duxit. Attila post-haec Italiam infestavit. Leo Magnus movit Attilam, ut ferociam mitigaret, adveniens ad Barbarum circa Mincii locum, qui nunc *Peschiera* adpellatur, teste Jornande, quo natus Scipio Maffei contra sententiam secus Muratorium. Genfericus, Rex Vandalorum, ex Africa in Italiam paullo post transiit, anno circiter 429. mense Maio. De anno dissentiunt alii. Auctor sententias singulorum expendit. Odoacer, rex Herulorum, a. 476. exstinxit imperium in Italia Romanum, natione Rugius, Roma exusta. Ipse sedem Regiam delegit Ravennae, titulo Patricii Romani insignitus, nec religioni Christianae gravis. Quietus usus est regno ad a. 489. quo Theodericus, Rex Ostrogothorum, cepit Italia potiri, eo praefus tempore, quo bellum inter Odoacrum & Favam, Regem Rugiorum, qui tunc ad Danubium confederant, exarserat. Odoacer obviam progressus est Theoderico ad flumen usque *Lisontium*, Cassiodoro memoratum, quod postea influit in Natisonem in Venetorum agro. Adpellant fluvium illum hodieque, vicini, *Lisonzo*. Cluverius ac Cellarius in mari se exonerare, nec in alium influere, existimaverunt, sed perperam. Praelio uno atque altero Odoacer fuit inferior. Victus, tandem profugit, Athesi multos profugorum hauriente. Odoacer, Roma exclusus, Ravennam, festi-

festinavit, munimento suam propugnaturus fortunam. Obsidione pressus, conditiones pacis inuit a. 493. 25. Febr. Urbem Theodoricus ingressus est solemniter ad 5. Martii diem. Hic Odhacrum, in fidem susceptum, perfide ac crudeliter interfecit, Boethio inestus, Romanorumque miseriam verbis, non re ipsa, mulcens. Nonnihil eruditionis ac artium liberalium culturam, in Italia ad Carolum Magnum usque perstatisse, haud videretur credibile, nisi Auctor dubitantibus materiam omnem praefidisset. Excitavit & accendit literas Carolus Magnus. Obscuravit eas paullo post ignorantiae & negligentiae lues, quae homines de ecclesia occupaverat neque ac alios, Decrescentis iam Seculo IV. latinitatis, intra Italiam resstant monumenta. Tria cum lectore communicavit Auctor. Nata fuit e commixtione latinorum ac exterorum vocabulorum lingua nova, quam Carolus Magnus vocavit *rufficam romanam*. Argumentum hoc Peripicue ac fufe edifferuisse Auctorem, nobis haud est dissimulandum. Eminuerunt pauci inter incultos litterati. Turcius Rufius Apronianus Asterius a. 494. emendavit codicem Virgilii, qui est in bibliotheca Medicea. Magnus Aurelius Cassiodorus Senator, & Boethius, Paulus Warnefridi, paucique alii, quorum nomina vix solent appellari, errarunt in gurgite vasto. Hæc ad Praefationem. Excipiunt eam Libri sex, gesta Longobardorum complectentes. Series Regum Longobardicorum tractationi praemittitur, ex Paulo Diacono decerpta. Vifa iamdudum eruditis fuerunt primæ Longobardorum res gestæ, quas Paulus ille recensuit, commentitia merce passim scætere. Langobardorum patriam primam fuisse Scandinaviam, regionem ultimæ Tules, a Romanis Germaniæ adnumeratam, Cel. Zanettius significat. Hugonem Grotium laudat, qui vocabulum Scandinavia interpretatus fuit per *castellorum*, id est, silvarum terram. Langobardos, Albi & Cheruscis confines, Tacitus alii-que indicarunt. Ex *longis barbis* nomen nactos fuisse, Auctor, cum Paulo Diacono & Ottone Frisingensi, sibi persuadet. Ipsi in diplomatibus sese adpellarunt *Langobardos*, non Longebardos. Posterius tamen vocabulum Seculo iam XII. fuit

Pag. 30

43.

46.

56.

Lib. I.

pag. 1.

8.

- fuit trinum. Langobardos fuisse e Gethis ortos, credidit Antonius Pagi, quos multi alii secuti sunt. Paulus Warnefridus, deducit Langobardos e Scandinis in Scoringiam regionem. Joannes Georgius Riccardus, in Opere de *Origine Germanorum* L. II. cap. 48. pag. 334. Scandinaviam sibi persuadet fuisse insulam Gothorum, seu Jutlandiam; Scoringiam in litore Chersonesi Casbriæ dextro, pertinere a sinu Lymico ad Chalokam seu Traxam, quæ sit Lib. I. cap. 19. p. 195. A Traxa Moringiam incipere, ac in orientem decurrere, idem existimavit. Eandem opinionem tenuit Noster. Langobardi cum Vandalis pugnare coacti, & versus Vistolam properasse, doctores Vandalorum *Ambi* & *Ast* videri, 17. Tancos per Moravam penetrarunt in Pannoniam, ac haud procul a Gepidis confederunt. Dicuntur a Paulo Warnefrido Langobardi obtinuisse, ex liberalitate Imperatoris Justiniani, urbem Noricum, Pannoniæ munitiones, aliisque loca, nec non pecuniæ plurimum. Verosimilis est Nestor sententia. Gepidas hic a Langobardis fuisse victos, & ab Audoeno Rege, & a filio eius Alboino. Pleuerunt Imperatoribus hæc Langobardum, contra auctos imperii, in Italia nobilitate. Hoc a Nestore in Italiam fuisse invitatos, sunt qui negant; Auctor adfirmat. Invitaverat eos Narfes, ut secum contra Ostrogothos in Italia bellarent; his vero superatis, ipsos admodum spectabilibus donis honoratos, remisit ad limitem imperii, teste Procopio. Ad dubitari non potest, Narfem Patricium Romæ versatum fuisse, in urbe detentionis Imperatorum Græcorum, ad obitum usque, corpusque ipsius cum thesauris deportatum fuisse Constantinopolim. Græci Scriptores in illo nullam notantur peritiam. Justiniano II. imperante, Narfes tenuit sese Romæ, ut diu antea. Inde colligit Noster probabiliter, Justiniano haud tribuendum esse decretum de Narfese revocando. Obiit Justinianus, priusquam Alboinus a. 567. in Italiam irruis superiorem cum suis Langobardis, 20000. Saxonibus, Gepidis, Bulgariis, Sarmatis, Pannoniis, Sævis, Noricis, aliisque gentibus. Alboinus terras in Pannonia desertas coëgit Hiunnis atque Avaribus; tunc Moldaviæ possessoribus.

Annus

Annus irruptionis variat apud Scriptores, ad triennii differentiam. Pag 27.
 Annus 663. egi Rothari, Regis Langobardorum, confirmatur. Indoles bellicæ & irruptionis, a Nestro edisseritur locu-
 lenter. Auctores Episcopis & Monasteriis se præbuit propiti-
 tum, ne sine deesset. Græcorum virtus torpebat. Romanum
 pæsis, Italiam sines adfixit. Ticinum, Romam, & Raven-
 nam, hanc uno insula tentavit; Ticinum tandem expugnavit.
 Julanus II. inter hæc placidam coluit inertiam. Alboinus vi-
 detur necatus esse a. 672. Alii aliter rationes putant. Anthro-
 pophagorum & nationum atrocium mos erat, ex cranio occi-
 sorum bibere. Morem imitatus Alboinus, ex cranio Cu-
 nimundi, Regis Gepidarum, quem occiderat, bibit, atque ita
 uxorem suam, Colindam, Lanimundi filiam, accendit ad
 parentandum parenti, necæ mariti. Langobardi in comitiis
 Ticini a. 573. mense Augusto elegerunt Clefom Regem,
 virum severum, & Romanis gratum, ob famem se ipsi
 passim dederunt. Benedictum I. inter & Johannem III,
 Episcopos Romanos, tunc intervallum X mensium ac XXI
 dierum effluxit. Clefom, sesquianno regnans, inter-
 emit unus puerorum nobilium. Langobardorum republi-
 ca inde per XI annos stetit, sine Rege. Provincias regni Da-
 ces inter se distribuerunt, divitiis aborum inhiantes, nec tem-
 pla parcentes. Ter illi in Gallias irruerunt, spolia repor-
 taturi. Burgundionum magnam ediderunt stragem. Epi-
 scopi Gallorum, cum suis, arma arripere adversus hostes
 truculentos. Saxones paullo post Gallias invaserunt, cum
 Langobardi inde essent egressi. Gariboldus, Rex Ba-
 varix, Regis Australix excussit imperium, amplexus Lau-
 gebardorum amicitiam & societatem. Obierat Iustinus Im-
 perator a. 578. 5. Octobr. cum per aliquod tempus laborasset
 alienatione mentis. Videtur itaque nec ipse, de Narsete revo-
 cando aliquid statuisse. Tiberium, eius successorem, Thracem,
 obnixè orarunt Romani, ut adhiere subveniret Italix, Romam-
 que obsidione liberaret. At a Persis impetitus, nihil egit.
 Regnum ita crevit & radices egit, quod Langobardi
 in Italia superiore constituerant. Seculo tandem VIII querelæ
 Episcoporum Romanorum, ac potentia Pipini & Caroli Ma-
 gui,

gni, Franciæ Regum, regnum illud imminuerunt ac tandem extinxerunt. Curate, & maxima cum arte erit ex usura. Auctor hæc omnia enarravit, fontibus ita usus, & recensitibus optimorum scriptorum operibus, ut ne holum quidem eorum omiserit, quæ ad historiam Regum Longobardicæ expendendam, & dubitationum incommotis eximendam, faciunt. Perspicuus est in serbendis, acutus in sententiis dignoscendis ac discernendis, diligens in consulendis aliorum testimoniis, gravis in antiquitatibus explicandis. Inedita, cum lectoribus communicat, apud ipsam deprehendimus, siquidem Itali dudum in historia patriæ lux nihil prætermiserunt, nec posteris, quantum potuere, reliquerunt Acti publica intacta.










*L. FULTERI OPUSCULORUM TOMUS III. CONTI-
nens notam theoriam Magnetis, ab illustr. Acad. regia
Scient. Paris. præmio condecoratam A. 1744. Una cum
nonnullis aliis Dissertationibus analytico
mechanicis.*

Berolini, sumptibus A. Haude, & I. C. Speneri, Bibliopol. Reg.
& Acad. Scient. privil. 1751. 4.
Alph. 1. Tabb. xn. 5

Pergit in *Opusculis minoribus* successive in lucem emittendis Cel. Fuleri. Præsentis Tomi tertiam circiter partem occupat *notæ magnetis theoria*. Diu multumque iam inter Physicos agitata est de causa phenomenon magnetis quæstio, nemo est qui ignoret. Nequaquam autem mirum videri debet, tam dissentientes esse hæc in re summorum etiam Virorum opiniones, cum ea adeo sit abscondita, ut vix ac ne vix quidem ad plenariam eius cognitionem perveniri posse videatur. Quam amo hæc difficultatibus eo delectatus est Cel. *Muschenbroeckius*, ut conquassis & examinatis tum non studio experimentis, id tandem se evicisse iactet, causam istam prorsus non esse mechanicam, nec ulli substantiæ materiali adscribi posse. Hæc tamen id deterruit Cel. huius *Dissertationis* Auctorem, qui denuo id argumentum sibi inquitendum

dimi sumeret, existimans, non tam fontem, e quo vis magnetica derivetur, latere, cum eorum nullus fere videatur pratermissus esse, sed in ipso modo, quo, e cognita ista origine, singula magnetis phenomena dilucide deduci atque explicari queant, totum versari rei cardinem. Taxat ideo imprimis recentiores Philosophos, quod, relicta Cartesii explanatione, haud adeo a veritate aliena, in alias novas, easque multo magis inconcinnas, abierint. Ante omnia monet, e duplici fonte petendam esse omnino phenomenon magneti-
 corum causam; partim ex interna magnetis structura, partim e materia extra eum. Priorem nemo sane negaverit: de posteriori autem nimis diversas esse sententias, cum alii reciant omnem fere materiam subtilem, ad explanationem phenomenon adhibendam, quo ipso omnem fere causarum cognitionem fundans tollunt. Ad hanc tamen necessario recur-
 rendum esse, quando ea, quae in sensus incurrunt, explanationi huic non sufficiunt. Eam itaque etiam in praesenti negotio in usum vocare, nequaquam veretur. In quo ita versatur, ut primo tam structuram magnetis & ferri internam, quam & naturam materiae illius subtilis, quomodo secundum mentem ipsius comparatae sint, explicet, & saltem hypotheseos instat proponat; porro autem rationes afferat, cur ea omnino ita se habere debeant, quo ipso iam vero admodum similis efficitur illa hypotheseos; tandem autem ex eadem omnia phenomena ita ducet, ut, etiamsi haec adhuc essent incognita, tamen per solam theoriam a priori praedictae ac definiti possent. Quo facto hypotheseos illa ad summum probabilitatis gradum, qui ad plenam fere certitudinem, evehitur. Quod itaque primo internam magnetis fabricam attinet, clarum est, id, quod eum ad singularia adeo praeter omnibus aliis corporibus aptum reddit phenomena, non nisi in pororum configuratione, vi cuius materiae subtili transitus vel concedatur, vel denegetur, querendum esse; id quoque, ut ex omnibus magnetis proprietatibus, ita ex ea potissimum elucet, quae vis ipsius, ferro, per se solum e materiae communi cari potest, quo ei tamen nisi addatur, vel detrahatur. Non tamen haec pororum configuratio absolute

spectata sufficit, sed imprimis habitus eius respectu materiz
 subtilis considerandas venit. Debent nimirum hi ita esse
 constituti, ut non ubique transitum materiz huic libere con-
 cedant, sed secundum certam aliquam directionem tantum;
 quod evincit imprimis constans magnetis, sibi relicti, directio.
 Formabunt itaque meatus, sive canales, inter se parallelos.
 Sed ne materia ista secundum utranque directionem, sibi o-
 diametro oppositam, hinc inde pertransire possit; præterea
 concepit eos C. Auctor, similes ductibus in corporibus ani-
 malium, valvulis nempe instructos, ita ut materiz ingressum,
 saltem secundum unam directionem *AB* permittant, in con-
 trariam vero *BA* denegent. De ipsa harum valvularum fa-
 brica nihil certi statuere audeat; verisimillimum tamen putat,
 eas a villis, seu fibrillis tenuissimis, internam meatuum ca-
 vitatem oblidentibus, ab *A* versus *B* reclinatis, efformari. Si-
 milis canales in ferro ponit; quo itaque ambo hæc corpora,
 ab omnibus omnino reliquis satis distinguantur, quippe quæ
 materiz subtili transitum quaqua versus libere concedant. In-
 ter ipsum vero magnetem, & ferrum, hoc discrimen statuit:
 quod in illo sint meatus, ut diximus, profus regulares; in
 hoc autem, quamdiu virtute magnetica nondum est imbutum,
 sint quidem pori tales, fibrillis, valvularum vices sustinenti-
 bus, obstiti, sed nondum ita ordinati, ut meatus continuos, in
 quibus fibrillæ secundum eandem plagam sint reclinatæ, con-
 stituant. Secundo nunc loco consideranda materia subtilis,
 quæ in æthere resideat necesse est, complectendo nempe sub
 æthere universum fluidum, maxime elasticum, undique diffu-
 sum. Non autem omnem ætherem e materia homogenea
 constare putat V. C. sed e duplici, altera crassiori, subtiliori
 altera; hasque duas, etsi ratione elasticitatis seculi congruen-
 tes, atque in æquilibrio consistentes, tamen difficulter sibi in-
 vicem permiscendas. Ætherem vero optime concipi, ceu
 compositum ex infinitis vorticulis, in quibus materia subtilis
 in gyrum agatur; spatia autem anguola, inter hosce vorticu-
 los existentia, a his vorticulis longe minoribus occupata, & hos
 potissimum subtilissimam istam materiam exhibere. Jam
 ipsum



ipsum magnetem ita constructum esse statuit, ut per dictos illos canales, altera tantum subtilior materies transire queat, altera penitus exclusa; etsi præter poros istos possit habere, interstia corporum omnium, alios ampliores, crassiori etiam materię pervias. Hæc positis, ecce nunc modum, quo generatim effectum materię subtilis in magnetem inde deducit: Aetherem nempe, corpora magnetica ambientem, ob summam suam elasticitatem, in hiatus canalium istorum *A* fortissime premere; quæ pressio cum a parte opposita *B* compesci nequeat, necessario particulas ipsius subtiliores, in meatus hos ingenti vi irrumperere, eoque pacto ab aliis crassioribus secerni; tum vero ex altera extremitate *B* iterum erumpere; ibi, (quia se, per hypothesein, cum æthere ambiente subito permisceri non patiuntur,) quasi a fluido heterogeneo reflecti; motumque ea, qua minime resistitur, tandiu conservare, quoad ab æthere ambiente sensim absorbeantur. Hæc omnia altius repetens, in ipsa tellure integra considerat. Hanc nimirum, ceu ingenti magnetis & ferri copia in visceribus suis prægnantem, maxime abundare eiusmodi meatibus; unde, applicatis his, quæ modo diximus, materiam, ductus hos permeantem, atque ex his iterum egressam, formare circa terram vorticem continuum, materia nova præcedentis vestigia iugiter sequente. Ex hoc quoque vortice causam gravitatis repetere, imò omnia corpora cœlestia eodem modo constructa, eique singulari gravitationem universalem debitam, asserere, non dubitat; sed quibus, cum ad propositum præsens non immediate pertineant, non immorabimur; notare contenti, ambas extremitates horum meatuum, seu polos magneticos in terra, non convenire cum polis proprie ita dictis, seu mundanis; nec & constanter eandem positionem obtinere debere, sed ab ortu in occasum promoveri; imò forsitan plures duobus polos eiusmodi, (ut theoria vult *Halliana*,) in terra existere posse; unde patet mutabilitas declinationis magneticæ. Hæc nunc vortici magno terrestri, originem vorticum illorum minorum circa magnetem & ferram adscribit. Cum enim materia magnetica in vortice terræ, iam sit a reliquo æthere

Fig 2

æthere crassiori separata, imprimis autem motu iam prædita; hinc fieri, ut non solum in meatu magnetis maiori copia & vi irruat, sed & hos meatus secundum suam motus directionem disponere valeat; unde in magnete nascitur vis, sese versus certam plagam convertendi. Porro, cum materia vehementi rapiditate per meatus magnetis fluat, ex iisque prorumpat, hanc autem post egressum, ob resistentiam ætheris, conservare nequeat; primo ipsam celeritatem valde diminui, tum vero directionem inflecti ad latera: atque statim permanentem quærendo, tandem motum ita temperari, ut materia ad orificia meatuum revertatur; atque sic oriatur circa singulos magnetes vortex, prorsus similis illi terrestri. In huiusmodi autem vortice minori materiam subtilem esse multo copiosioram, quam in terrestri, cum, præterea quæ eadem adit materię copia, insuper nova continuo in poris magneticis a reliquo æthere fecernatur; unde & virtutem magneticam telluris a virtute magnetis multo superari. Applicat iam Cel. Auctor principium generale, quod hodie a summis Geometris valde excolitur, & ad multas quæstiones arduas solvendas summo cum fructu traductum est; in universo nempe, a datis viribus, semper effectum maximum, seu cum dispendio minimo, produci. Concludit nempe ex eo, materiam magneticam in quovis magnete debere sequi eandem prorsus directionem cum ea, quæ habet in vortice telluris, quia sic minima sit resistentia, seu motus celerrimus, & penetratio meatuum optima oriatur. Debere itaque materiam vorticis præditam esse vi, magnetes quovis in suam directionem convertendi. Hanc ipsam quoque vim definit proportionalem esse producto e copia materię subtilis, circa magnetem existentis, eius celeritate, & sinu anguli, quo directio meatus a directione motus vorticis deviat. Quod vero ad magnetes anomalos attinet, eos statuit, vel e pluribus magnetibus simplicibus esse compositos, vel meatibus, non inter se parallelis, nec in directum positos, præditos: hos itaque plures duobus plerumque habere polos; imo numerum polorum impari, si nempe meatus, in una extremitate disiuncti, in altera in unum coeant; unde

Fig. 3.

unde in vortice terrestri assumant situm quendam medium, quo vices dirigentes sibi mutuo æquilibrentur. Porro iam phænomena acus magneticæ, quæ nihil aliud est, quam magnes, omni fere crassitie carens, in quo meatus arctissime uniti, ab uno termino ad alterum, secundum lineas rectas excurrunt, ita explicat: Sint *A* & *B* duo poli terræ magnetici, sibi e diametro oppositi, in quorum uno *A* materia subtilis ingrediatur, ex altero *B* exeat. Qualescunque sint curvæ lineæ, secundum quas vortex circa tellurem circulat, tamen manifestum est, directionem motus in ipsis polis *A* & *B* esse respectu superficiei telluris verticalem, in locis vero *C* & *D*, in medio positis, horizontalem, & quo magis ab his versus polos acceditur, eo magis ad horizontem inclinatam. Sit itaque acus magnetica *ab*, in qua *a* polus materiam magneticam deglutiens, *b* vero polus eandem eructans. Tum ea, in quocunque loco vorticis terrestris versetur, ita disponi debet, ut eius polus *a*, materiam subtili ingressum præbens, polum terræ *B* naturæ contrariæ, e quo materia exit, & vicissim polus *b* polum terræ *A* spectet; sintque adeo poli diversæ naturæ sibi amici, eiusdem naturæ inimici. Primo itaque versabitur acus magnetica in circulo verticali, per polos terræ magneticos transeunte, cuius a meridiano vero distantia in quovis terræ loco dabit declinationem magnetis. Secundo, nisi sit in loco medio *C* aut *D*, seu in æquatore magnetico *CD*, inclinabitur ad horizontem; & quidem in hemisphærio uno e. g. boreali *CBD* terminus eius unus *a* boream spectans infra horizontem deprimetur, in altero autem supra hunc elevabitur; eaque inclinatio erit eo maior, quo propius ad polos *A* vel *B* adinoveatur. Unde & e declinatione & inclinatione acus magneticæ, in quovis loco terræ, directio vorticis magnetici cognosci poterit. Imo, si terra duos saltem haberet polos magneticos, e diametro oppositos, tum facilis observationibus, posset a priori determinari hæc declinatio & inclinatio. Sed cum probabile sit, terram quatuor eiusmodi polis gaudere, quorum bini nec e diametro oppositi, nec a polis mundi æqualiter distantes, quin & procul dubio vi inæquali præditi; ni-

Fig. 4

mis ardua est hæc inquisitio, quam ut ei quis se subducere possit. Pergit nunc V. C. ad habitum magnetum plurimum erga se invicem, eumque ope theoriæ iam stabilitæ a priori investigat. Consideretur itaque magnes unicus cum materia sua magnetica, per polum A ingredientem, per B exeuntem, ibique circa B ad latera reflexa & ad a revertente, hic autem iterum reflexa, & per A de novo intrante. In utraque hac reflexione æqualis utrinque vis impendetur, & ab hac æqualitate pendebit status æquilibrii. Quodsi itaque eveniat, ut materia in B , sublatis obiaculis, directe progredi possit; tum, ob cessantem hoc loco reflexionem, vortex ex hac parte premetur vi minori, quam ad a , hincque ipse magnes sollicitatus in A vi maiori, quam in B , actu secundum directionem AB propelletur. Contra, si in B alius materiæ subtilis fluxus incurrat directione opposita, qui cum vortice, ad B erumpente, quasi conflitetur; tum, ob maiorem ad B reflexionem, compressio quoque vorticis in hoc loco prævalebit, unde magnes ab altero illo materiæ incurso repelletur in directione BA . Et generatim, quibuscunque in locis inflexio materiæ subtilis, a causa externa vel augetur, vel minuitur; ibi, ob vim, quam inflexio postulat, vel auctam, vel diminutam, compressio magnetis evadet maior, minorve; unde, sublato vorticis æquilibrio, magnes ad motum sollicitabitur. Sint iam duo magnetes ita positi, ut eorum axes AB & ab in directum iaceant, & poli diversi nominis A & b se mutuo respiciant. Materia igitur magnetica, ad b erumpens, non solum inveniet ibi resistantiam minorem; sed & a vi elastica ætheris ad officina alterius magnetis A urgebitur, ita, ut recta in meatum A irrumpat. Hinc igitur nec omnis materia, ex b erumpens, reflectetur, nec ea, quæ ex B in A esset revertura, cursum suum inflectet, sed ulterius per c & d ad a usque progredietur; ita, ut per confusionem horum duorum vorticum, fere unicus vortex oriatur. Hanc ergo ob causam, compressio utriusque vorticis inter polos A & b diminuetur, & ambo isti magnetes ad se mutuo urgebuntur. Ceterum patet, hunc effectum eo magis consequi, & magnetes eo maiori vi ad se invicem pelli, quo viciniore

niores sibi sunt poli *A* & *b*; donec, ipsis in contactum venientibus, omnis materia magnetica, ad *b* effluens, immediate in alterum magnetem ingrediatur, simulque omnis materia, ad *B* erumpens, in *a* usque reflectatur, ita, ut vortex unicus fiat, nisi ambo magnetes magnitudinis multum inter se discrepent. Sint nunc iterum axes duorum magnetum *AB* & *ab* in directum positi, sed ita, ut poli eiusdem nominis *A* & *a* se mutuo respiciant. Jam prospicitur, hic obtinere contrarium casus præcedentis. Cum enim materia subtilis prope duos hosce polos sibi mutuo occurrat, & conflictus mutuos nascatur, hinc uterque vortex inter *A* & *a* magis comprimetur; unde magnetes se mutuo repellere debebunt. Notandum tamen, quod cum utraque materia, ex *B* & ex *b* prorumpens, motum suum, quantum potest, conservare conatur; dubio procul pars quædam materiæ, ex *b* redeuntis, viam sibi per alterum vorticem aperiat, & per *e* in *A* ingrediatur, similique modo pars vorticis, ex *B* recurrentis, per *f* ad *a* intret; sicque permissio quædam vorticum oriat, modo maior, modo minor, unde, (vi dictorum ad casum præcedentem,) fiet attractio. Contra, quatenus reliquæ vorticum partes eo promptius in *g* & *b* inflectuntur, exinde nascetur repulsio. Prout itaque alteruter horum effectuum superabit alterum, fieri poterit, ut magnetes sic dispositi, se mutuo attrahant modo, modo repellant; quæ variationes, tam a magnitudine, quam a distantia utriusque, multum pendere possunt, atque in se tam inconstantes esse, ut, repetito eodem plane casu, raro eadem phaenomena observentur. Negari nequit, hæc adeo egregie cum experimentis, solite a *Muschbroekio* institutis, convenire, ac effectus, Viro huic egregio inextricabiles visos, tam facile e theoria Auctoris nostri explicari, ut ipse hanc, vel e solo hoc consensu, maximum adipisci firmamentum, asserere non dubitet. Uterius ex iisdem principiis explicat, si duo magnetes se mutuo repellant, secundum quamnam plagam fieri debeat conversio: nec non, si prope se invicem sint suspensi, & libere mobiles, quidnam exinde consequi oporteat. Quæ omnia mirum in modum

Fig. 7.

cum experientia conspirant; nec ullum omnino experimen-
 tum se hactenus invenisse affirmat Celi Auctor, quod non e
 theoris sui & explicare, & a priori quoque determinare, po-
 tuerit. Hactenus versati sumus circa magnetem vel unicum,
 vel duos in se nummo agentes: nunc ad vim magneticam in
 ferro quoque considerandam progrediamur. Hic primo sese
 offert vis illa communicativa, qua ferro & chalybi virtus ma-
 gnetica conciliari potest; eaque explicari haud parum diffici-
 lis visa quamplurimis. Sed facile enim ratio perspicitur ex his,
 quae de poris, in ferro existentibus, antea itabatur Celi Au-
 ctor. Ad virtutem nempe magneticam ei communicandam
 nil aliud requiritur, quam ut pori isti minimi, sibi liliis fila-
 mentis oblitii, & valvulis instructi, ita disponantur, ut canales
 continuos formant, & valvulae per totum tractum in eandem
 plagam spectent. Hic autem effectus trique a vortice ma-
 gnetico terrestri produci poterit. Is enim in poros externos
 intrans, primo eos secundum utriusque directionem disponet;
 quo facta, iam facilius poros quoque internos intrare, eosque
 similiter in eandem ordinem collocare, poterit; postquam
 autem semel ad alterum terminum usque penetravit, tum ibi
 prorumpens, forasabit vorticem, prorsus ut circa singulos ma-
 gnetes; adeoque ferrum succellive eandem cum vero magne-
 te vim nanciscetur. Patet vero, ob minorem materiae ma-
 gneticae in vortice terrestri, & copiam, & celeritatem, satis
 longum eum in suam requiri temporis tractum; praeterea
 oportere, ut ferrum constanter in eodem situ remaneat; nec
 non effectum istum magis minuste consequi, prout tractus
 pororum erit continuus, filamenta mobilia, similesque cir-
 cumstantiae faventes, ut calefactio, mallei ictus, linae attri-
 tus, &c. Insuper haeret, hanc virtutem, prout facilius acqui-
 ritur, eo facilius quoque destrui, ideoque ferrum eandem ci-
 tius quidem acquirere, quam chalybem, sed & amittere citius;
 generationem vero orbati ferrum vi sua, si in situ contrario ponat-
 tur, ita ut vortex terrestris, aliam sibi viam aperiendo, presti-
 tum destruat pororum suum, idque iuvare indeem metis, qui-
 bus aures impraegnatio accelerari poterat; praesertim calefa-
 ctione.

ctione, qua ipse adeo magnetis vi sua penitus extinguitur. Porro ad vim magneticam ferro conciliandam, plurimum confert figura eius, quae erit aptissima, si fuerit oblonga, instar trabeculae, in qua & longitudo & crassities certum habere debet terminum, a quo si vel nimis deficiat, vel supra eum nimis excurrat, utroque casu scopus haud ita facile obtinebitur. Imprimis vero haec impraegnatio pendebit maxime a situ bacilli ferrei; hic enim si in eandem cum vortice terrae directionem constituitur, vim magneticam nanciscetur celestissime; si ei oblique opponatur, acquirat quidem, sed tardius; si normaliter ad eam disponatur, nullam plane accipiet. Quaecunque haecenus dicta sunt in ferro a vortice telluris effici, eandem evenient eidem, in vortice magnetis posito, sed multo promptius, ob maiorem in hoc materiae magneticae tam copiam, quam celeritatem. Unde patet ratio communicationis vis magneticae, ferro a magnete factae, & phaenomenorum haec in re conspicuorum: cur a magnete ferrum, sicut alius magnetis, attrahatur; cur ferrum, vi magnetica iam imbutum, eam tamen facilius multo amittat, quam magnetis; cur virtus magnetica optime communicetur prope polos magnetis; cur per attritum maxime adiuvetur impraegnatio; cur dein ferrum iterum alii ferro vim similem largiri valeat; cur haec attractio ferri a ferro ad distantiam insignem extendi queat, & id genus alia. Silentio hic praeterire non possumus experimentum, quod tam ob eventum prorsus singularem, quam ob maximam theoriae suae confirmationem, hic offert Cel. Auctor. Institutum est coram Academia Petropolitana, a Cl. Chemico *Gallerto*. Fecit is mixturam e ferro & stanno, quam magnetes generosi & fortes non attraxerunt, magnetis vero exigui & debiles attractam tenuit. Huc ita explicat *Noster*: fuisse in hac mixtura particulas ferri & stanni adeo permixtas, ut meatus continui formari non possent, sed materia subtilis, postquam per particulas ferri transisset, in particula stanni motum suum continuo amittere; ideoque parva saltem cum celeritate per poros mixturae moveretur. Jam ut corpus a magnete attrahatur, requiritur, ut circa id vortex ma-

gneticus generetur; ad hunc vero formandum oportere, ut materia subtilis per poros eius multo celerius moveatur, quam extra, tantaque celeritate erumpat, ut ab æthere externo reflectatur. In magnete itaque forti, hanc materiam iam posse moveri circa eum, in vortice ipsius, celeritate non minori, quam ea, qua per mixturæ illius interiora transit; nullum ergo circa mixturam generari vorticem, nullam fieri posse attractionem. In magnete contra debili, si velocitas vorticis prope eum sit minor velocitate materiæ, mixturam permeantis, posse formari circa hanc vorticem magneticum, hincque attractionem consequi. Hæc explicatio unque videtur naturæ apprime consentanea. Ultimo loco adhuc ostendit Cel. Auctor, quid armatura ad vim magneticam intendendam valeat. Sit nempe *AB* magnes, *A* polus, per quem materia ingreditur, *B* polus per quem exit. Ad hos appendantur utrinque acutissime laminæ ferreæ, cum pedunculis *a* & *b*, magneti firmissime adjacentibus, ita, ut cum eo novum quasi corpus continuum efficiant. Igitur materia subtilis, ad *B* exitura, in lamina cursum suum versus pedunculum *b* inflectet, quippe cum ibi longe minorem inveniat resistentiam, in ferro, motu etiam reflexo, progrediendi, quam directe in ætherem erumpendi. Maxima itaque eius portio in pedunculi basi *b* prorumpet; adeoque in hunc locum exiguum coarctabitur polus magnetis, antea per totam basin *B* diffusus; unde vis attractiva pedunculi tanto maior evadet. Similiter in altero polo *A*, materia per pedunculum *a* facilius irruet, ita, ut formet vorticem ex *b* erumpentem, & per *c* cursum inflectendo, per *a* ingredientem, per ipsum autem magnetem denuo ad *b* revertentem; qui vortex, cum, antea circa universum magnetem distributus, in unicam fere regionem *c* cogatur, nunc multo maiori gaudebit vi, tam attractiva, quam directiva. Sed effectus magnetis armati ideo quoque erit maior, quoniam ambo poli *a* & *b*, in gestandis oneribus, se mutuo iuvabunt. Unietur autem vis, si frustum ferri *EF* ad bases pedunculorum *a* & *b* ita applicetur, ut perfectus sit contactus. Tum enim materia ad *b* effluens, viam sibi per hoc ferramentum

tum aperiet, & cursu ad c reflexo, ad a in magnetem revertetur, hocque modo ferrum ad utrumque pedunculum simul attrahetur. Cum autem præterea ferrum ipsum iam magnetis vicem gerat, id, per vim attractivam, onus ferreum adhuc maius ferre poterit, quam solus magnes. Hinc satis effectus armaturæ perspicitur. Quæcumque hætenus attulimus, eorum pleraque, (exceptis principis, in quibus paulo longiores fuimus.) strictè tantum persequi, instituti nostri postulavit ratio; unde explicationes istæ, haud parum de vi sua, qua gaudent amplius exposita, perdidisse videntur. Eo maiori itaque cum voluptate, credimus fore, ut legantur apud ipsum Auctorem Cel. ab omnibus, qui philosophiam naturalem amant. Hi sane in integra hæc theoria, tantam simplicitatem & concisionitatem, nexum adeo naturalem inter principia & quæ ex iis deducuntur, & tam egregium denique cum experientia, & omnibus eius circumstantiis, consensum, deprehendent, qualem vix ab aliqua hypothesi, nisi veritatis suffragio corroborata, expectare liceat.

Sed iam demum ad reliqua quoque *Tomii* huius contenta manum admoveamus. Secundo itaque loco occurrit *Differentiæ analytica, nova quippe methodus inveniendi trajectorias reciprocas algebraicas.* Etsi iam satis excultum sit problema illud, inter Geometras quonoam celebratissimum, de trajectoriis algebraicis, ut, de eo plura proferre, supervacaneum videri possit: nihilo tamen minus singularem omnino Analytarum attentionem meretur præfens tractatio. Primo enim inventio curvarum algebraicarum, quod in problemate hoc imprimis erat desideratissimum, ab aliis hætenus nonnisi admodum operose, & præterea particulariter saltem, est ad finem perducta; pro qua Noiler nunc exhibet methodum, & facilem, & generalem, qua omnes curvæ algebraicæ, sine ulla integratione inveniri, & omnes simul formulis finitis contentæ representari possant. Deinde ipsam hanc methodum, etsi in aliis iam quæstionibus sæpe in usum vocatam, nullibi tamen adhuc exposuit; eiusque ad præfens negotium applicatio peculiare requirit artificium, in aliis etiam casibus utilissime adhi-

adhibendum. Nos quidem hic non totum de trajectoriis reciprocis argumentum a primis principiis ordiemur; sed eorum in usum, qui hæc iam callent, ipsius methodi summam tantum exponemus. Problema trajectoriarum reciprocarum iam eo reduxit *Jo. Bernoullius*, ut quaeratur curva ECF , in qua, ductis binis rectis, ab axe ACB æquidistantibus, MP & NQ , sit semper summa angulorum $EMP + ENQ =$ duplo angulo ECA . Ducta ergo ad AB recta GAH , in angulo $CAH = 2ECA$, positisque applicatis infinite propinquis pm & qn , & ipsi GH parallelis $M\mu$ & $n\nu$; facile ostenditur, Δ 'a $Mm\mu, nN\nu$ esse similia, ideoque $m\mu : M\mu = n\nu : N\nu$. Sit iam $AP = x, PM = y$; erit $AQ = -x$; sit $QN = z$, & patet fore $\frac{dy}{dx} \cdot \frac{dz}{dx} = 1$. Ponatur $\frac{dy}{dx} = M, \frac{dz}{dx} = N$; & res eo redit, ut quaeratur pro M functio ipsius x talis, quæ, si loco x fiat $-x$, abeat in N ita ut $MN = 1$. Sit P functio ipsius x par, Q impar; & proposito satisfiet, si sit $M = \frac{P+Q}{P-Q}$. Ponatur $\frac{Q}{P} = u$, ut sit u functio quævis impar ipsius x , eritque adhuc formula generalissima $M = \frac{1+u}{1-u}$. Sed, etsi hæc revera omnes solutiones continet; possunt tamen ex ea formari alie, quæ commodius usurpabuntur ad inveniendas curvas tales, quæ ex illa difficilius eruerentur; cuiusmodi sunt $\left(\frac{1+u}{1-u}\right)^m \cdot \sqrt{(1+uu)+u}$, & generalius $[\sqrt{(1+uu)+u}]^n$, modo uu sit functio par, nec ex $1+uu$ radix actu extrahi queat. Potest etiam nova variabilis t introduci, talis, ut loco t posito $-t$, x abeat in $-x$, seu x sit functio impar ipsius t . Ponatur $dx = vdt$, eritque v functio par. Sit, ut ante, u fun-

si functio impar ipsius t , & problemati satisfaciet si

$$dy = \frac{t+u}{t-u} vdt, \text{ vel } = \left(\frac{t+u}{t-u} \right)^n vdt, \text{ \& ita porro.}$$

Cum iam habeatur natura functionis M , requiruntur praterea, ut æquatio $dy = Mdx$ fiat integrabilis. Hoc efficiendi quadruplicem proponit modum Celi Auctor. Primus petitus est

e formula $dy = \frac{t+u}{t-u} dx$. Jam Analysin ita instituit.

Quia u est functio impar ipsius x , erit vicissim x functio impar ipsius u . Queratur itaque qualis functio ipsius u debeat esse x , ut quoque y exprimatur per functionem algebraicam ipsius u . Jam $y = \int \frac{t+u}{t-u} dx = \frac{t+u}{t-u} x - \int \frac{x \cdot u}{(t-u)^2};$

unde hic posterior terminus tantum reddi debet integrabilis. Sit p functio ipsius u par, q impar, ponaturque hic terminus

$$= \frac{(p+q)(t+u)}{t-u}; \text{ factaque differentiatione, fiet } 2xdu$$

$= (t-uu) dp + (t-uu) dq + 2pdu + 2qdu$. Jam, cum differentialia sequantur naturam functionum ipsarum, erit $2xdu$ functio par $(t-uu) dp$ par, $(t-uu) dq$ impar, $2pdu$ impar, $2qdu$ par. Separatis ergo paribus & imparibus orientur duæ æquat ones: $2xdu = (t-uu) dp + 2qdu$, & $2pdu + (t-uu) dq = 0$. Posterior statim definit $p = -\frac{(t-uu) dq}{2du}$; hinc enim, ob q imparem fiet p par.

Cognito iam valore ipsius p , ex priori quoque æquatione habetur $x = \frac{(t-uu) dp}{2du} + q$; unde fiet $y = \frac{t+u}{t-u} (x - p - q)$.

Patet ergo prima regula generalis pro inveniendis trajectoriis reciprois, si, assumpta q functione quavis algebraica impari ipsius u , definiantur exinde p, x, y , ut modo vidimus. Ceterum

terum ex inventis duabus curvis algebraicis reperiri possunt alia innumeris: Nam si ex una hypothese ipsius u inventum fuerit $x = X$, & $y = Y$; ex alia autem $x = X'$, & $y = Y'$, tum problemati quoque satisfiet ponendo $x = X + X'$, & $y = Y + Y'$, & generalius $x = \alpha X + \beta X'$, & $y = \alpha Y + \beta Y'$; in quo idem valebit, inventa adhuc tertia, & sic porro. Secundum modum derivat Auctor e formula

$$dy = \left(\frac{t+u}{t-u} \right)^n dx. \text{ Fundamentum Analyticos idem pro-$$

lus est: reddetur nempe valor ipsius y in duos alios, quorum posterior, signo summatorio gaudens, ponitur

$$= (r+q) \left(\frac{t+u}{t-u} \right)^n, \text{ factaque differentiatione, æquatio}$$

emergens separatur in duas alias, e quibus habentur p, x, y , similiter ut ante. Tertius modus elicitur e formula $dy = [\sqrt{(t+u)+u}]^n dx$. Ille, resolutio valore ipsius y in duos alios, ponitur iterum posterior summatorius $= (r+q) [\sqrt{(t+u)+u}]^n$; quo facto processus est similis præcedenti. Quartus denique deducitur e formulis

$$dx = vdt, \text{ \& } dy = \left(\frac{t+u}{t-u} \right)^n vdt. \text{ Ponitur nempe } v =$$

$t - nu$, & $n = r$, qua limitatione nihilominus formæ sunt æquodam generales. Hinc autem fit $x = t - \int nu dt$, & $y = t + 2 \int nu dt + \int nu dt$. Unde requiritur, ut tam $\int nu dt$, quam $\int nu dt$ sint integrabiles. Ad hoc utrumque præstandum, in formula $\int nu dt = tu - \int t du$ ponatur $\int t du = p$, erit $t = \frac{dp}{du}$ ubi p debet esse functio par. Hoc substituto fit

$$\int nu dt = tu - \int t du = \frac{tudp}{du} - \int nu dp = \frac{tudp}{du} - 2pu +$$

$apdu$. Ponatur de novo $\int p du = q$, eritque $p = \frac{dq}{du}$, & q
fun-

functio impar ipsius u ; unde sumto du constante fiet $dp = \frac{d^2u}{dt^2}$; & substitutionibus retro factis habebuntur successively valores ipsorum t, x, y . Satis ex aliatis patere credimus hanc rem iudicibus, in quo consistat vis methodi, ab Auctore Cel. usurpatæ; unde non est quod moremur circa applicationem formularum inventarum ad casus particulares, & hinc certam determinationem curvarum e variis ordinibus, problemati satisfaciendum, quorum omnium processus facile perspicitur.

Igitur contenta *tertiæ Schediasmatis* nunc enumeremus, quod de *motu corporum flexibilibus* agit. Per corpora flexibilia hic intelligit corpora rigida, ita inter se coniuncta, ut circa iuncturas libere moveri possint. Eiusmodi est catena; imo funis & filum considerari possunt tanquam composita e flexuris inanimatis. Ad motum horum definiendum, primo singulorum articulorum motus investigandi sunt; deinde, propter iuncturas, quibus articuli secum connectuntur, eorum motus pendent a se invicem; unde patet, quam difficile & arduum sit problema præsens. Interim solutionem eius perspicuam, & quantum rei natura permittit, facilem, tradit Cel. Auctor. A casibus nempe simplicissimis incipiens, primo motum solum tantum virgæ rigidæ, dein autem duorum corpusculorum, filo, inertie experte, inter se colligatorum, si utcumque proiciantur super plano horizontali, e primis principiis mechanicis deducit; qui quidem uterque casus est determinatu facilis. Hinc vero transit ad eum casum, ubi trium corporum, inter se connexorum, motus quaeritur; qui proprie fundamentum totius theoriæ de motu corporum flexibilibus continet, & in quo tota difficultas huius negotii versatur. Ad Methodum vero, in hac solutione adhibitam, quod attinet, veniam a Lectoribus nostris nos impetraturos speramus, si eam ipsam hic non exponamus, non solum, quia in præcedentibus iam fuimus, plus iusto longiores, sed & imprimis, quod ea sit paulo longior, & ita comparata, ut, nisi admodum fuse explicetur, vim eius perspicere non liceat. Indicabimus itaque

Pag. 88.

que saltem, hoc absq̄ luto, Cl. Auctorem tradere solutionem casus generalis de corpuseulis numero quotvis, inter se coniunctis; nec non, si ponatur numerus corpuseulorum regeri in infinitum, filorum autem longitudines evanescere, ut ferretur funis perfecte flexilis, eiusdem motum definire. Postea quoque considera corpora qua aetatis finitæ secum coniuncta, quibus motus quivis est impressus, & quærit oriundum inde motum progressivum in piano horizontali positissimo. Sed de hæc omnibus ad ipsam fontem oblegamus Lectores, harum disquisitionum penitus introspectendarum cupidos.

PRIMA RACCOLTA DE OSSERVAZIONI MEDICHE
del Dottor GIOVANNI TARGIONI
TOZZETTI, &c.

PRIMA COLLECTIO OBSERVATIONUM MEDICARUM
auctoris IOANNIS TARGIONI TOZZETTI,
Medici Collegii Florentini, Prof. Publ. Botan. Bibliotheca Magliabecchiana præfati, &c. &c.

Florentiæ, ex typographia imperiali, 1752, 8. mai.
Pag. 11.

Magna observationum ab Autoribus fide dignis & eruditione claris traditarum vis est & efficacia, quibus, tanquam totidem sanitatis tabulis, historix morborum plenius elaborantur ac perficiuntur. Laudanda proinde Cl. Auctoris industria est, qua rariores corporis ægroti affectiones, sua experientia comprobatas, eruditis tradere constitutum illi fuit; atque quid porro ab illo sperare res publica medica possit, primo hoc experimento elucescit assatum. Hydrops sacculus prima pagina sistitur, quem ex tumore intra ovarium femur nato illustris matrona contraxerat, eoque, variis, quæ ex eiusmodi morbo esse solent, calamitatibus oppressa, periit; cuius cadaver incisum membranam eam thecam pingui sero

vehe-

vehementer inflammata offerdit, mactente tamen dubio an ex vase lymphatico, an ex cysto melogghiano, in maius atque maius sibi de expansio, tumor natus sit. Excurrit Cl. Auctor in universam ovulorum muliebriam h. floriam. & calicem, cui vesicula illa humore lepidio turgido, a perberratis termino exorta, infidet, corporis lutei nomine insigniri solitum, describit, ipsasque illas capsulas nequaquam ex morbo natas, sed organicas, & vario vatorum apparatu instructas esse pradicat. Habent autem illae extensilem membranam, possuntque variis de causis morbidam liquidi collectionem in se recipere. Has, catameniorum defectio, orgasmus aphrodisiacus, graviditas, partus, mutare, ut in maius sensum extendantur, possunt; quod quando evenit, oportet quoque illarum tunicas subinde intumescere. Videtur adeoque, invenculas ex ovulo turgido, vetulas ex vase lymphatico distento, hydropem ovarii contrahere posse & solere. Atrox malum, auxilium omne eludit: etiamsi enim perforandus tumor, morbosusque liquor educendus esse videtur; obiectumque Cl. Auctori a quibusdam illud est, quod matronam haud pupigerit: ostendit tamen ille, & ex natura tumorum cysticorum evidenter declarat, inanem, cum folliculus ipse educti nequitur, hanc esse operam. De *Catalepsi* secundo loco proponitur, raro morbo, quo correpti subito concident, oculis apertis stupent, manet illis color floridus, respiratio debilis, pulsus parvus, omniumque musculorum rigor talis est, ut artus in illo, ad quem spectantur, situ, immoti maneant. Aegroti invenit, qui in exemplo est, morbus ex terrore provenit, illi brachium, crus, flexa, eundem situm diu servaverunt, pluresque dies mansit attonitus aeger, quem excitaverunt cantharides, & spirituosa admota naribus. Tertia de *morbillis anomalis* est commentatio, illis scilicet, quarum eruptionem variae excretionis ine gruae intercipiunt, alvi fluxiones, menstruorum fluxus in femina, quos etiam stare non sinit febris horrida, servans typum tertiana. Illas quoque morbillos anomalas adpellat, quae retroverta nobilia invadunt viscera, in quibus vis febris maior est, & quibus inflammatorius viscerum status, maxime autem faucium in-

inflammatio, intercurrit. *De hydropisi* quarta est observatio, deque usu cantharidum ad illam sanandam aliqua proponuntur: cum scilicet nullum viscus labe tactum est, nec humores turpitudinem habent, sed sola lymphæ, in cellulas pinguiferas effusæ, reversio ad venas in causa est, propter quam extrema intumescant. Tunc enim Cl. Auctor in compertis habet, vesicas, applicatu cantharidum ad femora excitatas, totam effusi liquidi vim sensim hausisse. Laudat deinde cantharidum usum in febre scarlatina, illo scilicet emphysemate inflammatorio, quo pinguitudo corporis inflata est; nec minus probata fidei hoc medicamentum esse, cum torpidi, variisque affectibus soporosis oppressi excitandi sunt, afficitur. Adduntur his singularia aliqua observata Anatomica; de epiglottidis defectu, quem muscoli arytenoidæi, grandiores vix, suppleverint; de cystidis felleæ absentia, deque ductu pancreatico duplici. Speramus fore, ut, quod laudabiliter institutum est opus, continuatum porro, casuum rariorum, in sana & ægrota hominis vita obvientium, largam messem eruditis exhibeat. Accessit fini, de usu novi medicamenti contra luem Gallicam, intra Nosocomium, quod ab incurabilibus dicitur, commentatio. Utuntur enim celeberrimi medici, intellecta hydrargyri virulentia, decocto ligni sancti, cui decoctum sassa-parillæ, sub certo regimine, iungunt, illaque medicina ferocissimum morbum feliciter subigunt.

COMMERCII EPISTOLARIS UFFENBACHIANI Selecta, variis observationibus illustravit, vitamque B. ZACHAR. CONRADI ab UFFENBACH præmisit IO. GEORG. SCHELHORNII.

Ulmæ & Memmingæ, apud Jo. Fr. Geum, 1753. Vol. I. plag. 19. Vol. II. plag. 21. in 8.

Tam sanctum est orbi litterato nomen *Uffenbachianum*, tot tantisque meritis idem illustratum, ut dubium non sit, quin, quicquid viri tam excellentis sibi nomen præscriptum habet, magnis etiamnum eruditorum hominum studiis expetatur.

tur. Itaque reliquis suis in reipublicam litterariam meritis, multis doctissimisque scriptis patris, velut cumulum adiecit, videatur vir Rev. Io. Georg. Schelhornius, (cui Doctoris theologi honores, nuper ab Academia Tubingensi collatos, ex animo gratulamur,) hæc *commerci epistolæ*, ab Uffenbachio quondam culti, *selecta*, cum eruditis communicans. Cuius rei quasi fundum se habere profitetur & itinerum diaria, & integrum commercium litterarium, viginti egregia fuisseque volumina complexum, atque eo consilio a b. Viro sibi legato ut, eius fide, commentarios, quos *de vita sua* conscribere, haud ita multo ante obitum, incepisset, pro eruditione atque ingenio suo pertexeret. Cuius voluntati etsi pridem satis facere studuit Cel. Schelhornius, tamen, quod honestum, ad opus hoc proferendum, librarium, quamvis & privatim illud & publice in *musæo Helvetico* proponeret, percellere nequirit, officium tam iustum piisque adhuc differendum esse, & ipse conqueritur, & nos, non sine indignatiuncula quadam, commemoramus. Interim ne plane videretur officio suo deesse, id tandem consilii cepit, ut pleniores de vita ac meritis summi viri commentarios, in breve quasi compendium redactos, dum melior ardeat fortuna, in dias luminis auras, cum selectioribus epistolis, emitteret, quas partim integras, partim vero particulas earum, ad memoriam insigniores, exhiberet, quibus, sicubi opus esset, annotamenta subiungeret, innumo singulares quoque observationes insereret, si quid inde lucis vel vitæ *Uffenbachiana*, vel rei litterariæ affundi posse, spes esset. Atque huius designati operis *Tomus duos priores* iam publici iuris facit, plures daturus, si gratum se vitis doctis facturum intelligat. Et quidni faceret, quum nihil possit vel ab *Uffenbachio* proficisci, vel a *Schelhornio*, quod non mirifice ad ornanda litterarum honestarum studia faciat? Nunc ipsam opus paullo contemplemur propius. Singula eius volumina in duas quasi partes descripta sunt, quarum *altera de vita illustris Uffenbachii* exponit; *altera Selecta commercii litterarii* exhibet. Ac *vita* quidem magni viri eodem prope tempore, quo prodit opus hoc nostrum, in Germani-

- cam linguam conversa ab *Herrmanno*, scholæ Memmingensis Rectore, atque ex copiis Schelhornianis aucta, in lucem edita est. Quam igitur quum contrahere nequeamus, nisi spiritum quasi ac vitam ei velimus subtrahere, legendam ac relegendam integram iis relinquimus, quibus volupe est, magnorum hominum vel studia penitus cognoscere, vel prudentiam curamque in bibliothecis comparandis intelligere, vel sata denique singularia mirari. Accedimus itaque ad *Selecta commercii epistolici*, ubi se, merito suo, primum oculis ingerunt epistolæ ad D. *Io. Alb. Fabricium*, Virum immortalem, datæ, quarum prima exponit de Constantini VIII. Porphyrogenneti aureo, de *cerimoniis sacris & profanis aula Byzantina*, opere, cuius etiam plenior descriptionem, argumentique designationem, simul transmittit, *Volumini VI. Bibl. Græcæ* deinde insertam.
- Vol. I. P. I. **Pag. 3.** Huic magnus Fabricius altera respondet, ac de præstantia *Βασιλικῶν διατάξεων*, more suo, erudite dicitur. Sequitur observatio editoris, de satis codicis *cerimonialis, Uffenbachianæ* studio, in eo edendo consueto, ex commentariis uberioribus vitæ Uffenbachianæ. Unde discimus, Uffenbachium anno 1707. a D. *Guilicmi van der Muelen, Theol. in Gymn. illustri Hanovienfi quondam Profess. primarii filio*, proxeneta *Io. Dan. Cramero*, exiguo sane ære, duodecim nempe imperialium pretio, eum redemisse; qui deinde cum D. *Schneidoro* suo, medico Francofurtensi, eum quidem vertere in Latinum sermonem coepit, ac, post huius mortem, *Mato*, filio, eandem curam demandaverit; quomodo etiam initium huius laboris fecisse, ex quadam eius epistola *Schelhornius* docet.
- 16.** Utrum vero, quod hic affecerat, etiam perfecerit, nec ne, in medio relinquitur. Hæc observasse hic, grave non fuit, propterea, quia ea illustrant, quæ scripsimus, quum ipsam codicis egregii splendidam editionem, cura h. *Leickii* ac *Celesterrimi Rætskii* nostri adjuvatam, commendarem; vid. Act. Nov.
- 22.** Erudit. mense Febr. 1752. pag. 49. Epist. III. eidem exponit Uffenbachius, decem grandia volumina *adversariorum Io. Petri Lottickii* sibi obtigisse, ut & *Nili Asceta* epistolas, a Leone Allatio 1668. Romæ editas, præter alios codices: eun-

eundemque Fabricium simul erroris admonet, in laudando
van der Boëet committi. Epist. IV. respondet Fabricius, Pag. 28. 30.
 ac de variis rebus, in orbe litterario recens gestis, ad eum re-
 fert. Epist. V. rescribit noster, atque instituti sui, de confi- 36.
 ciendo Bibliothecæ suæ *catalogo specialissimo*, omnes libros, in
 unum corpus redactos, complexo, mentionem iniicit; simul-
 que codicem duorum foliorum describit, septimo vel octavo
 seculo adscribendum, qui continet epistolam ad Hebræos,
 mutilus tamen est a Cap. IV, 4. — XII, 19. Subiuncta est 41.
observatio editoris Celeb. de catalogo specialissimo omnium li-
brorum & opusculorum, in variis collectionibus comprehen-
sum, vel aliis annexorum insertorumve, quorum, quum supe-
 riorem epistolam 1715. scriberet, Uffenbachius habebat XVIII.
 millia, decennio post ad LX. millia. Lætatur simul Cel.
Schelbornius, quum, quod animo meditatus erat ille noster,
 perficere ipse non potuerit, id in *catalogo Bibliotheca Buna-* 49.
viana, altero maxime illius volumine, præstitum, magno
 eruditorum hominum commodo, esse. Epist. VI. denuo Fab- 50.
 ricium, *de novis in Tacitum commentariis* manuscriptis, ut
*Portneri, Schockii*que, ac de *Forstneri historico-politico epi-*
meridibus MStis, de *Falesti* denique *Francisci a Burgundia,* 52.
 ad Philippum, Hispaniæ Regem, libro scripto; ac Gregorii
 theologi sententias, e Græco in Latinum sermonem, ut &
 verius lenarios proverbiales, e Græcis poetis in linguam Lati-
 nam translatis, aurea Pythagoræ carmina, nec non varia ad
 eundem Regem, de Regibus Romanis, epigrammata comple-
 xo, certiore facit. Epist. IX. a *Miegio* ad eum data, *de cru-* 60.
ce in numis Constantini M. inter duos milites & signa Roma-
 na conspicienda, cum inscriptione: GLORIA EXERCITVS,
 quærit, ac de codice epistolarum Paullinarum, litteris qua-
 dratis exarato, neque a Millio collato, exponit. Epist. X. 62.
 noster docte respondet, nec de numis modo illis, sed de ipsa
 religionis christianæ professione, a Constantino M. quidem facta,
 iudicium fert. Epist. XI. eidem noster de variis, ad rem lit- 68.
 terariam spectantibus, rebus scribit, ad quas Epist. XII. *Mie-*
gius respondet. Epist. XIII. ad eundem hunc, noster, de dua- 69.
 bus

- Pag. 73. his tabulis, Roma acceptis, differit. Epist. XIV. *Leob. Chr. Sarmis* noster duo manuscriptos libros mathematicos, nempe, *opus Goldmannianum de architectura*, & *Vitelmi Dilichii opus de re militari*, utendos liberaliter offert. Epist. XV. *Georg. Com. Siglero* gratias agit, atque de vocabulo *Bivange*, (nostri *Umfang* seu *Befang* dicunt.) ex *Congii* glossario exponit. Sequitur *Dact. Editores* observatio de memorabilioribus, ab *Uffenbachio Fuldæ* 1709 animadvertis. Epist. XVI. ad D. *Inmann. Weberum, Iohann. Giffensum*, de aucti ne bibliothecæ *Markianæ*, ac *catalogo scriptorum Græcorum MScorum* bibliothecæ *Monacensis*, exponit, de quo sequitur singularis *Cel. Editoris* observatio, qui etiam suorum eius, *Matth. Radleri* manu scriptum, cum eruditis simul communicat. Sequuntur a n. XVII — XXIV. Epistolæ, inter *Uffenbachium & Jo. Georg. Scherzium*, utro citroque missæ, in quibus de huius *glossario Francico-Theotico & iuridico*, *Syngæque carminum Germanicorum ævi mediæ de libro visionum Danicis prophetae*; de *alimantibus*, quas ei *Angius monstravit*; de *interpretationibus*, seu *sonnis*, revelatis ab angelo, missis a Deo; (quos libros in antiqua bibliotheca civica *Vindobonensi* extare, *Cl. Lamsbacheri* prodente, meminimus;) de *notatione nemini Cborjætag*, h. e. diei eternalis *Christi*, quam in obsoleto verbo germanico *Ker*, quod antiquis *curam*, *preparationem*, ac *provium denotare* ait, reperisse sibi videtur; de *gemma gemmarum*; *Oronius Ravennatis historia*, aliisque, erudite agitur.
120. Interposita est observatio *Editoris*, de *beneficio auctoris bibliothecæ prædictæ*, a *Morboso* prætermissis, mutuo nempe permutandi, gratificandi, concedend.que studio. Quas excipiunt Epistolæ ad *Jo. Henric. Maium Fil. scriptæ*, a num. XXV — XLVI, in quibus, præter reliqua, *Lexicon Galii Arabicum*, auctoris calamo ubique multum; *excerpta ex anthologia*, quæ in *Bibliotheca Jaci Passi* quondam servata fuerant; *iudicium de Hudsons.* bibliothecario *Oxonien.* item de *Crab*, altero bibliothecario, (quem caput vacuum cæthero nominat,) ac *Heerne*, tertio, (cuius diligentiam in scribendis edendisque libris agnoscat, incuriam in consignando bibliothecæ catalogo
- notat,

notat, tot quippe vitis velut obruto, ut duos integros chartarum scapos iis se complectere dicat:) <i>liber Rafael</i> ; catalogi <i>Urentio. centum, amplius, libros rariores h. e. magices, complexi; specimen animadversionum b. Uffenbachii in Catalogo MSSorum Angliae & Hiberniae; specimen additamentorum ad catalogum librorum MSSorum Bibliothecae Bodleianae; Maximianus commentarius in DCXIII. praecepta Iulianorum; consilium Uffenbachii, de legenda Academiae Giesseus bibliotheca sua; lobia dormientium, ac secreta secretorum Societatis Jesu, nondum exensa, & alia bene multa, nec scitu inutilia, nec indocte exposita, occurrunt. Claudunt agmen epistolae a Cl. Pezio missae acceptaeque, a num. XLVII — LIV, in quibus indicium fertur de <i>Gensilatio</i>, homine difficili ac moroso, ad Germanorumque genium minime tacto; notitia <i>Algeri</i> perhibetur; atque magna esse raritas <i>Platina</i>, (seu <i>Baptista Sacchi</i>, Crenionensis, ex <i>vico Platina</i>), <i>historia inclita urbis Mantuae</i>, a <i>Lambecio</i> edita, commemoratur, quae cur tam rara sit, Bibliothecae Rinckianae catalogus pag. 545. tradit; & alia, cognitu oppido iucunda, reperiuntur. Sed veniendum est ad <i>Felamen alterum</i>, serie quidem paginarum priori coniunctum, & eius quasi gustus aliquis dandus. <i>Continuatam Uffenbachii vitam</i>, <i>epistola</i> in octava <i>Uffenbachii & Ern. Mart. Plarræ</i> sequuntur, LV. & LVI, quas excipit <i>observatio de puerperio erudite</i>, sub quo titulo ipse III. <i>Uffenbachius</i> dialogos Satyricos, contra scribendi esocethes, parabat. Epist. LVII. & LVIII. ad <i>Io. Christoph. Langium</i> datae sunt, in quibus fasciculorum quatuor MSSorum, quibus <i>integra famosi Babonii doctrina</i> comprehenditur, ac velut in tabula quadam proponitur; inserta est <i>observatio de cultello Flacciano</i>, quae viri optimi fama vindicatur a crimine furti librarii. Epist. LIX. ad <i>Danzium</i> missa est, quae huic magni nominis viro, <i>Golii Lexicon</i> supra laudatum offert, alio quodam codice manu scripto permutandum. Epist. LX. <i>Stratium</i>, V. <i>Cel.</i> hortatur, ad consiciendum bibliothecae Jenensis Academicæ catalogum. Epist. LXI — LXVIII. ad <i>Georg. Christoph. Iohannem scripta</i>, in quibus <i>Hachbergii de Friderico victorioso annales</i> MSSi, (quos</i>	Pag. 187. 199. 237. 238. 238. 256. 244. 246. 258 - 275. 275. 291. 282. 293. 297. 300.
--	---

- Kuchentlechner postea Jenæ, 4. 1739. edidit:) *Tribemii* libellus, de eiusdem rebus gestis, a Fiebero (Heddeberg, 1602.) quaternis editis atque alia commemoratis, ad historiam Palatinam apprime spectantia. Epist. LXIX LXX. mutua sunt *Uffenbachii* & *Jo. Jenisti a Glauburg*, quibus sub centuram vocatur *Tribemii libellus Heralicus*. Epistolæ LXXI - LXXVIII. inter nostram *Mainumque* suam ulro citroque in se sunt, plene rerum palæstricarum, ipsaque argumenti varietate uerandissimæ, quibus subnecta est observatio de *epistolis veterum Cæsarum* ad *Julianum Sibi kardinem*. Epist. LXXXIX -- XCII. *Weser* & *D. Jo. Henricus Bartheus, Theologus Argentorat.* de *Dauide, Alexandrino*, a quoque rebus, sermones conferunt, quibus observatio de *Cæsaribus* *Alexandrino*, subnectitur. Epist. XCIII -- XCIV. cum *Weser*, *Jo. Kilonensis* de variis libris præcipuis, ut de *Godfr. Valla arte nihil credendi*, seu *beatus et in Cæsaribus*, ut fragmento de *impofura reigromum*, cum auctorem ille eum esse suspicatur, qui specimen meditationum in *Jobi Cap. XX.* sub nomine *R. Marfesanti* editis, (quemque *Jo. Jo. b. Mullerum*, Jo. mu. Hamburg. fuisse, Cæ. *Schellvini* docet) atque pluribus agit, quibus subicit *duplicem censuram librorum M.S.orum Guil. F. veli*, qui partim olim *Boslica* asservati fuerunt, partim hactenque in *indita* illius *Academia* bibliotheca extant, atque *indicem* tandem rerum præcipuarum. Magno itaque beneficio sibi literarium orbem hoc munere obtinuit *Editor* doctissimus, quem, ut pergat hoc modo bene de illo mereri, se, quæ servat in plateis suis, liberaliter cum aliis communicare, per communem litterarum amorem obtestamur. Qui, si nobis, ubi asserventur hodie optimi libri scripti, bibliothecæ quondam *Uffenbachianæ* ornamenta unice, indiceret simul in posterum, veluti cumulum addidisse beneficio suo censendus esset.

BESCHRYVING VAN HET BEGIN, OPKOMST, EN
Aanwas der Stad Doersburg.

DESCRIPTIO ORIGINUM ET INCREMEN-
ti urbis Duisburgi, per ADAMUM HUYGEN,
Secret. & postea consulem eius urbis. Editis, & Præfa-
tionem præmisit M. CORNELIUS
WALRAVIUS FONCK.

Noviomagi, apud Henricum Heymans, 1753. 4.
Alph. n. pag. 10.

Meruit admodum de Duisburgo, ac historia inferioris Ger-
manix, Vonckius, qui hunc librum in lucem publicam
evulsit, suaque ornavit copiosa præfatione. *Advocatum* Duis-
burgi primum egisse dicitur *Megengor*, seu *Megengaudur*,
Comes Zutphanensis. Otto, Comes Nassovix, a. 1339.
Reinaldum II, ex Comite tunc Principem, per successores
progeniit. Reinaldos, Comitatum Zutphanensem cum Gel-
dria coniunxit per uxorem, & ad successorem filium Ger-
hardum transmisit. Otto a. 1248. Wilhelmo, Regi Roma-
norum, in acceptis retulit prædium Valkhof, & regionem
Noviomagensis, titulo oppignorationis usus. Valchius hic
propriis historiographi virtutes enarrat, & fontes, ex quibus
bibendum est, recenset. Principatum tribuit *Chronico Wil-* Præf. p. 15.
helmii de Berchem, qui fuit ecclesiastes Nyyl Duxflia. No-
viomagi natus. Vixit ætate Ducum Arnaldi ac Adolphi, &
tunc *Chronicam Geldria* suam ad finem perduxit, ab ævo
Julii Cæsaris exorsus, in Mengooso primum Geldria Com-
item reperit. Adolphus Dux Ducatum suscepit regendum,
eodem teste, anno 1465. Jan. mense. Idem scripsit *historiam*
captivitatis Arnaldi Geldria Ducis, quæ diu inter anecdota
Noviomagi fuit detenta. Fuerunt, qui stilum & scripturam
Berchemii, ætate sua dignam, vehementer exagitarunt. Inter
hos, Scriverius, in *Batavia illustrata* pag. 199. fere princeps,
Uuu 3 de


- Fig. 24. de viris magnis licentiose arbitrari solitus. *Ioannes Felten*, ludimagister Noviomagensis, adnotationibus locupletavit Berchemii Chronicon, nondum vulgatis. *Chronicon Tilense*, ab orbe condito ad finem anni 1449. deductum, neque ineditum, saepius cum Berchemii Chronico congruit. Videtur illud Tilense Chronicon hic nonnunquam expilasse. Illud ut ederet Doctus Vonk, magistratus Noviomagensis anno 1751. ei negotium dedit, ac conatus approbationem impertivit. Anonymi Geldriensis cuiusdam paucula, in Duce Arnoldo deficiente, memorantur Pontanus, alique. Scripsit Duisburgica *Egbertus van Tricht*, Noviomagi natus, plerumque Duisburgi moratus, aetate Caroli Egmondensis. Eodem tempore floruit *Wilhelmus Hermannus Gudanus*, Erasmi amicus, inter Canonicorum regularium disciplinam, commentatus de bello inter Hollandos ac Ducem Carolum Egmondanum gesto, inde ab a. 1507. Edidit opusculum illud Antonius Mathaeus, *Analect.* Tom. I. pag. 321. seq. Index ei praemissus est, de bello *Geldro-Germanico*. Scriptor, aetate Gudano aequalis, adiecit illi commentationi notas atque ex sua experientia passim castigaciones. *Henricus Bommelius*, haud omittendus nobis, scripsit *Bellum Traiectinum, inter Geldria Ducem Carolum, & Henricum Bavarum, Episcopum Traiectinum*, Marburgi 1542. vulgatum. *Gerardus Geldenbavius*, Noviomagensis, edidit Argentorati *Lucubratiunculam de Batavorum Insula* 1510, ac *Historiam Batavicam* 1550, quae dicenda potius rhapsodia est; atque tandem librum *de non comburendis haereticis*, cum iam a Pontificiis discessisset, a quibus 1542. crudeliter necatus est. Scripsit *Bataviam illustatam*, a Vonko subinde hic suppleri & emendari, vel indicasse suffecerit. *Ieanus Knaap*, seu *Servilius*, coniurationem Geldro-Gallicam in totius Belgiae clarissimam civitatem Antwerpiam, duce Martino Rosheimio, Marquart. Freherus *Scriptoribus rerum Germanicarum* inseruit. Idem, bellum scripsit *Damianus a Gort*, nobi-

nobilis Lufitanus, in Belgio se tenere solitus, cuius librum infernit Schardius Tom. II. *Script. rer. Germ.* Reinierius Tengnagel, Arnheimensis, edidit opus de *Geldrorum Principum seu Ducum origine, successione, & rebus gestis, nec non Descriptionem urbium praecipuarum ac Locorum.* Erat Auctor in Academia Lovanienti Profetior Iuris. Omittimus scripta eodem referenda, quibus evulgandis defudarunt *Caspar Hortensii, Henricus Arens* seu Aquilius, *Paulus Merula*, mortuus 1607. *Ioannes Lontius, Ioannes Isaacus Pontanus*, cuius vitam persequitur Noster, *Valerius Andreas, Antonius Deusing, Fridericus van den Sadne, Wernerus Teschemacher, Ioannes Smetius, Aradius van Slichtenborst, Georgius Hornius*, in Academiam novam Hardervicensem pensione 1500. florenorum annua invitatus, *Antonius Matibant*, gener Pontani, cuius vitam Caspar Barmanus in *Traiccto erudito* pag. 213. seq. descripsit, *Ioannes Knippenbergius, Adamus Huygen.* Hic Adamus fuit filius Hermanni, Consulis Duisburgensis, vixitque ad annum 1681. Scripsit historiam suam ex monumentis fide dignis, quae ipsi ad manus erant. Variis manibus ea fuit descripta. Vonckius in optima manuscripta incidit. Huygenius partem praefationis suae, ex epistola dedicato-
ria, ab Hugone Grotio libris de Jure Belli & Pacis praemissa, descripsit. Barbariem filii, Belgio indignam, aliquot locis ab Huygenio adhibitam, extersit mutavitque Vonckius, Vir Praeclarissimus, ac historiae patriae peritissimus, qui de Academiae Hardervicensis auspiciis pag. 85. seq. eleganter disseruit. Ad Huygeni librum, belgice seu batavice scriptum, Auctor 1653. praefationem adiunxit latinam. Exordium cepit a statu aetatis suae Duisburgensi, ne quidem aedificiis publicis in trachione omissis. Ad annum 884. putavit Duisburgum iam fuisse illustre, a Druso conditum, ac inde *Drusburg* adpellatum. Hermannum anno 884. in Duisburgum tenuisse dominatum ratus; praere huic iussit ad annum 879. primum Gel-
driae

Pag. 64.

95.

- Pag. 15. *sive adedcatum Wjchericum de Pont.* Gerhardum, Geldriz
ipfiusque Zutphaniz Comitem, urbem muniviffe Seculo
XIII. ineunte, refert. Præfuit hic tractui circumiefto in-
tra annum 1202. & 1229. Otto, Comes Gelriz ac Zut-
phaniz, oppidanis indulfit ius haud comparendi coram alio,
18. quam urbis foro civili. Ducum Geldriz fuit iam an-
no 1319. confirmare iureiurando oppidanis iura fua, legi-
time partz. Privilegia urbi fuerunt haud mediocria, qui-
bus vel percontendis, vel repetendis, iam immorari haud li-
cet. Confirmationes eorum, a Ducibus profectas, Auctor
figillatim exhibet, vel fumatim enarrat, immo fata Du-
cum urbisque ad annum ufque 1595. candide
fideliterque exponit.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris Anno MDCCCLV.

Pars II.

IOH. AUG. BACHII, HISTORIA JURISPRU-
dentie Romanæ, quatuor Libris com-
prehenſa.

Lipsiæ, sumptibus heredum Lankifianorum, 1754. 8.

Alph. 2. plag. 2.

Ne in suspectas atque invidiosas Cel. Auctoris laudes ex-
curramus, cuius amabili nomine hic, quem indicamus,
liber, ab elegantia, humanitate, ac subtilitate doctrinæ satis
commendari videtur; statim, quid in eo præ aliis prælitum
sit, indicandum putamus. Soleat enim tales Viri, istoque
litterarum bonarum sensu instructi, atque amore incitati, inepte
nil moliri, sed, quod defuisse adhuc litteris excolendis, usu dia-
turno edocti, deprehenderint, sibi amplectendam perficien-
damque proponere. Cum ergo in Historia Jurisprudentiæ
tradenda atque illustranda, ita per aliquantum temporis V. C.
esset versatus, ut initio aliorum libros, Heineccii imprimis,
tanquam elegantissimum haud dubie atque accuratissimum,
sequeretur atque interpretaretur; usu sibi venire crebro inte-
lexerat, ut & corrigeret plura castigaretque, & desideraret at-
que suppleret, quam par esset in eo libro, quem propriis obser-
vationibus fundamenti loco subicere statuisse; & Iulius in selectis
sensu in eam merito inductus est cogitationem, ut suas quas-
dam

Xxx

dam

dam accuratioris sententias; plenioraque veluti lineas adumbraret, in vero declarando magis, quam fallis arguendis, verifaturus, & supplendis, quæ a superioribus præceditis essent, immoraturus. Neque tamen, ut publicæ quoque luci eas exponeret, eunim inducturus fuit, si tantum in partibus peccatum, aut in singulis passim sententis turbatum vidisset, ac non universam illam rationem, qua ceteri historix huius interpretes uti erant, laborare ingenti vitio animadvertisset, qua inherente quasi tabe, ad iustam perfectamque staturam adolefere pœri prohiberentur. Id autem in eo positum intelligebat, quod, cum siue accurata cognitione Juris publici Romani, statisque ac formæ, quæ singulis temporibus rempublicam variasset, nec ad privati Juris, legumque civilium rationem penitus percipiendam via pateret, nemini tamen referare hanc tantam, atque illam viam, ut honestissimam, sic omnium difficillimam, ingredi placuisset. Quare, cum ad eam partem humanioris Jurisprudentiæ sublevandam accessisset, quæ maxime laboraret, & in eo studio diu atque diligenter esset versatus; non auditoribus tantum suis, sed aliis quoque, quibus liberatum artium incrementa curæ cordique essent, communicanda illa ratus, hanc nobis Jurisprudentiæ Romanæ Historiam dedit, quatuor, secundum potissimas Juris statusque Romani commutationes, auctoritatemque ipsius Justiniani, * voluminibus distinctam atque comprehensam. Hoc igitur præcipuum habere propriumque hic liber censendus est, quod non *privati* tantum, sed *publici* quoque Juris Romani rationem accuratissime declarat, quam singulis libris, singulorumque divisionibus prætexuit. Ac *primus* quidem *liber*, in duo capita est distributus; quorum prius ad regiam Jurisprudentiam, alterum ad tempora post exactos eos usque ad Legr. XII. Tabb. pertinet, quas ipsas ex Gothofredo cum Paraphrasi subiecit. *Secundus*, omnium amplissimus ac copiosissimus, mediæ Jurisprudentiæ formam complectitur, quam libera republica usque ad Julium Cæsarem habuit. *Tertius*, Capite

* §. I. Instit. de legit. agnat. succ.

primo, ab Augusto ad Hadrianum, altero, ab Hadriano ad Constantinum M., tertio ab illo ad Theodosium Jun., quarto denique a Theodosio ad Justinianum pergit. *Quartus* tandem liber statum Jurisprudentiæ cum exponit, qui primum a Justiniano ad Basilium Mæcedonem, ab hoc deinde ad excidium usque urbis Constantinopolitanæ perfluit; eiusque tertium atque postremum caput, veluti appendicis loco, de revocatione Juris Justiniani in usum, scholasque Occidentis, tradit. Hæc est summa libri descriptio; in qua ipsa recessum ab aliis, accuratiusque omnia distincta, facile intelligitur. Nam & Augusti tempora cum Hadrianeis, & Theodosiana Basilianaque cum Constantini & Justiniani temporibus, ab ipso Heineccio quoque non bene confusa atque continuata, & publici atque privati iuris mutationes, quæ sub Hadriano, Theodosio Juniore, & Basilio Mæcedone factæ, in legum explicatione magnam vim habere reperiuntur, hoc nostrum iudicium aperte confirmant. Eodem modo, neque aut Edictum Hadriani perpetuum, aut ipsius Imperii Romani ante Theodosium eiusque Codicem facta divisio, aut Novellarum accessio, dispendis Juris Romani vicibus negligenda fuisse cuiquam perito videbuntur. Eas autem vicissitudines ita persecutus est V. C. ut, secundum fontes & principia cognoscendi Iuris, singulis sectionibus, de statu ante omnia publico, deinde de Legibus, de SCtis, de Jure Honorario sive de Edictis Magistratum, de Jure Civili vel auctoritate prudentum, ac de ipsis ICtis, de rebus denique iudicatis, exponeret. In *publico* imprimis *statu* egregium se præstuit, compluraque & in ipso, & ex eo in reliquis observavit, quæ ignorata aliis aut neglecta, tam difficultatum molem, quam errorum turbam pepererant. Insignis maxime est de SCtis locus, ubi, contra omnes interpretes, de civili quoque non minus, quam publico iure, iis sancitum, & de universo aliquo genere constitutum fuisse, ita ostendit, ut, fractis adversariorum argumentis, hanc SCtis auctoritatem, rationibus certis, vindicet. Etenim, cum legum in comitiis seiscendarum ratio omnium esset difficillima, ipsa necessitas interdum a Senatu exigebat, ut reipublicæ pro-

Pag. 195.

spiceret, & ius constitueret; contra quod nihil facit locus Dionysii Hal. (Lib. IX, pag. 595) ubi *annua* tantum vis SCtis tribuitur, de promptu quippe ex oratione Consulis, oratorie rem tractantis, & SCtum cludere cupientis, quod tamen & ipsam ad rem singularem atque temporariam pertinet. Quid? quod SCta legibus abrogata fuisse, exemplum docet legis *Africana*, SCtum *vetus* de Africanis bellis abroganti; (Cic. H. N. VII, 17.); superfluum sane, si in univ. tantum annua fuisse, i. Tiberti ceterum institutum, (Tacit. Ann. I, 15.) quod vulgo oportuit, eo valuit, ut hoc legum semper SCta, nullaeque amplius leges fierent. Porro autem non solum ipse Cicero (Top. V.) SCta in partibus iuris civilis ponit; sed etiam Augustus, quatenus in omnibus rebus, ex consilio Maecenas, imitanda & conseruanda libet usque Iulianus, complura SCta de iure civil. componi iussit (D. G. H. I. Lib. XLII, pag. 485); & res ipsa adeo, atque exempla, quae extant, illustrissima, nemine monente, loquuntur: in quo tamen tenendum, SCta ante Caesares nomina non habuisse. Huc pertinet potissimum SCtam de *Bacchanalibus*, de *sumptibus exoratorum*, (Gell. II, 24.) & plura alia hic collecta, atque omne suo enarrata. In SCto de sumptibus apud Gellium l. c. defendit Auctor verba: *mutua dominia agitant*, quae est explicatio vocabuli *mutitare*; ubi interpretes legendum censent: *conuicia*. Sed uti apud Ciceronem, Vat. c. 13. *dominus epularum* est, qui sumtu suo & nomine convivium praebet: *dominus funeris*, d. Legg. II, 24. qui suis impensis funus facit; *dominus auctionis*, Quinct. c. 5. qui auctionem de suo vendit; sic apud eundem Ciceronem, Verr. III, 5. *domitia* ipsa pro convivio dicuntur, adeoque & h. l. dicta eo modo esse possunt. Sed alia adhuc breviter delibabimus.

Pag. 85.

Leges & plebiscita non a comitiarum modo differre, ut hae tribus, centuriis illa haberentur, contra Heineccium, Brunquelium, ipsaque Iulianum & Lellium, SCtum apud Gellium, citendit ita, ut Lex vocabulum sit generis, quod plebiscita quoque complectitur. Leges Julias iudicarias, ad Iulium Caesarem Dictatorem non omnes esse referendas, sed

Augu-

Augustum quoque sanxisse complures, ex Sueton. Aug. 32. & Macrobd. I, 10. offendit, maleque adeo eum illius legibus has confusus ab omnibus, docet. Sic v. c. Augustus instituit, ut iudices a vicessimo ætatis anno legerentur, hoc est, secundum Suetonium l. c. *quinguenis maturius, quam solabant*; hæc autem lex manifestò in Julii iudiciorum recensetur l. 41. π . de recept. cui arbitr. recep. Pro corrupto haud dubie nomine Legis *Vestulici*, legendum censet, *Vestii Libici*, ut apud Cicero. p. Cluent. 55. Lex C. Gracchi, p. Balb. 8. & 14. Lex L. Gelli & Cn. Corneli; eamque ipsam legem Scitorum numero adscribit, & pro more illorum temporum, legis nomen retulisse existimat. *Falsa* a magistratibus etiam sub Imperatoribus proposita esse, exemplo docet edicti. *quod rei nuntioque* cap. 2, a Cassio propositi; l. 4. §. 31. π . de dol. mal. & met. except. Non aliud quidem exactum Ciceronis quidem tempore nonni semel, in Sullanorum causa, neque adeo omnibus negotiis, in quibus vis mensque versata essent, propositum invenitur. *Disputationes fore*, ex L. ult. π . pro legat. l. 32. π . de O. & A. l. 55. π . de legat. II. convincit nihil aliud fuisse, nisi id ius, quod usu, & crebris iudicium sententiis invaluerit; unde & Cicero p. Cluent. c. 5. iudices, *legum interpretes* vocat. Sed tempus nos spatiumque citius, quam copia deficiet, si, que subtilius atque elegantius ab Auctore doctissimo, quam ab aliis, disputata fuerint, excerpte omnia velimus. Admodum ipse liber est iis, qui intelligere voluerint, quantum intersit, non aliorum verba, puerorum modo, recitare, ac rivulos consectari, sed fontes ipsos scrutari, atque ex his omnia ducere. Hæc enim non alia causa fuit, cur tam multis in rebus ab aliorum sententiis discedendum sibi V. C. animadverteret. Nonnulla quidem diligentius atque uberius, quam opus fuisset, exposita atque comprobata reperiantur; sed neque id temere factum fuisse intelleximus. Nolo enim librum suum iis solum comparatum esse, qui aut suis, aut alterius cuiusdam magistrati enarrationibus uti super eo vellent: sed etiam hanc rationem habuit, qui bonarum litterarum aliqua elegantia capti, & notitia instructi, proficere hoc

in genere sine magistro cuperent. Quo quidem consilio literis salutaris cogitari nil potest. De orationis elegantia non est, quod moneamus; a Bacchio scriptum qui didicerit, nec rerum, nec verborum elegantiam abesse posse, norit.

ΤΙΜΑΙΟΥ ΣΟΦΙΣΤΟΥ ΛΕΞΙΚΟΝ ΠΕΡΙ ΤΩΝ ΠΑΡΑ
Πλάτωνος λέξεων.

i. e.

TIMAEI SOPHISTAE LEXICON VOCUM PLATONICARUM; e Codice M^{to} Sangermanensi nunc primum editum, atque animadvertionibus illustravit,
DAVID RUIHKENIUS.

Lugd. Bat. apud Sam. Luchtmaans & filios, 1754. 8.
Pag. 13.

Platonis orationem, non sententiarum tantam rerumque obscuritate, sed verborum quoque insolentia, & poetica pæne licentia, difficillimam atque impeditissimam, veteres quoque philosophos agnovisse, satis constat; idque multa eorum opera, quam in illustrando eo, vel commentariis, vel Lexicis quoque, insinse, declarat. In posteriori genere interpretum Timæum quendam fuisse, Photius iam testatus erat, & in M^{stis} Bibliothecæ Coislinianæ, nunc Sangermanensis, Codex membranaceus Sec. 10. exhibet *Τιμαίου σοφιστοῦ ἐκ τῶν Πλάτωνος λέξεων.* (quem indicem ita refugit Editor: *τιμ. σοφ. λεξικὸν τῶν τ. λ. λέξ.*) Ex eo Codice cum specimen vulgatum iam fuisset a Montefalcon. Bibl. Coislin. pag. 477. nec supervacueam operam, nec inutilem aut ingratham in toto libro edendo positurum sese ratus Noster, posteaquam per Rev. Henr. Gally, Canonicum Norvic. & Glocest. (cui etiam inscriptus est liber.) copiam eius describendi edendique a Claud. Salterio nactus est, accuratissimeque descriptum a Capponterio accepit, ipse cum Photio M^{sto}, quem apud Cel. Albertum evoluit, Suida etiam, qui complures Timæo Glos-

fas sublegit, quas Kustero non observatas merito miratur, nec non cum Etymol. M. collatum, nobis *cedis*, Hemsterhusii in primis opera sublevatus, cuius integras subinde notas interpolavit. Aetatem Auctoris, sane incertissimam, vix alio potuit, quam ad illud Sophistarum Platoniorum seculum, a C. n. tertium, referre; nec tamen, Porphyrio ut inferiorem statueret, adduci se passus est nomine eius in voc. *αρχήμισα* laudato; quod haud dubie recentius additamentum arguitur eo, quod in voce Platoni frequentissima non hic, sed imitator eius, quod nunquam alias factum, commemoratur; nec omnino mos Timaeo, scriptores nominare. Non ex solo autem Platone Glossas, sed ex Herodoto quoque & aliis, Timaeo adfutas, vocabula prima statim, *ἀγαθοεργεῖ, ἀμφιθύονες, βάθην, γεωπῆλαι, δημοποίητος, γῆτα, ἀρχώματος*, aliaque indicant. In corrigendo autem ac recensendo textu, cum Suida imprimis usus sit, plurima sane ex eo restituit corrupta, sed & ipsum Suidam, Timaei ope, non uno rursus loco emendavit. Exempla difficile esset eligere; longum, omnia commemorare: unum ergo, instar omnium, asseremus, ubi mutuam sibi operam Suidas & Timaeus praestiterunt. Est autem in voc. *βαθῆαν ἀυλακα*, ubi cum corrupte Suidas: *ἔπερ ἐστὶ σχῆος γῆς*, ex Timaeo restitutum, *ἔπερ ἐστὶ σχισθῆς γῆς* nisi forte in utroque iungendum: *σχῆος σχισθῆς γῆς*, quod nobis quoque praeplicet, cum nec ille genitivus simpliciter positus, nec *σχῆος γῆς*, satis commode dictam videatur. Sed & Timaeus vitiole in MSto: *ἀπὸ τοῦ βαθῆας φρένας, καὶ κεκρυμμένης σημαίνει*; restitutum e Suida: *ἀπὸ τούτου βαθῆας φρένας καὶ κεκρυμμένης σημαίνει*. Ad hanc normam etiam in Etymol. M. corrupta glossa refingitur: *βαθ. αὐλ. ὅπερ ἐστὶ σχῆος γῆς ὑπὸ ἀρότρου ἀπὸ τοῦ βαθῆας φρένας καὶ κεκρυμμένης*: quae quo revocanda sint, facile iam quisque videt. Sed ipse quoque ex ingenio complura emendavit. In voc. *βωμολοχία*, ubi legitur, *ἀπὸ τοῦ λοχῆαν*, recte, ut putamus, restituit, *ἀπὸ τοῦ λοχῆαν*. In primis autem notabilis locus est in Gl. *ἀποτεθρυμμέναι, ἀπηγρωμέναι κατὰ μεταφορὰν ἀπὸ τῶν τῶν δένων, ἅπερ εἰσὶν ἀγρονα καὶ ἀγρια Φυτὰ*

Cura ubi primo ineptissime Suidae eadem voce ἀπο-
 τεθρομένοι. & quod etiam monitionis, ἀπο τῶν τε-
 θρομένων. ex quo nova alibi glossa nota, τῶν θρομένων ἀγορῶν καὶ ἀγο-
 ρῶν. In auctoritate! Sed nec Linceus cavetur, si
 sua culpa lapsus est, se non captivus: nam p. 131 illa haec
 dicit ἄπο τῶν ἐστὶν ἐξ Πλάτ. Πολιτ. VI. p. 473. Οἱ πολλοὶ ἀπέλας
 μη τὰς οὐρας — — ἄπο τῶν θρομένων λαλοῦντες, ἔστι
 καὶ τὰς ψυχὰς ἐνθρομένους, καὶ ἀποτεθρομένους. nec
 τὰς ἀποθρομένους, ut ἦν & ap. a. ipsum Homericum tim-
 pios, hinc non est τὸν συνάδωσι: alibi, ut in glossa
 p. 131 ἀποτῶν, & ex captivitate videtur exorta. Tiberius ta-
 men cap. 12. Hic ubi hinc, eadem observationem, ut alibi,
 in. τὰς οὐρας, ex voce προμακτόν, ut & ἀποθρο-
 μένους. hinc comparata hinc, ubi ubi περὶ, & θρομένους. nec
 ἄπο τῶν θρομένων, hinc p. 131, ubi ubi, unde voc.
 ἀποθρομένοι. Et sine d. hinc non possimus, ne-
 que ex hoc hinc, ἀποθρομένοι, & quae alibi apud eundem
 Linceum, Οἱ τὰς ψυχὰς ἀποθρομένους, adfertur, ἀγορῶν
 continere nobis ubi ubi, ἀποθρομένοι, nec ubi ubi
 dicitur de θρομένους, sine θρομένους, (cum τῶν ἄπο τῶν θρο-
 μένων sunt hinc, & ubi ubi p. 131. Οἱ διαγνήσι,
 διαγνήσι, ἀπαλοδία, παρὰ τῶν, nec ubi ubi
 apud Suid. διασπῶσι, διαγνήσι, ἀπαλοδία, παρὰ τῶν
 ipse cap. 12, διαγνήσι, quae, corruptionis Platonem, Cuius-
 ta Helvelm. Polit. VI, 11. alibi ubi hinc, & ubi hinc. E-
 quidem omni dicitur, indicat ubi, quae ubi, & dicitur
 tur, ita concedere non possumus, ex ea observatione apud
 Plu. de Isid. & Oly. pag. 145. veram esse de hinc: ἢ
 πῶς ἂν διαγνήσι τῶν θρομένων καὶ διαγνήσι. ubi ubi
 ubi ubi verum probat auctoritatem, & ubi ubi. Ma-
 klau. & διαγνήσι, ut in prioribus eisdem locis. Tunc ubi
 μένους θρομένους διαγνήσι, nil incertum invenimus. Non
 enim obvidenda usque talia sunt scriptoribus: quod, sicut
 Ma-klau. ita & Nobis ex eisdem credimus. Sed ipsum
 quoque Platonem opera sua sepius adiuvat pag. 64 ubi
 ἄπο τῶν θρομένων, quae pertinet ad Tim. pag. 547. H, τὰ μὲν οὐκ ἐν-
 τῶν

quibus tamen complura etiam non adeo necessaria; ut de voce *ατυχήρα*; γέντι; γελῶσι; γυνάδες. Neque tacere possunt ut ait debeat, quod complures ineditos nobis libros vel suos, vel aliorum doctorum virorum opera edendos indicavit: Platonis Arabici *αρεταγωγικῆς σοφιστικῆς*, utilissimum Platonis commentarium, a Cl. Salterio edendam, se quidem ad huc; Olympiodori commentarium in Platonem, Adæ Anthologia ineditam; Basilium, scholiasten Gregor. Nazianz. in Cod. Voss. Bibl. Leid. adhuc latentem.

DELLE FERITE DELLA CUTE DEL CAPO, DISSERTAZIONE, in cui si mostra l'insensibilità del di loro pericoloso, ed il metodo, di presto, sicuramente, & con piacevolezza curarle:

i. e.

DE VULNERIBUS CUTIS CAPITIS DISSERTATIO, in qua exponitur falsitas putati illorum periculi, & methodus, cito, secure, & jucunde illa sanandi.

Venetiis, apud Franc. Putteri, 1753. in 4.
Pag. 19.

Hippocrates de vulneribus capitis Libro, de cute capitis vulnerata ita propheta: *Nulum capitis vulnus leviter contemnendum: forte enim cutis sola contusa ferro aut aliqua alia re, si non dicitur curari, & non aliqua cautione curatur, verum, si sanguis in locum non repperitur, aut aliud quidquam negatur, ulcus inerat, sicut non parum molestie exhibet, & aliquando quæpiam febrem inducit, & medico quidem negotium, æque enim periculum non minus affert. Atrox etiam levia capitis vulnera ad vitio vita in sine mortifera esse pronuntiant. Cl. Aretæ, Nicodani Caspelli, istis veterum sententias duntaxat, nec quicquam periculi ex cutis capitis vulneribus nulli posse afferri. Adhuc equidem momenta varia, quæ laxitatem eius momentosam & gravem reddere possent: si*

os pericranio suo orbatum est, si tendo communis, quo musculus epicranus totus in Galeam tendineam Santorino dictam coit, punctus, contusus est; Si sanguis, ex Hippocratis effato, sub cute, maxime sub pericranio coivit, sique lesio super foruris contigit, quarum interventu dura meningis inflammari ex laeso pericranio potest. Etiam si autem haec omnia ita sese habeant, mortis tamen periculum per se subesse non posse, evincit. Enimvero adeo graviter castigandus Hippocrates haud fuerat, in cuius texto, *de vulnere capitis cutanea uti mortis causa per se*, nil quidquam extat, sed de intellectibus saltem ex contuso capitis vulnere externo natis, deque periculo quocumvis, nisi mortis, certe mori alicuius ex male & oscitanter sanato tali vulnere nascentis, agitur. Tum laus luciosi sunt chirurgi, nec illis ad securitatem excitari oportet. Ipse quoque Clarissimus Autor in malam rem ista vulnera abire posse legitur, si chirurgus male medicatus est, si rger malus succis turget aut dislo medentium obsequiosus haud est. Ita, nec aliter sentit Hippocrates, cum de Metrophantis filio, capitis vulnus externum habente, memorix tradidit, eum propterea male mulctatum fuisse, quod vulnus scalpendo irritasset. Interea dubio omni libera est sententia, vulnus externum capitis solum, nisi forte cerebrum tremore emotum est, neminem iugulare. Imo nec omnia capitis vulnera, quae una cum integumentis eius propriis cerebrum ipsum tetigerunt, noxam absolute lethalem inferunt, & veluti, quae veteribus lethala dicta fuerunt, vulnera varia ventriculi, intestinorum, vesicae, renum, ita quoque cerebri vulnera non, nisi sub certis conditionibus, mortis causa absoluta fieri solent, si quidem causae vanae tam, quae ab extra irruunt, quam, quae in vulnerato ipso inesse deprehenduntur, vulnus sua natura sanabile, ita mutare quandoque possunt, ut mori exinde vulneratum oporteat. De vulneribus capitis intra Nosocomium *hotel de dieu* curatis & trypano subiectis, *de la Morte* sanatos fuisse nullos, qui illud accepissent ob aeris turpitudinem, proponit. Mitius sentiunt observatores academicae chirurgicae parisiensis, Tom. I. p. 88. 312. Ad

forum criminale illud theorema applicavit, & partim rationibus partim exemplis evincit, facti vulnera eoque, etiam profunda, posse, nec propterea laetitia esse, cui vulnus capiti per laetitia, multo minus, quod curatum, in illis, in-tentionem ut que praestanda esse sententiam, nec minus in-honestia Principi frequentia supplicia, quam medico, funera esse, videntur. Ut illustrius gauri non carbor reorum pro-teritibus quam chirurgis liber est, locupletissimo reorum vari-argumentum ad chirurgiam spectant vob, apparatus ferula.

*REGUM VETERUM NUMISMATI ANECDOTA
aut peccata, nove illustrata, edita opera & studio
FRANCIS ANTONII S. R. J. COMITIS de KHE-
VENHELLER, in collegio regio Theresiano S. J.
historia, mathematica, & philoso-
phia studiosi.*

Viennae Austriae, Typis Joannis Thomae Trattner, 1753. 4.
Alph. 1 tabb. 2. figg.

Augustinus Imperator, quae Theresianum condidit ac
elementariae fover, Comes Illustrissimus, merito au-
spicia scientiae suae, obedenter perinde ac reverenter con-
secravit. Dilaudat ipse Augustiniana beneficium, quo tot
sempitorum moderatrix ipsam aurei capuli gladio, inspectante
collegarum corona, defunctum felici examinis publici suc-
cessu, donare dignata fuit. Quantum hoc equo genero-
sissime currenti calcet! Examen illud ad quatuor, formis pu-
blice a. 1752. 4. 6 plagulis descripta Vienna & ad singulas
scientias referenda, sui attemperatum. Quibus illis pra-
fixus fuit titulus: *Materia tenamini pulchra, quod in Cole-
legio regio Theresiano S. J. ex auspiciis huius scholastici pra-
cellentissimi subdit Illustrissimus Dominus Franc. Com. de
Khevenhüller, praesentibus in secundum annum aucto-
tor.* Numismata illa anecdota, aut certe peccata, manerent
ac illustriorem sui partem ex Austriae thesauro, aut ex ex-
melarchio Augustissimi Imperatoris deprompta sunt. Trec-
tabulae,

tabulae, figuris, in æ incisis, spectabiles, numos illos, opere ipsi illustratos, referunt ac repræsentant. Spectantur hic Archelaus, Regum Macedoniæ, Persicæ Sæpæ, Epiri, Syriæ, Bithyniæ, Illyrici, Parthæ, Persidis, Numidiæ, ac Mauritanicæ, Iudææ seu Herodiani, Edessæ, Alaniæ, Bospori, Sauromatæ, atque vicinarum gentium, Ponti, Thraciæque Regum numismata. Delibare novæ ex gratissimo fonte potiora. Primordia capta sunt ab Archelao, Macedonum Rege, eoque in argenteo tetradrachmo, petto caput recto, dextra duæ hæntæ præputas ac dextram in alto, sinistra sinuum tenente. Inscribitur in reversa effigie, idæ capra retrospiciens, cum sigillo Ἀρχελαου, intra quadratum. Caranus enim Rex, cum hisce partibus in breui fugentibus, Edessam occupavit, idæ que vocavit *Arçam*, seu *caprarum urbem*, teste Iuliano VII. 1. Archelaus, Perdicæ II patri, in regno successit, Ptolempis regis. Thucydide autore L. II, p. 145. memorante caprarum adparatum militarem, ab Archelao curatum & indichum. Archelaus vocatur Perdicæ filius ab Athenæo *Dips.* L. V, p. 27 & in *Marmore Arundelliano*, alibi. Iam quendam atque Lufebii p. Isteris Archelaum, esse commentitium, Auctor ostendit, subterfens seriem Regum Macedoniæ, in qua omnino potissime Diocletianum sequitur. Annos regnantis Archelæi, Regumque Macedoniæ ad Alexandrum usque M. solerte exquirat & demonstrat. Eandem diligentiam adhibuit ad reliqua numismata illustranda. In *Arçam*, Rege Sæpæ Persicæ, distinguendo, multus est & sedulus. In antea numi adparat caput, mira Persicæ comode rectam, vultu pinguiulo & imberbi. In p. lica hæc leguntur: βασιλεως Ἀρσαμης θεοσεβους και δικαιου. Intra hæc, in medio, erectus vultus thyrsos, cum dextris hæntibus decussatis. Designari Auctor credit Artamem, Artaxerxis Mæmonis filium, Ochi fratrem, Darii patrem, memoratum a Diodoro Seculo I. XVII, p. 400. & Plutarcho in *Artaxerxe* p. 1026. Regum Persidæ præfecti etiam Reges Ἰνδοί fuerunt dicti, ipsi vero *Indiæ Reges* appellati. Artames fuerat Mæmonis nothus, & ex ancilla genuit Darium Codomanum.

Pag. 3.

9.

13.

18.

35. Nullus alius adhuc productus est numus, qui vultum Regis Persie in ære exhibeat. Succedit dein numus, Alexandrum Molossorum Epiri Regem referens. In eo habes fulmen intra læream, & inter utrumque litteras ΑΛΞΑ. ΤΩΝ. ΝΑ. id est, *Alexandri, qui erat Neoptolemi filius*. In parte altera nihil adparet epigraphes. Stat hic aquila, & post eam tripus. Aquila & fulmen ad Jovem Dodonæum spectant. De illo Alexandro Rege consulendi sunt Justinus XVII, 3. & Diodorus Siculus L. XVI, p. 465. Bella eius in Italiam tentata, exsequitur Livius VIII, 3. 17. 24. Neoptolemi ex fratre Aeacide natus fuit Pyrrhus, Rex Epiri, qui ad tempus Macedoniam ac Siciliam tenuit, Romanorum vim expertus. Numus, qui ad eum refertur, parvi moduli est, & æneus, mira industria hic illustratus. Ad Seleucum I, Syriæ Regem, oratio hinc divertit. Caput eius, in numo, diademate ac duobus exiguis taurinis cornibus ornatum, facie integra adversa conspicitur. In postica leguntur voces, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΣΕΛΕΥΟΥ. Rex ibi eques, militem armatum & scutum obtendentem proculcat, dextra telum vibrans. Statuis Seleuci cornua fuisse imposita, auctor est Appianus de *Bellis Syriacis* p. 124. Cornua illa exigua ad Iona, Inachi filiam, eiusque cultum, sunt referenda. In numismate argenteo tetradrachmo perelegante, ad Nicomedem I Bithyniæ Regem referendo, adparet caput diademate cinctum, sine barba, facie perhonestâ, & ad occiput acrostolion. In postica legitur epigraphic, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΝΙΚΟΜΕΔΟΥ, ac simul visitur Diana, alte succincta, saxo aut arboris trunco insidens. Ipsa duas hastas præpilatas dextra, sinistra laqueum vel fundam tenet. Ad pedes reclinatus est clipeus, eleganter ornatus. A tergo stipes arboris prominere. In areolis spectatur victoria, & alia nota quadam. Dianam illam Thracem, e quibus originem traxit Nicomedes, adpellarunt *Bendis*, i. e. filiam illius Unius. Dux hastæ, in eius dextra conspicitur, ad Dianam spectant Thracicam, teste Hesychio in voce Διολύχου. Progreditur hinc A. ad Gentium, Illyrici Regem. Eius in numo caput imberbe est, petaso tectum. In postica legitur epigraphic, ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΓΕΝΤΙΟΥ.

GENTIOT. Intra hæc verba adparet navis, sine velis remis-
 que. Numus haud alibi productus. De hoc Gentio exponunt
 Livius XLIV, 30, & Polybius apud Athenæum L, X, p. 440.
 Navali bello imprimis excelluit Gentius. Perseo adversus Ro-
 manos improspere opem tulit. De numo *Regis Mysidis*
 sibi nihil legitur. Produxit cum primus Ill. Comes, qui
 numos Parthicos Persicosque, græcis litteris insignitos, ex
 Perside nuper allatos, rarissimosque, delineari fecit, ac se-
 lid si no commentario prosecutus est. Dapibus hisce inest
 non nihil, a cæna Vaillantii ac Nicolai H. ym subinde alie-
 num. Dolebunt eruditi, non singulos numos, eos etiam, qui
 Persicis litteris sunt signati, simul hic exhiberi. At solatur
 nos spes, ab Illustrissimo Auctore accensa, fore, ut Augustissimi
 ac Invictissimi Imperatoris *Francisci* munificentia, fi-
 guris accuratissimis expressi, publicam in lucem aliquando pro-
 deant. Comes nobis gratissimas præbet delicias, exhibens
 numos Regum Numidiz ac Mauritaniz, nondum alibi spe-
 ctatos, dilatatis genealogiz sinibus coniunctos. Numeros, in
 illorum numis conspicuos, erudite de annis regni exponit.
 Herodiadam genus, tempora, numos, Agæppæ II. annum
 emortualem, ac complures maximi momenti res, nobis aperit,
 quæ hic edisseri sigillatim nequeunt, ex ipso fonte potius hau-
 riendæ.

Pag. 75.

76.

PAULLI MARIAE PACIAUDI, CL. REG. PRES-
 byteri, de sacris Christianorum balneis, liber
 singularis.

Venetis, ex typographia Radiciana, anno 1750. 4.

Plag. 5.

Auctor libelli, V. Cl. qui singularem suam in rebus anti-
 quis eruditionem iam variis ingenii speciminibus satis te-
 statam fecit, illustre sibi ex re antiquiori sacra delegit ar-
 gumentum, a nemine ex instituto satis pertractatum, sci-
 tu tamen necessarium, & satis iucundum. Veteres, sacro-
 rum & religionis causa, læpe lavasse, eique sui aquas non
 aliunde

Cap. I. p. 1.

- aliunde allatas; sed sponte, vel in fluviorum alveis decurren-
tes, vel ex fontibus proficentes adhibuisse, antiquorum ce-
piorum testimonia satis confirmant. Quod cur fecerint, du-
plicem habuisse videntur causam: alteram, quod fluminum
fontiumque aquis, singularem ac maiorem, quam aquis flanti-
bus, vim adhiberent: alteram, quod aquas has divinitatis
quodam iactata permoveri atque agitari sibi persuaderent.
Ex eadem etiam ratione patet, quare Asiaticis pariter ac
Romani, etsi amplissima balnea haberent, tamen, ubi sa-
croorum causa se ablaerent, ad fluvios & fontes iverint.
3. Quod insinuatam, etsi antiquitus satis receptum usque confir-
mationem esset, tamen id postea inter profanas gentes paullo
immutari cepit, ita ut & balnea lustrationibus adhibere inci-
perent; id quod *Apulei ac Gregorii Nazianzeni* testimoniis
confirmari posse, doctissimus Auctor ait.

Quum autem antiquitus nulla fere celebrior urbs exsiste-
ret, quae balneis careret, ac praecipue Campania, salubribus
aquis, ac pluribus hanc ob causam constitutis balneis, sese
commendaret; tum & inter haec imprimis nobile illud fuit,
quod antiquo iam tempore *Fons episcopi* appellabatur. Id
ad eorum classem pertinuisse, Auctor celeberrimus existimat,
quae sacris usibus & lustrationibus apud veteres Christianos de-
strata fuerint, in quo, quae verba eius sunt, *viri rem sacram
sacrosanctam, & canonicam, per aliquot ecclesiae secula, statis anni tem-
poribus ablueruntur.*

- Cap. II. p. 5. Ac de hoc balneo, quod *fons episcopi* appellatum fuit,
exstat vetus epigramma, inter ea epigrammata XXXII. quae
in tot balnea prope Neapolim iam olim confecta sunt. De
epigrammatum horum Auctore, tot diversae sententiae, quot
coarctae fere manuscripti, atque editiones literis impressae
sunt. Proderunt illa coniunctim, non solum Neapoli 1505.
sed etiam Venetiis 1553. 1587. & rursus Neapoli 1595. sub di-
versis inscriptionibus, quibus illa modo *Eufasio de Matera*,
modo *Alcaximo*, modo *Eufasio* tribuuntur. *Capacius, Eabo-
litani vatis* carmina esse, existimavit.
6. Extant horum poematum plures codices manu exarati,
qui

qui ab Auctore nostro diligenter percententur. Addit, eos sese decipere, qui omnium horum poematum unum Auctorem existisse sibi persuadent, atque putat ex hoc errore causam esse deducendam, quare, in designatione veri horum carminum auctoris, editiones tam valde inter se discrepent. Provo-ocat hanc in rem ad codicem Paulinum chartaceum, quo illa partim *Alcadias*, partim *Eustasio* tribuuntur, ac de his poetis nonnulla exponit. Ipsum epigramma, quod de balneo episcopi agit, quodque ab *Eustasio* exaratum autumat, inter reliqua XXXIV. de balneis epigrammata relatum ex antiquo codice, tot picturis ornato, quot balnea, & quot epigrammata in isto sunt, ita emendatius exhibet:

*nomine fons tali fruitur, quod competat agris,
vel quia pontificis cura refecit opus:
arcticis prodest, tollit genus omne podagra,
hunc habet expertum pontificale genus:
& quia pralatis requies nocet, atque parapsis,
torquentur magno saepe dolore pedum.
quum constipatur cibus, & intercluditur intus,
inde dolent ventres; s'ia densa crepant:
tales ergo tibi si vis lenire dolores,
pontificis fontem, vade, sequere celer.*

Pag. 8.

Agunt hi versus de balneo illo, quod *episcopi fontem* nuncupavit antiquitas, & ut ceteris epigrammatibus, ita & huic, elegans satis, prout temporis ratio ferebat, pictura in codice, quem XIII. Seculo exaratum noster auctor credit, addita est; quam delineandam, atque ipso opusculo præfigendam curavit, quoniam multa in illis se invenisse arbitratus est, quæ ad uberiorem sacrorum horum balnearum intelligentiam facerent.

Antea vero quam ad ipsam picturæ huius interpretationem accedit, alias codicis sui figuras & picturas cum antiquis scripto-

Cap. III.
pag. 9.

LZZ

pto:

- ptoribus comparat, hosque ex illis illustrare conatur. Observat hanc in re: veterum balnea in tres partes distributa, ac superiorem eorum partem *calidarium*, mediam *tepidarium*, & inferiorem *frigidarium* adpellatam fuisse. Confert id cum ipsis codicis figuris pictis, atque addit, quod, quum *Andreas Badius*, balnea lectis haud instructa fuisse, conendat, contrarium hęc codicis memorati figurę doceant, ac cellulas quasdam exhibeant cum lectulis, & inscriptione: *tentoria infirmorum*. Ita ostendunt illę quoque satis nota illa *typhocaula*, ex quibus ad balnea per tabulos calor traduci solebat.
9. itemque lavantes cum libris in manu, pro more veterum, qui inter lavandum nonnunquam lectioni aut meditationi operam dare solebant. Satis parvo conilat, quod antiquo ævo utriusque sexus sæpe communia balnea extiterint, quodque sæda hæc, quę libidinem inflammavit, consuetudo, variis imperatorum legibus & conciliorum decretis interdicta fuerit. Id itidem ex figuris codicis laudati potest illustrari, quę præ se ferunt *balneum Arculi & Culma*, ubi nonnisi mulieres lavantes depinguntur. Servi balneatores, qui a prisca scriptoribus *thermarii*, *aquarii*, *unctori*, & *fofnacatores* solent adpellari, itidem his picturis in conspectum prodeunt; cuiusque satis constat, apud Romanos quondam balnearum parietes magnis ac pretiosis numidicis marmoribus, aliisque præstantibus lapillis, certo ordine positis, ornatos fuisse, tum id itidem in his picturis observari, & quę parietum horum forma ac ratio extiterit, ex illis intelligi potest.
10. His expositis, ad ipsam picturam accedit Auctor, quę sacrum, uti adpellat, balneum refert, quamque suo opusculo præfigendam curavit. Cernuntur in illa primum bini episcopi, alter *penula* magna, quę subinde *plincta* nomen obtinuit, aliter *Dalmatica*, quę *chirodata* est, indutus. Neuter vestes clavatas habet; mitram autem uterque bicornem, & pallium, quod ipsi argumentum suppeditat, quædam de pallii usu apud veteres differendi, atque observandi, ex eo non colligendum esse, quod duo hi viri archiepiscopi fuerint, quum & alii episcopi istud gessaverint. Addit porro, utrumque horum
- 11.
- 12.
- 13.

rum virorum manum ad benedicendum porrigere, & quidem eo more, quem in eiusmodi benedictionibus ecclesia Latina observavit, & qui a Græco paululum diversus est. Cernuntur deinde duo homines cucullati, brevi veste a capite ad talos revoluta, atra & nigrante. Hos monachos esse statuit, atque quoad nigrum eorum vestium colorem variis testimoniis probat, quod etsi iis, qui sacro cuidam ordini adscripti fuerint, nullus in vestibus color præscriptus sit, nigrum tamen veteres plerumque reliquis omnibus prætulerint. Intra balneum porro conspicimus viri ecclesiastici, qui servorum thermiarum ministerio abluuntur. Viros ecclesiasticos esse, ex eo patere Auctor noster putat, quod tonsura in coronæ modum sit facta, refutatque simul eos, qui sacri ordinis viros balnea propter pedum morbos adhibuisse, autumant.

Pag. 14.

15.

Quum deinde ad causas balnea frequentandi ex Clemente Alexandrino enumerandas accedit, iniuriam fore antiquis Christianis putat, si eos oblectamenti aut libidinis causa eo se contulisse, quis existimaret, sed factum id fuisse ad novos spiritus sumendos; & si quoque prohibuissent veteris ecclesiæ doctores balneorum usum, interdictum hoc tempore publicæ poenitentiae promulgatum solum esse existimat. Hunc apud veteres Christianos balneorum usum, *Tertulliani, Augustini, Eusebii, Irenæi*, & aliorum testimoniis comprobat, atque observat, eos, antequam ad sacra se contulerint, sese lavasse, atque a sordibus purgasse.

Cap. V.
pag. 16.

17.

18.

His expositis, ex *Hugone Monardo, Benedicto Hastedo, St. Guilielmo, Luca d'Acherio, Mabillonio*, monstrat, monachis necessitatem impositam esse, certis statutisque anni temporibus sese lavandi. Addit testimonium ex vita sanctæ Etheldredæ apud *Hensbentum & Papbrokium*, ac sibi persuadet, fuisse in monasteriis balnea eiusmodi intra ipsius ædificii septa, nisi quod ii, quorum opes fuerunt tenues, thermis illis usi sunt, quas Christiani honesto loco extruendas curassent. Causam istius moris ex *reverentia*, ut cum *Mabillonio* dicit, *sacrae communionis*, accessendam esse arbitratur; qua in re ipsi am-

Cap. VI.
pag. 20.

21.

- babus manibus concedimus, ubi hæc ita intelligi valet, ut propter externum corporis cultum, externamque mundiciem, ad quam in sacris natura quasi ducimur, lavationes istæ institutæ sint. Differit tum de translatione balnearum usus a monachis ad clericos, & existimat, consuetudinem sese certis statutisque diebus lavandi, ab his ab illos deductam esse.
- Pag. 22.
- Cap. VII. Accedit ad illustrandum insignem eadems Theodosiani locum, *libr. IX. tit. 45.* quo de balneis intra templorum septa collocatis sermo est, & quo istis, uti aliis eiusmodi, quæ templis addita olim sunt, locis, cellulis videlicet, domibus, hortulis, alyli ius impertitur. Ex hoc effato probari posse contendit, eiusmodi balnea solummodo sacrorum munus, hæcque tum, quum sacra facerent, patuisse. Tala balnea templis addita, plurima a pontificibus Romanis exstructa Romæ fuisse, variis testimoniis confirmat. Provocat hanc in rem ad ea, quæ
24. *Anastasius*, in Hilarii, Symmachi, Adriani I, & Damasi Papæ vitis observavit, ac simul *blanchinum* refutat, qui thermas Damasianas *iuxta titulos* positas, & ritibus baptismalibus destinatas fuisse, adferuit. Id negat Auctor noster, ac modo dictas thermas non ad baptismum, sed ad lotiones adhibitas fuisse, tam ex nomine, quo illæ aquæ, quæ baptismis inferebant, *fontes ad baptisterium. fontes baptismales*, nuncupari solebant; quam ex ipsis Anastasi verbis ostendit. Thermis Damasianis
25. adungit, quas Gregorius IV. ædificavit, & quarum itidem Anastasi fecit mentionem; his vero alias, extra urbem olim constitutas, cuiusmodi fuerunt Ravennæ, quarum *Agnellus*, vita S. Victorii meminit: Neapolis, ubi balneum sacrum fuisse, ex *Ioannis Diaconi chronico episcop. Neap.* probat, eoque hæc verba: *pro lavandis curis saponem dari sancivit*, refert, quamvis nec *Mazochii* interpretatio, a nostro Auctore memorata, *curam per curionem vel parochum* explicantis, nec ipsius nostri auctoris emendatio, qui pro *curis furis* substituit, multum admodum probabilitatis habeat, valeatque ad comprobandum, quod a S. Agnello balneum ad clericorum usum ædificatum fuerit. Addit hæc verba de *Nastriano antistite: hic fecit balnea in urbe, & alia in gyro ædificia, qui*
27. *usque*

usque hodie *Nastriani balneus* dicitur, ex quibus tamen verbis confici haud potest, quod ipsa hæc balnea clericorum solummodo commodis destinata fuerint. Quomocunque tamen res ea se habet, *Nastriani* huius antistitis exemplo, sine dubio *Puteolanum* aliquem antistitem excitatum fuisse auctoritat Auctor, ut balneum, cui *fontis episcopi* datum sit, ædificaretur. Hoc itaque balneum in pictura illa, quam æri incisam, & commentationi huic præpositam cernimus, Auctor representari sibi persuadet, atque in primis inquirat, quid sit, quod in memorata hac pictura, duo episcopi, alter Græcus, alter Latinus, cernantur. De eo potissimum hanc ob causam querit, quoniam eo tempore, quo tabula eius picta est, Græci iam a *Rogero Normanno* regno pulsi fuerant. Ad hæc ita responderi posse existimat, ut balneum istud a viro *Neapolitano* pictum fuisse dicatur, quumque is probe sciret, *Neapolim* binas præfulum gestare sedes, alteram Latini episcopi, alteram patriarchæ *Constantinopolitani*, eius vero rei memoria illo tempore maxime recens, haud intercidisset, factum esse, ut duos illos pontifices pictor adposuerit, quo patrium morem, per tot secula confirmatum, per id exprimeret, ac vivis quasi coloribus depingeret.

Pag. 28.

Hæc expostis, aliam offert questionem, quid nimirum sit, quod episcopus *Puteolanus fontem* istum, uti dicitur, *episcopi*, non prope suas ædes, sed ad maris oram extruxerit? Factum id fuisse auctoritat, partim quod forsitan loca, episcopo contemina angusta fuerunt, partim propter persecutiones, in quibus Christiani sæpe thermis pro templis fuerint usi; quumque factum id balneum in antiqua & maxima *therma* fuerit positum, facile inde causam situs, quem balneum id habuerit, intelligi posse arbitratur. Sed unde probari poterit, thermas has iam a persecutionum tempore, ministrorum sacrorum commodis ac lavationibus fuisse destinatas? Addit aliam causam, nimirum ut longe a strepitu populi huic sacre lavationi incomberent presbyteri. Sed unde probabit reverendus Auctor, eiusmodi lavationes, ante sacrorum cultum institutas, re ipsa pro cerimonia quadam sacra habitas, ideoque in locis,

29.

ad omni strepitu remotis factas fuisse. Ex eo enim, quod ante sacra lavaverint veteres, non colligi potest, ipsam lavationem exstitisse religiosam.

Cap. IX.
Pag. 32.

Quare nonnulli eam dicunt balneorum, uti apud ethnicos, sic & apud Christianos, usum, aut qua xate fuerit vetitus, sequentibus disquirat Auctor noster, nec causam ipse definit, quæ ab eo repetenda esse videtur, quod abstinentiam ab externo corporis calu atque munditie, cum plianu ac luchi convenire veteres arbitrabantur, unde & eiusmodi lavationes quodammodo potissimum tempore interdictas reperimus.

31. Inquit deinde, quomam postea tempore balneorum publicorum cessavit usus, ac recte observat, post Vandalos, Gothos, Hunnosque, ea xate frequentata fuisse, quom in rem ad Prisertheoris in historia Gothica Procopii Cesarensis, aliorumque testimonia provecit, atque inter alia veterem picturam commemorat, quæ Wencelao Imperator in baino Pragenfi cum anelis thermis cernitur.

32. Ad finem huius commentationis adnectit auctor noster pauca de antiquitate ritus, agnos Dei, Christianis in ecclesia Romano-catholica distribuendis & quomvis ipse tempus, ad quod consuetudinis huius prima referenda sint mita, deinde sibi laud sumat, occasum tamen, eam gustandi, pronam fuisse autumat, ad abolendum perditionem in rem, tollendamque superstitiosam consuetudinem, serendo *weget Barken*, huius re turpialia & insignitas, & obscæna phylactera. Quo dæ autem addit, agnos Dei consecrandorum usum inde omnem fuisse primis Christianæ religionis semis, inde inter

34. 35. fuisse. Nullo eam idoneo testimonio pneti conprobati, prout Christianorum temporibus, eiusmodi *agnos*, ut vocantur, *Dei*, cognitos & usitatos fuisse.

Atque huius commentationi est epistola Francisci Peperi, ad doctorem nostrum in Archæam dæ, de significatione vocis *Parasæ*, de qua illum propter hos Eusebii poete versos:

*Quia paralati requies necesse atque parasæ,
consequuntur magno sepe dolore paralati.*

confuluerat. De ipsa hac voce, eiusque in prisca scriptoribus obvia significatione nihil novi dicit, nisi quæ iam dudum doctissimi ex *Pelucii exomphali*, & *Hidori gl'fario*, nota fuerunt, & quæ ex recentioribus *Martiano Martino*, *Pelucii Hidorige* interpretes, *Stephanus* aliique, iam dudum observaverunt. Quod vero ad ipsam horum recitatorum versuum interpretationem attinet, voce *parapsilva* lautiores epulas, aliæque edulimenta poetæ esse intelligenda, existimat, quæ corporis agitationem requirit. Hæc quum careat prælati, eiusmodi cibi sumachus ipsorum intellecti sunt. Ut omnes rationes ostendant, Eustathius poetæ sui xvi prælatos, desidia marcescentes, voracitateque indignes, perstringere voluit. Auctor vero huius epistolæ utramque negat, & tam poetam, quam ipsius ordinis ecclesiastici vros defendit. *Ego autem*, inquit, *benignus cum prælati agens, ita Eustathium redderem: quoniam prælati sacrarum rerum procuratore perpetuo defuncti, omni exercitatorum genus negligunt, quod de requiete intelligendum est, & quod in vobis vati ne peccent, quod ad parapsilva refert, eundem sumachum, ventris enim illius, aliterque illi sumus turbas sum experientur, quæ perlegam vel cocant, vel certe ferunt.* Quis autem non videret, hinc explicationem, quod pace Auctoris dicimus, legendam esse, & maxime improbabilem.

*IO. FRIDERICI WEIDLERI, BIBLIOGRAPHIA
astronomica, temporis, quæ libri, vel compesiti, vel editi
sunt, ordine servato, ad supplendam & illustrandam
astronomiæ historiam digesta Accedunt Historiæ
astronomiæ supplementa.*

Wittenbergæ. Sum. Godof. Zimmernanni,
Anno 1755. in 8.
Plag. 12.

Auctor Cel. & de Mehusi præclare meritis, librum hunc,
hortata Celeb. Astronomi Parisini, Dn. De l'Isle, invi-
tatus,

tatus, iam anno 1748 scripsit, & omnem amplificationis & editionis curam, eidem, ita iubenti, permisit. Sed cum De-
 lileus, aliis laboribus impeditus, bibliographiam astronomicam nec perficere, nec edere poterit, Auctor ipse eandem, multis interea temporis accessibus locupletatam, publicandam censuit, ut alii idoneam occasionem habeant, eam, ubi visum fuerit, absolutiorem reddenda. Enumerantur autem, uti inscriptio docet, tituli librorum astronomicorum, maiorum minorumque, addito tempore, quo, vel compositi, vel editi sunt: quod institutum, ad illustrandam astronomie historiam, haud exiguam utilitatem asserere posse videtur; imprimis cum auctores sint paginae historiae astronomiae, a 1741 ab Auctore usque, unde uberior rerum, in libris laudatis traditum, nonnulla permissa. Nec minus titulis librorum, qui post a. 1741. prodierunt, addita sunt Aetorum nostratum, & aliorum diutiorum literariorum loca, ubi de illorum argumentis copiosius disseritur. In supplementis denique historiae astronomiae, varia illius libri capita, vel emendantur, vel illustrantur, vel suppleuntur. Optandum est, ut alii Mathematici, praetero Viri Celi, exemplo imitati, ceterarum Mathematicarum partium, in quibus quisque imprimis elaboravit, historiam, pari cura ac diligentia illustrent, efficiantque paulatim, ut perfectam totius Mathematicae historiam habeamus.

AN ESSAY ON THE COMPOSITION, &c.

h. c.

DE RATIONE COMMENTANDI, QUAE USI FUERUNT
 veteres, & praecipue Plato, periculum criti-
 cum, IACOBI GLIDDESI.

Glasgow, 1748, 8. maiore.

Alph. 1.

Librum hunc praeter absolutum Auctorem non vidit. Perceperant opera ad pag. 257. quum fatum eum avocaret. Postea ex pagina, ex eius schedis collegit & edidit Vir doctus, qui nomine celato praefatus hunc operi fuit, & simul de Gliddesi vita breviter exposuit. Scotus ille erat, studii
 in

in academia Edinburgensi dederat, inde foro causisque dicendis optavit, oratio vero legendis bonæ ratiæ Græcis & Latinæ sunt tribus. Lentæ excedens illum tabis, si centum annis, intra septimum aut octavum ætatis huius, hincit. Quis cum Sæculi huius nascentem viderit annus, quis rapuerit, non contat; quum editori ad prode non placerit. Conficitur opella hæc sedecim sectionibus, quarum prima vim bene constructæ orationis, & præcepta bene construenda, tradit, & studium laudat, quod ea in re veteres passere. Secunda persequitur tria præcipua compositionis, id est dictionis, generis, sublimis, elegans, & quod inter ambo mediam est; quomodo inmissa poësis in solutam orationem, & quo studio veteres Homerum imitati fuerint, naturæ ipsius imitatorum, ideoque semper probatum, & semper placitum. Tercia, (incipit enim auctor hinc per illustriora exempla ire,) Xenophontem exhibet imitatorum Homeri, eiusque dictionem, quod in cæteris quoque statim nominandis auctoribus continuat, veris depingit coloribus atque æstimat. Quarta Herodotum, monstrat, ad Homeri exemplum respexisse, & sepius id exæstulisse. Quinta Thucydidem producit in medium, quem perhibet, quamvis Homeri negligens non fuerit, hinc tamen videri studiosiorem atque similiorem. Sexta, & proxima deinceps octo sectiones, ad unum Platonem pertinet. Dux posteriorum in Demosthene consumuntur.

Re nota est, vacante dubio, veteres Homerum atque d'Ugentem in India præteritis traxisse, invenitque memoriam inculcatam, eam Alcoranum suum Muhammedani fecerit. Inde tales quasi eius vestigia & fragmenta, toties ad eius scribas allusiones innotuit veterum scriptis, ut ea perfecte intelligere Homero non tam facilis nemo queat. Infant quoque hæc auctor non male dictum, ab Anglo allegatis, & cum Homero comparatis, bene multum, qui non vicantur nisi uni patri poëtae similes atque semina debere. At infans quoque non pauci hoc communes, eius illis ante Homerum nutritus potius videtur cum laque infillasse. Exccrare solet amor. Peccant æqualiter, qui sapientiam omnem uno coercent Homero,

& qui libro *Geneleos*. Quod de virorum d' fione & vero cuiusque colore disputat Geddclius, nota sunt plerique, ut ea quidem rectura superlativum fit. Platonem autem quum non omnes pariter leveant, multos inter emula ebrietas & amplexus d' fimationes accusantibus, & gentium appellentibus philosophum, dignum est ex quo Morte pro ipso exultando per multas paginas perorat, & nihil breviter verilogi.

Sapere rebus apud Platone non velle si non vult, qua in vulgus natus sciantur esse, & erant, quod dicitur, etiam negantur hic, qua ille affirmata fuerant. Non potuit ea res huiusmodi reprehensionem effugere, non repentinum, quo Plato quocumque sine, & quam indignis personam, statuat. Ad id autem si probe attendatur, potius verum in petitorum esse philosophum existimat Britannus. Id nempe vult Platonem, eaque de causa scripsit volumina sua, quam ex Geddclii sententia nunc indicatorem hinc. Solutus post Socratis excessum sustinebat magistri existimationem, & perperat eius dactylas, hostesque debellabat, quibus cum dicitur per omnem vitam luctandum fuerat, sedemque, quibus illi, armis saltem eorum commundebat. Vehant nempe illa aetate Sophista, genus hominum venus, nugax, garrulum, arrogans. Oratoriam artem dicebant nescire, & quod de re utramvis in partem d' fectabant, volubili, sed levi, facundis. Hos aggressus Socrates, quo minus temulitas d' lictoreter propius, simulatue honoris, & ignorantia rerum emulorum, ut tales viderentur sedit Morte. Platone, brevi quidem eis prosternebat, & ad scientiam a guber, non tamen confitebat oratione tam gratia d' ftinge, quam valente nervis, contemptus a superatiosa, plebetam eloquentiam d' fentibus. Ad huiusmodi hinc magistri celebrat d' fepulchro, probe intelligebat, hanc se tantum eius d' fctura em, neque d' fcturam rem d' fcturas eius esse, nisi minus, et d' fcturas dictione s' fctenda velle si que an seeret, & ne se hinc d' fcture, neque per seculum, modo d' fcture s' fctet, quoniam sophista a vero eloquentia, re impio, que p' fcturatur, emicantur, non in cognitione abessent. Magnabat an em ab oratore Platonem, ut
de

& arguenti sui, & auditorum, bene gnarus, rei propositæ veritatem, sollicita momentorum libratione indaget, clara in luce se ponat, animosque errore & vitiiis repurget, assensum inanis, aut delusis, non extorqueat, sed persuadendo a voluntibus impetret. Id ipse per libros suos consecutus est, sive divinas, sive civiles res, aut naturales, agitare, aut indolem animæ considerare; eruere veritatem, accendere lectorem in amorem dei virtutumque studium, ubique persuadere, non cogere, satagens. Hinc nata anxia momentorum in utramque partem pensatio, & anceps disputandi genus, quod eo non tendit, ut subruat & convellat omnia, (magni enim momenti si quæ tractat argumenta, ut sunt, quæ ad cultum dei moresve pertinent, certa cum fiducia de illis asseverat,) sed ut Sophistarum garrulitatem luculenter perdomet, atque derisui exponat. Non omnia Platoni, tanquam sic consenti, tribuenda sunt, quæ scriptis consignavit, sed multa sunt colloquentium, ut sit in dialogis, quæ prius exponi debebant, antequam refutarentur. Refutat autem, quæ sibi displicent, & sancit placita sua, Plato sub Socratis, aut Parmenidis, aut Timæi, hospitumve Atheniensium atque Eleensium personis, nunquam sua. Ceteræ personæ omnes sunt alienæ & iniuriæ, quas confutatum ille Plato. Sæpe quoque, ut orator coronæ callens, disputat pro captu auditoris, neque ultra procedit, quam is ferre valeat. Quo factum sæpe fuit, ut gravissimæ quæstiones abruptæ, & in medio positæ relinquereentur. Sæpe quoque argumenta, quæ in dialogo quorundam ita tractaverat, ut ea tantum conturbare voluisse videatur, in alio resumit atque expedit, si quem scilicet nactus esset, aut sibi sumisisset atque sinisset, collocutarem aut perspicacem satis, aut satis obsequiosum & doctrinæ patientem. Verum ubi res ipsi cum homine tumido & sapientia sua pleno est, cui aures ad restra monita surdæ, non producit rixam ultra dubitationem. Iræ non dubis, & ignorantæ, suæ confessione constrictum hominem, nihilum facit, & plorare iubet. Hinc tenuit morem in Euthyphrone, quem pingit supersticiosum hominem, qui sibi videretur rectam colendi numinis

rationem penitus perspexisse. Hanc quod videret doctrinam haud capacem prae fastu, non docet quid sit deum colere, sed ad confessionem ignoravit & suam ea re tantum adigit, in qua sibi quam maxime sapere videbatur. Cum Protagora quaestionem agitant Socrates Platonicus, dicitur ne queat virtus, nec ne? sua professione variat, si professum sapientiae gloriam contradiculis impleret. Uterius non procedebat. Et sane ultra per se haberi terminos egisset, si tam supercili hominem eo adiret, ut doctrinam Socrates exspectet. Menonem vero nactus, citius a eum pro Sophistici contubernii non probris manum, doctrinam tamen atque sanctorum, interrogat quid virtus sit, & discernere quod; ischta de in disceptatione tandem eo devenit, ut tandem negat doceri posse, sed a deo eam dari atque inspicere.

Docuit Geddesium hanc animadvertio inter Platonicos dialogos archus, quam vulgo existimator, vinculum intercedere. Liqueat quorundam nexus; ut Theaeteti, Sophistae a quo Politici, in quibus quum non argumentum tantummodo, sed & ipsos collocutores continerent, videtur exserto veluti digito firmum huius trigrammum nexum demonstrare voluisse. Coharent illis quoque Philibus & libri de legibus. In aliis est cohaesio paulo obscurior. Dedit eos octava sectione Geddesius, eo, quem sibi optimum sinxit, ordine, quem si nos illinc repetere vellemus, necesse esset longum sermonem ordiri. Sed novae sectionis argumentum atque distinctis & curatus referre iuvat. *Warburthianus*, vir doctissimus, in erudito, sed paradoxis repleto libro, de divina legatione Moysi, Platonicos dialogos in esotericos & exotericos dividit, novamque ambabus vocabus & invidiam significat onem tribuerat, ob quam acerbas Nasireo penas dicit, ac si sibi & aeto perfectus, ut fere videri queat Geddesius, totam hanc scriptonem Warburthoni lepide irridendi & probe exagitandi gratia suscepisse.

Existimat itaque Warburthianus, quosdam Platonicos dialogos esotericos, alios exotericos esse; et ad hos quidem pertinere c. c. Critonem, Phaedonem, Minoem, Symposium, Leges,

ges, &c. allegatque sententiæ suæ auctorem Albinum, cuius introductio in Platonis dialogos superest. Sed Albinus eorum omnino nihil habet, & mere imaginarium est quod putat Warburthonus, exotericos dialogos aut sermones fuisse tales, in quibus philosophus ad mentem plebis eiusque captandæ gratia disputet de rebus, quas neque ipse crederet, neque alii persuadere vellet; esotericos autem esse eos, in quibus absque furo ad filosofos amicos familiares animi sententiam exprimat. Sed multis modis convelli potest ea opinio, cum Aristotelis testimonio, qui citans in Ethica sua suos sermones exotericos, ait, in his eadem de re se copiosius dixisse; tum & ipso Platone, qui in dialogis a Warburthono ad exotericos relatis eadem ipsa docet, quæ in esotericis ipsi dedit. Unde consequatur, aut omnino nihil eorum, quæ scriptis mandavit, credidisse Platonem, aut eadem credidisse, & nec credidisse eundem, aut aliam esse veterum illarum significationem. Est autem hæc, quam Gaddelius auctoritarius confirmat. Esoterici sunt sermones, in quibus philosophus de argumento quodam curate exponat, doctèque & subtiliter, cum allegatis sententiæ non argumentis, ad discipulos altioris doctrinæ capaces. Exoterici autem si sunt, in quibus eadem argumenta, sed rationibus minus subtiliter deductis, laxè magis & neglectius propius, dictione floridiore, & ad captum palatumque populi composita, pertractet. In illis difficilia quæque & oblecta sollicitè exornantur, & declarantur; in his rerum tantummodo perstringebatur superficies. Platonem vero in dialogis, pro exotericis haberi, eadem sancire, atque in esotericis dedit, demonstrat Gaddelius exemplis aliquot. Quale hoc est. In Cratylo, esotericis nempe accessit, irridet Plato veterum superstitionem & multitudinem Deorum, negatque cœlestia corpora numina esse, sed imagines ait, atque opera sanctorum Dei esse. Loquitur ergo ex animi sententia. Atqui in Epinomide & Timæo, ad exotericos reiectis, eadem ipsa sancit. In eodem ipso Cratylo doctrinam de immortalitate animæ, argumentis æque validis, atque in Phædone, asserit: qui tamen, si Warburthono credamus, exotericorum unus est.

est. Affererat Warburthonus, ea, quæ Plato de futuro animæ post mortem statu disputat, a veterum sagacissimo quoque pro exotericis, id est meris figmentis, habita fuisse, quibus illudere philosophus credula plebi, & invidiam a philosophia arce voluerit. Quod si admittatur, necesse erit, ut Cicero ad stupidam plebem de iudicatur, cuius hæc sunt verba in Tuscul. I. 21. *Nec tamen mihi sanè quidquam occurrit, cur non Pythagoræ sit & Platonis vera sententia, ut enim rationem Platonem nullam adferret, (vide quid homini tribuam.) ipsa auctoritate me frangeret, tot autem rationes attulit, ut velle ceteris, sibi certe persuasisse, videatur.* Pergit Warburthonus, nullum inter scriptores æque, atque Platonem, amasse geminam docendi rationem, publicæ plebem, & intra velum amicis. Quam ergo traditiones de penis atque premiis futuræ vitæ, pars fuerit doctrinæ popularis, Platonem procul omni dubio nihil earum sibi persuasisse. Alias enim ipsum, quippe philosophorum subtilissimum, hæc doctrinæ lucem purioribus salutarum fuisse, quemadmodum doctrinæ de immortalitate animæ effudit, de qua nullus dubitaverit. Verum citat Geddesius Platonis de futuro statu locos tam luculentos, tam similes evangelicæ doctrinæ, ut neget Christianorum doctorum unum aliquem ea de re perfectiora & emendatiora tradidisse. Utraher in suam rem Warburthonus etiam hoc: Platonem, hominem ab inventis ex ingenio suo naturalibus & metaphysicis argumentis immortalitatem animæ demonstrantibus celebrem, argumentum tamen excogitasse nullum, quo futuræ vitæ beata miserave conditio probetur, sed solam patriam traditionem allegasse. Geddesius autem negat, ipsum Platoni satis familiarem esse; alias enim ipsi locum e libro X. de Republ. latere non potuisse, in quo futuræ beatæ bonorum conditionis argumentum a pietate atque benignitate Dei repetit, qui virum probum, veri & recti amantem, negligere neque velit, neque possit.

Hæc fere sunt nono Capite disputata. Decimum, Platonis dictionem considerat, quam redolere poësi, & Homerum præcipue, ait Auctor, laudans numeros Platonicos, & felices
Home-

Homeri, in descriptionibus rerum pulcherrimis, imitationes. Undecimum demonstrat, Platonem in allegoriis Homericum exemplum expressisse. Est inter Platonicas allegorias non infima celebris illa de cavea, a qua librum de Republica octavum ordiuntur. In qua quum saepius recurrant dictiones, *appropinquare, ascendere ad Deum, uniri cum Deo*, collegerat inde Westermarckius, veteres philosophos animam peculiariter immortalitatem non cognovisse, sed catenus eam pronunciasse immortalem, qua post mortem corporis cum Deo immortali uniatum, cuius ipsa pars sit, auctore Platone maxime, alisque. Geddesius autem Capite XII. quod huic soli controversum impendit, advertarium perpendit in eo falli, quod figuratas dictiones ad literam stricte fuerit interpretatus. Ex eo, quod Plato animam ad Deum redire, eique copulari ait, non consequi, animam Dei particulam esse, & statim ab excessu ex hoc corpore suam essentiam a divina distinctam amittere, & in Deum rursus confluere. Sed translatis eas omnes esse dictiones, *μή μωσαί & εὐδαί τῷ ἐντι, ἐπαύται ἢ τὸ εἶ, ἀπεριδαί ἢ τὸ εἶ, μετεχει τῷ Θεῷ, ἐφαρμάδαί, συμπλοκαδαί* &c. quibus aptiores alias, deoque digniores, humana mens & lingua non inveniant. Ipsas illas dictiones, quibus ad umbram bestiarum cum Deo conlectudinem Christus & Apostoli laborarunt, non minus vitiosas & prope interpretationi obnoxias esse, a que Platonice sint, quin sint aut caetera, aut proferas similes. Quam in rem Job. XVII, 21. Act. XVII, 28. 1 Cor. II, 17. & XV, 28. citat Geddesius. Platonem si quis rigide velit interpretari, posse illum ex ipso demonstrare, Platonem credidisse, animam a Deo nunquam, ne in hac ipsa quidem vita, separari. Hominem enim probum, adhuc vivum, appellat *θεῷ μίγνεται. D. immixtum.* Atque Graeci *μίγνεται τὰ τῷ* dicunt, pro *conjugatur, concorsitur, adesse alicui.*

Capitulum tertium & decimum continuare videtur ceptum in ultimo tertio. Comparat enim Platonis similia cum Homericis. Quartum & decimum demum Platonem, in allegoriis animi visibus, imitatore[m] Homeri praestat. Ultima duo

Capit.

Capita, quod supra iam dictum fuit, circa Demosthenem ver-
 sa or. De nobilitate nempe vult Geddesius, ut Hæcros
 veteribus illis, & Platoni præcipue, ubi & exemplum sit,
 ita fuisse Platonem in vicem posterioribus. Demosthenem
 enim, atque Longicum, sedulam ipsi operam impendisse,
 atque dictionem eus expressisse. Isocratem vero quum de-
 primant & contemnant Demosthenis admiratores, ut torpi-
 dum atque humilem, vincit Geddesius, esse Isocrati quoque
 suas virtutes, quarum expertus omnino sit Demosthenes, quam-
 vis maiestate dictionis, aliisque multis dotibus, potior. Lon-
 gicum esse, per instituta a Britanno, elocutionis morumque
 Demosthenicorum cum Platonicis comparationes ire. Non
 pariter Gæzæ literaturæ amantes, hæc ex ipso libro, si
 mandati possint, his quidem in oris inventu rariorem,
 haurire.

ANTICHITA ED ECCELLENZA DEL PROTONO-
 tariato Apostolico partecipante.

i. e.

*ANTIQUITAS ET EXCELLENZA PROTONOTA-
 riatu Apostolici Partecipantis, cum accuratissima noti-
 tia copiosa Sanctorum, summorum Pontificum, Cardina-
 lium & Prælatorum, qui eo ad præsens usque ævum
 fuerunt insigniti. Opus GEORGII VIVIANI Mar-
 cbionis BUONACCORSI, Foroliviensis.*

Faenzæ, apud Benedicci, ex typographico episcopali,
 cum licentiâ superiorem, 1731. 4.
 Alph. 3. Plig. 5.

Protonotariorum Apostolicorum, seu Pontificiorum Par-
 ticipantium, ea est dignitas, ut ipsi nullo modo antecant Præ-
 lator. Origo illorum ad Clementem Romanum refertur. In
 Breve erio Romano hæc leguntur: *Ille fuit in vobis regionis
 divisi septem Notarii, singulari singulis attribuerunt, quæ pas-
 siones Martyrum, & res ab eis gestas, diligentissime exquisitas,
 litteris*

Heteris mandarent. Regionariorum nomen ipsis videtur exinde habuisse. S. Anterus ad a. 236. dicitur acta & perpeffiones Martyrum iussisse per certos viros in litteras redigi. S. Fabianus, eius successor, dicitur id instituti perfecutus. *Martyrologium Romanum* a Protonotariis profectum esse existimatur. Auctori probata fuit sententia eorum, qui Constantinum Magnum a Silvestro Papa credunt baptizatum fuisse. Ille omnino sustulit martyria. Julius I. itaque regionariis tribuit labores novos. Baronius ad a. 447. de eo: *Constituit, ut notitia, qua omnibus fidem facit, per Notarios colligeretur, & ut omnium monumentorum in ecclesia consecutio per primicerium notariorum celebraretur.* In litteris Pontificum ipsi adpellantur *notarii regionarii, & scriniarii* S. R. E. Sixtus V. in Constitut. XII. §. 1. ita: *Collegium Notariorum sedis Apostolicae de numero Participantium, per sel. record. Clementem I. Antiberum etiam I. & Julium I. similiter, predecessores nostros, ad res Martyrum, & quaecunque ad Ecclesiam pertinerent, fideliter describenda, & descripta scriniis Ecclesiae recondenda, institutum, ordinatum, & destinatum fuit.* Saeculo iam quarto protonotariorum fuit, declarare christianis formulas precum, Sanctorumque litanias, in templo S. Georgii. Ipsorum erat, quotannis ad diem certum recitare anniversariam solemnitatem S. Marci. Postea publicis procedentium ceremoniis interfuerunt, & religionem Romanam propagare studuerunt. Crevit sensum illorum dignitas. Inde a Gelasii I. aetate in conciliis adfuerunt, ad acta ibi consignanda, atque extra dubium ponenda. Interfuit ipsi praeterea consistoriis ecclesiasticis Romae, congregationi de propaganda fide rituumque sacrorum, ubi operam conferunt ad instruendas investigationes, ad declarationem Sanctorum, & horum inter beatos vel caelites ponendorum, necessarias. Ipsi in collegio rituum sacrorum, per Urbani VIII. decretum, a. 1642. 12. Mart. sancitum, sub examen vocant testimonia eorum, qui Beatis sanctisque favent, eisque sua subscribunt nomina. Notarius, qui acta & testimonia ibi in litteras redigit, Protonotarii subest autui. Anno 652. primicerio ac de-

Pag. 6.

8.

10.

Bbbb

cano


- cano notariorum apostolicorum gubernatio ecclesie Romane, Episcopo suo orbatz, fuit commissa. Cum Martinum I. Constant Imperator in Chersonesum Tauricam misisset exulem, tradidit vicariam ecclesie curam Archidiacono, archipresbytero, & primicerio notariorum. Leo X. a. 1517. triginta creavit Purpuratos. Hos inter XIV. erant Protonotarii, e numero Participantium, teste Rainaldo *Annal. Eccl. a. 1517. n. 101.* Pius II. quidem ipsos privavit spectabili privilegio preeundi Episcopis, de reliquo tamen haud imminuit illorum antiquum splendorem. Collegium illud plerumque nobiliores ex Italiae familiis, dum Praetorium gradum capessere, solebant ingredi, tum quia ex eo ingens Cardinalium numerus, & multi summi Pontifices fuerunt, tum vero ob honoratorem locum, quo praecedunt omnibus
19. iis, quibus est *Praetorum* nomen, auditoribus rotae sacrae, Clericis sacri Pontificii, suffragatoribus *signatura iustitiae ac gratiae*, Abreviatoribus maioris praesidii, ac Referendaris signaturae utriusque. At cur Pius II. Protonotarios Episcopis postposuit? Cherubinus junior respondet hunc in modum: *Quia Episcopi tenent locum Apostolorum, Protonotarii autem assimilantur Evangelistis, cum ad acta Pontificis scribenda sint deputati.* Idem Pontifex impertivit viris summo loco editis dignitatem Protonotariatus, ut ipsos in collegium Purpuratorum adsumeret, nempe Ludovicum *de Aibret*, ex regis Franciae seu Galliarum progenie natum, Franciscum Gonzagem, Ludovici Marchionis Mantuani filium, & ex Barbara Electricis Brandeburgici filia genitum. Protonotarii sunt canonici trium Romae templorum Patriarchatum. Antecedunt Nuntiis Apostolicis. At his praecedunt tres duntaxat *Praetati*, puta Procuratorius, Gubernator Romae, qui plerumque est unus idemque, Auditor, & thesaurarius generalis sacri Pontificii, qui gradum patriarchatum Orientis ipsum traduntur antecedere. Id ipsum fuit constitutum decreto sacrae Congregationis, evulgato 1598. 12. Febr. & confirmato a. 1601. 27. Jul. Adiciuntur ibi haec: *Et ad similes praecedentiarum differentias amputandas, & Protonotariorum praerogativam*

mentiam conservandam, etiam ordinavit, ut in posterum Praeceptor Hospitalis S. Spiritus, Archimandrita Messanensis, & Abbates, usum mitra habentes, post ipsos Protonotarios & Correctorem Cancellaria, in banco ipsorum Protonotariorum, in eadem capella SS. P. N. sedere debeant. In Capella autem S. Petri, iuxta sedilia ipsorum Cardinalium Diaconorum primum locum obtinent Vicecamerarius, deinde Oratores Regum & Principum, Praelati, tum Archiepiscopi, Episcopi, Protonotarii, Abbates generales Ordinum, & Pœnitentiarii. Prærogativæ Protonotariis præterea sunt complures, quas Auctor exposuit. Refert huc ius notarios & tabelliones publicos creandi, & eos per pennam & calamario pro more, iurciurando prius ab eis recepto consueto, confirmandi seu *investiendi*. Licet eis & illegitime natos pro legitimis renuntiare. Sixtus illis tribuit privilegium habendi altare portatile in locis etiam non sacris, attamen honestis, ad quod Missa possit celebrari, cui interesse licet auctoritate ordinaria vel apostolica interdictis, tempore quo alias etiam cessant divina officia. *Primicerius notariorum* nominatim proditur, S. *Partenio* Martyr sub Decio. S. *Prosper* fuit S. Leonis ab epistolis, postea Episcopus Rhegiensis, ac Notarius simul Apostolicus. Augustinus ad eum misit libellum *de Prædestinatione*. Alius *Prosper* dicitur tunc fuisse Episcopus Rhegii in Longobardia. Incertum est, an hic fuerit ille Aquitanus. Ambrosium *primicerium* misit Papa Zacharias nuntium ad Liutprandum Regem, & Stephanus II. delegavit ad Aistulfum. Hadrianum I. Paulus I. renuntiavit *primicerium* suum, & *notarium apylo-*
licum regionarium, Stephanus IV. vero Cardinalem. Hadrianus dein Pontifex a. 772 10. Febr. idem est, quem Desiderius insectabatur, Carolus autem M. protexit ac prædiis ditavit. Leonem, venerabilem *protoscriniarium ecclesie Romanae*, Joannes XII. misit ad Ottonem Imperatorem. Seriem reliquorum Protonotariorum, e quibus Cardinales ac summi Episcopi prodierunt, non vacat huc transcribere. Collegit eorum vitas Auctor, usus diligentia exquisitissima. Clemens VII. a Gallis Urbano VI. oppositus, erat olim Protonotarius


37.

63.

73.



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

- Pag. 95. *Rupertus*, Amedei III. Comitis Genevensis filius. *Petrus Tomacelli*, Neapolitanus, conscendit solium Papale 1389. 2. Nov. adpellatus postea Bonifacius IX. a Cleменте competitore infestatus. *Balthasar Cossa*, Neapolitanus, factus Pontifex a. 1410. 1. Jun. nomine Joannes XXIII. sed a Constantiensi concilio deiectus. *Oddo Colonna*, ex Principibus Salernitanis ortus, fuit Martinus V. 1417. 11. Nov. vir potens, qui obiit 1431. 20. Febr. *Gabriel Condulmieri*, Venetiis natus, dein Eugenius, 1431. 3. Mart. de regno Neapolitano sollicitus, qui Sigismundo Imperatori imposuit coronam. *Julianum* nobilitavit Cardinalitia dignitas, & impulsio exercitus Christiani in Turcos funestissima. *Petrus Barbi* creatus fuit 1464. 30. Aug. Paulus II. a Valla barbariei accusatus. *Hermolaum Barbarum* norunt. quibus historia litteraria non est incognita. *Franciscus Todeschini* est Pius III. a. 1503. 22. Sept. electus. *Joannes de Medicis* fuit postea Leo X. *Alexander Farnesius* Paulus III. a. 1534. 13. Oct. Et quis ignorat *Paulum Passionei*? Nemo igitur de dignitate & excellentia Apostolici Protonotariatus, eiusque ad res luttimas gradu, imposterum dubitet.

C. OCTAVII VALERII, DE SUPERSTITIOSA TIMIDITATE vitanda, sive vindiciae voti, quod vocant, sanguinariis, pro tutela immaculatae conceptionis Deiparae suscepti, contra praecipitem Viri alioquin clarissimi, qui se modo Lamindum Pritanium, modo Antonium Lampridium, modo Ferdinandum Valdesium sivevit adpellitare. Accedunt epistolae quinque hac ipsa de re olim datae, & nunc primum editae in lucem, una cum praefatione typographi ad lectorem benevolum.

Tridenti, ex typographia Monaviana anno aerae vulgaris 1751. 4to superiorum permisso.

Alph. 2. plag. 3.

A quo

A quo tempore de Mariæ Virginis conceptione *maculata*, an *immaculata*, in ecclesia Romana disputari est ceptum, non defuere, qui alterutram sententiam tueri contenderent, revelationes etiam atque adparitiones nugati. Integræ religioforum familiæ sunt commissæ, omnem lapidem moventes, sive id per fraudes clandestinas, periuria, sive apertam vim atque cædes fieret, quo cuiusque opinio, cui sacramentum dixerat, prevaleret. Pontifices Romani, ad quorum tribunal controversia ea non semel delata est, licet recentioribus temporibus in posteriorem sententiam inclinarent, contrariam tamen aperte damnare non sunt ausi, veriti, ne potentem Dominicanorum societatem offenderent. Eadem hæc quæstio, nostra memoria recrudit. Prudentiores Viri, quoniam doctrina de immaculata Mariæ conceptione, decreto præsulis Romani pro dogmate fidei declarata nondum sit, de illa disputari posse iudicaverunt; quinimo votum, quod nonnulli concipiunt, se illam, si res ita ferat, suo sanguine obsignare velle, temerarium dicere nulli dubitaverunt. In hanc sententiam etiam est ingressus Vir immortalis memoriæ, qui doctrina, scriptis, meritis, summum decus suæ ecclesiæ conciliavit, *Ludovicus Antonius Muratorius*, illam sub adscititiis nominibus proponendo ac impugnando. Contra hunc, præter alios, etiam insurrexit noster *Valerius*, qui quidem non armis novis, sed quibus dudum uli sunt, adversarium suum adgreditur, illumque non tam rationibus, quæ in doctrina novitia, & contra scripturam excogitata, omnino deficient, sed variis artibus, & sermone ad rhetorum ac oratorum morem composito, obruere adnititur, disteriis etiam, scommatibus, atque vituperiis, lectoris animum adversus Muratorium occupare satagit. Voluit autem Vir doctissimus sub eminento nomine latere, tum quod cum homine larvato decertet, tum quod lector, ne nominis splendore abripiatur, eo liberius de tota lite iudicium ferre possit. Quidquid igitur huius est operis, quod XXII. Capitibus constat, adversus Muratorium est directum, qui sub ficto *Lamindi Pritanii* nomine, de *ingeniorum*

moderatione in religionis negotio, Parisiis, 30. abhinc annis, & quod excurrit, publicaverat commentationem, in qua illorum consilium, qui *pro tuenda conceptionis innoxie vitam se daturus essent*, multis argumentis improbaverat. Adversus hunc theologus aliquis Siculus, adsumto *Candidi Parthenotimi* nomine, Panormi 1729. divulgaverat: *votum pro tuenda immaculata Deiparæ conceptione, ab oppugnationibus Lamindi Pritanii vindicatum*. Hoc opere Muratorius ad silentium minime redactus, edidit A. 1740. librum, cui titulus: *Antonii Lampridii de superstitione vitanda, sive censura voti sanguinarii in honorem immaculatae conceptionis deiparæ*. A. 1741. duplici spissiore disputatione, *de pietate in Deiparam amplificanda*, respondit *Parthenotimus*, atque omni virium contentione, ut Muratorium conficere, est admisit. Ille ne sibi deesse, caussaque cecidisse videretur, A. 1743. septendecim epistolae, uno fasce complexas, hoc sub titulo edi curavit: *Ferdinandi Vallesii epistolae, sive appendix ad librum Antonii Lampridii de superstitione vitanda*, quibus Parthenotimum, & alios suorum adversariorum, sale admodum acri perfricuit, ut modestiæ limites migrasse nonnullis fuerit visus. Hanc ipsam litem, Muratorio mortuo, renovavit Noster, tum ut honori Deiparæ litaret, tum ne qui splendore nominis Muratoriani præstringerentur.

Telam orsurus Auctor, statum controversiæ figit, distinguendo inter votum, quo quis doctrinam de innoxia conceptione Mariæ virginis tenere, ac ore pariter atque calamo defendere recipit; atque illud, quo quis non ore solum & calamo propugnare, verum etiam, si necessitas id exigat, sanguine obsignare spondeat, quod *sanguinarium* dicitur Muratorio. Priori nihil derogatum cupit Muratorius, quod tamen metui tribuit Valerius, ne scilicet imperium atque sacerdotium adversus se provocaret; posterius ab ipso negatur. Quid super hac re inter Pritanium & Parthenotimum sit controversum, ostendit, quid sibi disceptandum sit relictum, deinceps indicat. *Cap. II.* id agit, ut probet, cultum, qui *hyperdulia* dicitur, Mariæ iure deberi, eique ab omni

ævo ecclesiæ exhibitum esse. Rationes petit 1) ab insignibus prærogativis, quibus homines omnes, ipsos etiam angelos, præcellit. 2) Tali honore ipsam dignam iudicavit Gabriel Luc. I, 28. Elisabetha, mater Joannis, Cap. I. 43. 3) Ab exemplo Collyridianorum, qui in cultu Mariano modum quidem excefferint, simul vero inde adparere sibi perbiadet, illum iam tum temporis in ecclesia vixisse: qua occasione in Lutheranos & reformatos debacchatur. 4) A sollempnitatibus in honorem Mariæ publice institutis, quæ quidem demum a Sec. V. repetendæ, quod tamen causæ non obesse autumat, cum apostoli, & qui proximi ab illis fuerunt, aliis occupati, his ordinandis vacare minus potuerint. Ad hæc observari vult, dies aliquos festos Mariæ cum filio Jesu esse communes. De festis diebus, honori S. Mariæ dicatis, exponit *Cap. III. Puviff.* Pag. 10 - 16. 542. iuxta Cedrenum Antiochiæ iamdum a. 527. obtinuit, in ecclesia Latina a Gelasio temporibus in usu fuisse, censet. *An-nuntiationis* mentio iniicitur Sec. VII. potuit tamen, iudice Valerio, antiquioris esse ætatis. *Nativitatis*, Augustini iamdum ævo, adeoque Sec. V. celebratum fuisse, pertendit. *Assumptionis*, in oriente ante exitum Sec. VI. agitari solitum fuisse, in occidente ante exitum Sec. VII. *Cap. IV.* tractat de sollempnitatibus *conceptionis*, quas *Emmanuel Commenus* imp. d. 9. Dec. 1165. parari voluit, apud Hispanos autem iam Sec. VII. initium habuisse, apud Anglos ante a. 1153. apud Gallos festivitatem hanc ante a. 1140. usitatam fuisse, ex epistola quadam Bernhardi demonstrat. *Sixtus IV.* diem hunc sacrum esse voluit Romæ & in Italia, publica constitutione edita. Is, quod *Cap. V.* ostenditur, hoc suo decreto id intendit, ut conceptio immaculata ab omnibus agnosceretur, cui cum multi multa opponerent, nova constitutione 1483. omnibus illis debilis obviavit. Sed vero, qui hanc inspexerit, deprehendet, ad formam veram, ne quis alterius factionis sententiam a sua diversam, durnet, aut hæreseos postulet. Recrudescens hæresis, *Alexander VI.* constitutionem Sixtinam repetit, ac generalibus pœnis sanxit: quinimo in concilio Tri-

10 - 16.

17 - 27.

27 - 38.

den-

- dentino a. 1546. 17. Jun. ipsa illa fuit innovata. *Pium V.* sententiae de immaculata conceptione fuisse, *Cap. VI.* inde monstratur, quoniam superiores constitutiones, & decretum concilii Tridentini, confirmavit, & sententiam in Baium, contrariam sententiam tenentem, pronuntiavit, *Mariani inculpatae* conceptus cultum amplificavit, & ut iugiter observetur praecipit. Sed vero & hic *liberam cuique facultatem reliquit, opinandi huius controversiae quamlibet partem, prout vel magis pium, vel magis probabile iudicaverit.* Denique rationes indicantur, quare idem officium Nogarolae sublatum voluerit, ubi contra Muratorium quaedam monentur. *Cap. VII.* adfertur sententia *Pauli V. & Gregorii XV.* quorum ille a. 1616. constitutiones antecessorum suorum ratas habuit, simulque imperavit, ne quis, antequam aliquid certi a sede sancta fuerit definitum, in publicis actibus adferere audeat, quod b. Virgo cum peccato originali fuerit concepta: hoc ipsum etiam edixit Gregorius, ita tamen, ut Dominicanis libertatem, super hoc argumento inter se differendi, non eriperit. Voluit simul, ut festivitas haec, non sub *sanctificationis*, sed *conceptionis* nomine celebraretur. Prae omnibus autem sententiae de puritate conceptionis Mariae favit *Alexander VII.* edita constitutione d. 8. Decembris 1661. (de qua *Cap. VII.*) poenis in illos statutis, qui contrarium vel ore, vel scripto prolaturi essent. Verum & hic noluit quemquam contrariae opinionis ergo haereseos infimulari. Quae excepit Muratorius, multa cum verbositate A. nec sine acrimonia, diluit. Solemnitatem conceptionis Mariae instituendo pontifices, id intendisse, ut conceptionis immaculatae significatio omnibus adpareret, *Cap. IX.* adstruere allaborat. Refutat hinc Muratorium, dictitantem, *Gregorium XV.* voce conceptionis usum fuisse, quo *utraque factio, sine sua opinionis laesione, festum illud celebrare possent.* Solam vocem conceptionis, in pervetustis misalibus ac breviariis adhibitam fuisse, indigitat. *Cap. X.* profertur obiectio Muratorii, etiam festum conceptionis Joannis baptistae a multis seculis obivisse Graecos, nec tamen existimavisse, jeun, originaria macula immunem fuisse. Apud latinos idem

idem illud per plurima secula celebratum fuisse d. 24 Sept. ex martyrologiis probat *Papebrochius*. Obiectionem hanc, non una adducta ratione, diluere nititur. Adduxerat etiam ille *Bellarminum*, statuentem, *fundamentum huius festi præcipuum, non esse conceptionem, sed simpliciter conceptionem matris Dei futuræ*. Ad quæ notat 1) sapientissimum quemque non ita sibi cavere posse, quin subiinde erret. 2) Scripsisse illo tempore, quo ex tolerantia sedis Romanæ adhuc erant, qui festum hoc sub nomine sanctificationis obirent. Progreditur hinc ad purpuratum *Catum*, & *Natalem Alexandrum*, idem fere sentientes. *Cap. XI. refer-* Pag 111. 130.
*tur, Clementem XI. promulgato decreto d. 6. Dec. 1708. festum hoc ubique locorum, ab omnibus & singulis utriusque sexus fidelibus, sicut alia festa, de præcepto servari & celebrari voluisse. Exceperat Muratorius, Clementem, epitheton immaculatæ non addidisse conceptioni, sed virgini tantum; inde concluderat, noluisse pontificem conceptionis controversiam dissolvere. Puerilem hanc argumentandi rationem adpellat Noster, atque aliis gravibus verbis lacescit adversarium. Addit, pontifices, & speciatim Clementem, non hoc egisse, ut aliquid certi constituerent, secutos decretum concilii Basileensis, datum XV. Cal. Octob. 1439. confirmatum in concilio Avenionensi a. 1457. Sed enim, si etiam hæc ita se non haberent, nihilo tamen minus, quod *Cap. XII. adseverat, sententia sedis Romanæ, festum hoc omnibus celebrandum iniungentis, standum esse; quod uti verum sit de festo nativitatis & assumptionis Mariæ, multo magis verum esse debere de festo conceptionis, concludit. Obiectionem formaverat Muratorius, huius nihil haberi in scripturis divinis, nihil in priscis patribus. Ex scriptura nihil, quod ad sensum litteralem, huc advocari posse largitur, sed allegorico, multa adferri posse adfirmat Valerius. Ex patribus nominat *Ambilochium*, homil. IV. in S. Deiparam & Simeonem, *Ambrosium* in Pf. CXVIII. *Paschasium Radbertum* de partu virginis, & quosdam alios. Ubi litteræ diviniore, omnes homines peccato in-* 131. 146.
fectos*

- fectos esse inculcant, id secundum ordinariam legem intelligendum esse, putat, sed b. Virginem, singulari gratiæ beneficio exemptam fuisse, opinatur. *Cap. XIII.* altius adfert, provocando ad acta S. Andreae apostoli, per presbyteros & diaconos Achaiae scripta, in quibus nominatur *ἄμωμος, παρθένος*. Notaverat Muratorius, & quidem recte, illud *ἄμωμος* notare *inviolatam*, ut indicetur, virginem ante partum, in partu, & post partum fuisse: porro monuerat quædam contra *αὐθεντίαν* actorum ex silo. Diluere illa sustinet Rev. Auctor, speciatim ostendens, horum actorum post *Sec. VIII.* a pluribus mentionem fuisse iniectam. *Cap. XIV.* *Augustinus* in partes vocatur, qui ubi libro de nat. & grat. *Cap. XVI. n. 41.* de labe hereditaria omnibus hominibus communi differasset, Mariam virginem excipit. Veram si quis verba H. ponentis præfulis accurate expendat, intelliget, ipsum quæstionem hanc in medio reliquisse. Quæ Muratorius adduxerat, in seqq. A. examinat. Dixerat idem, præfatos patres de hac Mariæ prerogativa siluisse. Respondet *Cap. XV.* Valerius, non omnino tacuisse, quod ex auctoritatibus adductis adpareat, qui si argumentum hoc non attigerint, id factum esse propterea, quoniam in aliis religionis capitibus explanandis distinerentur, nec tamen quidquam huic sententiæ adversi proferentes.
- 147-163. *Cap. XVI.* probandum fuisse, festum conceptionis antiquius esse festo nativitatis & assumptionis ipsius, celebratum iamdum a. 680. in Hispania. Et si quidem prioribus temporibus non obtinuerit, in ecclesiæ tamen, vel potius P. R. potestate positum esse, festos dies instituire: quod exemplo ecclesiæ Judaicæ probat. Ex cultu hoc Mariæ præfesto, *Cap. XVII.* immunitatem a labe originaria adstruere allaborat, quia cultus nonnisi plane sancto exhibetur; hinc ad sanctorum in beatorum cœlicum numerum relationem, argumento suo lucem sceneraturus, digreditur. *Cap. XVIII.* mortem Muratorii dolet, & dum in ipsius laudes excurrit, simul subinde lapsum fuisse, indicat; addens, non sine divinæ indignationis indicio, gravia eidem infortunia, ipsis Marianæ

rianæ devotionis solemnitatibus obtigisse, quod tamen ex aliorum relatione non ita se habere, notat pag. 327. Inde ad institutum rediens, sententiam de immunitate Mariæ, ab omnibus Academiis, Parisiensi, Coloniensi, Moguntina, Complutensi, Salmanticensi, aliis, agnitam, & fociis ad propugnandum iniunctam, imo ab universo Christiano cœtu comprobata fuisse, inque institutionibus catecheticis inculcari, tradit. *Cap. XIX.* sententias de Mariæ puritate & pollutione sibi contrarias committit, indeque concludit, minus integra fide egisse, sed fraudes atque fallacias necere, infert. Quærit dein, num ipsius (Muratorii) libri sint proferibendi? Ex dictis autem hæc elicit *confectaria, 1) opinionem de conceptu*, verba Auctoris recitamus, *nulla unquam labe contaminato, esse in apice certitudinis theologicæ, adeoque illi contrariam non modo temerariam & falsam, sed erroneam etiam esse.* *Confectarium 2)* excutit *Cap. XX.* num, qui apud se tantum, & in animo, neget immunitatem virginis, expers sit peccati? Solvit quæstionem ita: a quo tempore super hac re edita sint decreta ab Alexandro VII. Paulo V. & Gregorio XV. illum, qui contrariam opinionem defendat, neque peccatum apud Deum effugere, neque excommunicationem, quam Pontifices maximi in huiusmodi contumaces & inobedientes homines statuerint, declinare. Quæ omnia latius deducit, & quæ obiici possint, e medio tollit, ut putat. Muratorius quæstionem hanc mere *theoreticam*, nullatenus *moralem* esse, dixerat; cui expediendæ *Cap. XXI* impendit, ostendens, a quo tempore cultus immaculatæ conceptionis publica ecclesiæ lege omnibus fuerit iniunctus, non amplius sententiam hanc mere *speculativam*, sed simul *moralem* esse. Hæc, pergit, apud omnes esse in confesso, in quæstionibus moralibus, ubi de vitando peccato agitur, præstare millies mori, quam Deum lædere, vel levissime offendere. Muratorius argumentatus erat, cum sententia de immaculata conceptione tantum sit *speculativa*, nec satis certa, pro illa vitam, bonum certum, profundendam haud esse. Quid veri, vel falsi hic subsit, Valerius inquit. In

Pag. 230-232.

232 - 248.

248 - 257.

257 - 266.

267 - 292.

causæ suæ præsidium etiam hoc adduxerat Muratorius: Apostolicam sedem, imo universam ecclesiam, pro piis atque orthodoxis habere atque amare illos, qui contrariæ addicti sint sententiæ; quem ictum Valerius pariter avertit. Ex his autem, quæ disputaverat, *Cap. XXII.* hoc conficit, votum, sanguinarium dictum, in tuto esse, nec illorum institutum improbandum, qui iurisiurandi religione hoc in se suscipiunt, se sanctam præservacionem b. Virginis omni modo ac ratione tuturos esse; quale quid A. 1618. a Granatenli Academia & aliis fuerit comprobatum. Num vero illi, qui pro hac sententia vitam ponere non reformidant, martyres sint dicendi? definire non audeat. De se autem pronuntiat, *si etiam vita mihi ponenda esset, præclare mecum actum putarem.* Subiunguntur epistolæ quinque, quæ A. 1744. a Valerio ad Muratorium super hoc argumento sunt scriptæ, cum responsoriis huius, ex quibus ut aliquid enotemus, necesse non est, cum ipsa illa, quæ in his habentur, enucleatius in commentatione, cuius recensioem dedimus, tractentur. Fatendum est omnino, Cl. Auctorem in declaranda sententia, quam defendendam sumisit, tanta versatum esse industria, quanta desiderari potest, & si quidem non pervincat, id non tam ipsi, quam causæ, cuius patronum agit, est tribuendum. Sulo etiam utitur terfo, ac satis polito, ut, etsi rationum pondere non revincat, verborum tamen ac orationis illecebris capiat.

*DE CORPORVM MOTV RECTILINEO ET CVRVI-
lineo in mediis non resistentibus Libri II. Auctore D. COE-
LESTINO ROLLO, Congregationis Coelestinorum
O. S. B. Abbate, et Bononiens. Scient.
Acad. Socio.*

Venetis, apud Petr. Berlaglia. 1750. 8.
Plag. 15. tab. aen. 15.

Edidit

Edidit opus *Aloysius del Giudice*, monachus coelestinus, ex cuius praefatione, quae ad historiam libri pertinent, excerpemus. Auctor, ut rectius Newtoniana inventa intelligeret, distinctiusque evolveret, suos praecipue in usus librum conscripsit, et ante 25. circiter annos absolvit, sibi illud servans, neque ulli legendum permittens. Celebrata vero est auctoris in profundioribus his studiis peritia, ab Eustachio Manfredio aliisque. Igitur tandem ut prodiret in lucem liber Aloysius impetravit, fateaturque ipse, quae nova fuissent si statim ac scriptus erat editus fuisset, iam ab aliis esse occupata, plura etiam alibi pertractata hic desiderari. Interim non defuturum libro usum suum indicat, quia perspicue et solide de motibus corporum agat, subiuncta calculis analyticis synthetica demonstratione. Nos quidem facile sententiae huic accedimus: quae enim ad scopum suum pertinebant, ea sedulo, et insigni acumine, pertractasse auctorem reperimus, ita ut possit addiscendae sublimioris Mechanicae parti, quam complectitur liber, egregie inservire. Sed operis ipsius contenta, ordinem ipsum, quo scriptus est, methodumque, qua auctor in investigando demonstrandoque vero utitur, hic copiosius exponere supervacuum esset, cum versati in his studiis, ex iis quae adduximus, facile haec omnia collecturi sint, & iam eadem re a tot aliis explicata, illorum laboribus similem esse hunc ut dicamus sufficiet.

NOVA LITTERARIA.

Quam egregia sint illustris Academiae Petropolitanae in rem litterariam merita, nemo unus ignorat. Pertinet eo liberalitas *Elisabethae* Augustae, qua efficitur, ut etiam extra Russorum Imperii limites, eruditissimi quique Viri, ad elaborandum in iis artibus, quas didicissent, invitentur. Da-

mus nunc, quod in nupero conventu Academiae solempni die VI. Sept. 1755. Programma publicatum est, quaestiones eas exhibens, quibus qui satisfecerint, & Academiae suffragium habituri sunt, & suffragii praemium. Verba eius Programmatum ita habent: *Elisabetha Augusta, Scientiarum atque artium Promotrix Optima, Maxima, in legibus Academiae Petropolitanae, a se instauratae, clementissime prudentissimeque iussit, ut Praeses publicari quotannis curet problema erudito orbi solvendum, praemio centum aureorum proposito illi, qui feliciter praeter ceteris solutionem illius argumenti exhibuerit. Hinc munificentiae, scientiarum incremento insigniter profuturae, ea, qua solet, solertia responsurus Excellentissimus Academiae Praeses, Praepotens minoris Russiae Hetmannus, Cyrillus Comes a Rasumowski, post adiudicatum die 4. Septembris Anni 1755. solutioni problematis de Theoria lunari praemium, aliud problema proponere iussit, quod tunc quoque propositum, & die 26. Novembris anni 1755. iterum promulgatum est, hoc nempe:*

Separationem auri ab argente, ope aquae fortis institui solitam, ex Physicis & Chymicis principiis explicare, aptioremque methodum invenire, quae minore opera & pretio ad haec duo metalla fecernenda indigeat:

Problema etiam:

In veram Electricitatis causam inquirere, veramque eius condere Theoriam:

auctoritate eiusdem Excellentissimi Praesidis anno 1755. propositum est. De priore quaestione Academia declarat, etiamsi post iteratam quoque eius publicationem, inter plurimas ad se missas dissertationes, nullam repererit perfecte istud argumentum pertractantem: tamen, ne suspensionem incurrat, ac se non steterit promisso, & ne eruditus orbis, spe concepta optationem videndi, excidat, dissertationi, cui lemma subscriptum: Dant vulnera Christi salutem, praemium centum aureorum se attri-

attribuere. Auctor eius, in scheda obfignata, sub eodem lem-
mate dissertationi addita, ita nomen suum & conditionem &
locum domicilii expressit: Vlricus Christophorus Salchow, Ar-
tis Salutaris Doctor, Medicus adprobatus Regius Borufficus,
& Practicus Alcherslebiæ, in Principatu Halberstadiensi. De
altera questione, inter plures variis linguis conscriptas disser-
tationes, illa præmium promereri visa est, quæ insignitur lem-
mate: Felix qui potuit rerum cognoscere causas, & incipit
his verbis: In causam Electricitatis inquisituro. Cum hæc dis-
sertatio ad Academiam perveniret, nulla scheda obfignata,
ex qua nomen Auctoris cognosci possit, inventa est. Rogatur
itaque Auctor, ut priorem atque ultimam paginam dissertatio-
nis iterum describat, et addito nomine suo, atque conditione, ad
Academiam mittat. Quo facto, si omnia rite concordabunt,
præmium centum aureorum accipiet. Inter reliquas disserta-
tiones de hoc argumento, duæ præterea electæ sunt, simul ty-
pis excudendæ. Prima a R. P. Paulo Irifio, Clerico Reg.
Congregationis D. Pauli, et in Collegio D. Alexandri Medio-
lavenfi Philosophiæ Professore, non quidem ut ad certamen
de præmio concurreret, sed ut pars operis Physiæ maioris, cui
elaborando auctor insudat, sub eius nomine ad Academiam
missa est. Altera his ultimis diebus reddita est Academiae,
cum Academici iam de præmio tribuendo statuissent, sub hoc
lemmate: Difficile aestimamus quæ in Terra sunt, et quæ
in prospectu sunt invenimus cum labore, Sap. C. IX. Auctor
eius, ut post resignatam schedulam constat, est R. P. Beraud
S. J. in collegio Lugdunensi in Gallia Mathematicum Professor,
vnus ex Societate Regia eiusdem urbis, nec non pro Acade-
mia Regia Parisiensi Commissus, et, ut aiunt, eiusdem Cor-
respondens.

In annum sequentem 1756. proponitur quaestio:


Quaenam sit causa proxima mutans corpus foetus, non
matris gravidæ, huius mente a causa quacunque vio-
lentiore commota; et quidem, cur id fiat in ea parte
cor-

corpusculi foetus, ad quam in suo corpore mater manum adplicuit. Vbi illorum quoque cogitata ad certamen de praemio admittentur, qui contrariae sententiae addicti, argumenta verosimilia in medium proferent.

In annum 1757.

Motus diurnos planetarum circum axes proprios, imprimis Veneris vertiginem, cuius commodissime determinandae copiam annus proxime sequens 1756 faciet, accuratius observare, et inconcussis observationibus, iisque novis, una cum positione aequatorum, demonstrare atque definire.

Pro cuiuslibet quaestionis solutione optima, praemium centum aureorum promittitur, sub iisdem conditionibus, quae iam factis notae sunt. Invitantur ergo omnium gentium Viri docti, ut vires ingenii diutis quaestionibus explicandis adhibere, et cogitata sua atque observata, de prioribus ante diem 1 Junii 1756, de posteriore ante eundem diem Anni 1757, cum Academia communicare velint.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris Anno MDCCCLV.

10. DIETERICI WINCKLERI, S. THEOL. DOCT.
*Ecclesiarum Hildes. Superint. Consiſt. S. Aſſeſſoris Pri-
mar. & Gymnaſii Ephori, Philologemata Lactantiana
Sacra, variis locis, tum ſacri codicis illuſtrandis, tum
Lactantii explicandis corrigendisque, inſervientia. In-
ſerta ſunt hinc inde Συμμετρίαι quædam ἀντιδότης
critici & philologici argumenti.*

Brunſvigæ, impenſis Orphanotrophei, 1754. 8.

Alph. 1. plag. 12.

Fuerunt inter Patres eccleſiæ viri præſtantes, ingenio poi-
lentes, ac pro temporum iſtorum ratione eruditi, nec
tamen errorum aut humanæ imbecillitatis plane expec-
tes. In quo ultimo excuſationem illi merentur, tanto
magis, quod ea ætate maior libertas erat loquendi, ob penu-
riam malorum interpretum; nec erat metuendum, ne, niſi
omnes voces dinumerarentur, ſacra respublica detrimentum
caperet. Inter hos, *Lucius Cælius Lactantius*, ſacundus cete-
rum, & ut omni eruditione, ſic ſtili etiam puritate laudandus
vir, nævis certe & multis erroribus non caret, quos cum alii,
tum ille nuper Galliæ criticus, *Nic. Lenglet du Fresnoy*, detexe-
runt. Talem operam, inter ſacros quibus fungitur labores, in
ſe ſuſcepit Summe Reverendus Auctor huius libri, dum *Lactan-
tium*

Dd dd

tium

ium stitit interpretem librorum sacrorum, parum in plerisque accuratum. Nam specimen daturus alicuius quasi *Catena Lactantiana*, locos numero *centum*, a *Lactantio* explicatos, secundum ordinem librorum sacrorum adduxit, & quid ab illo erratum sit, candide indicavit. Decerpit autem hos locos non ex omnibus libris *Lactantii*, sed tantummodo ex illis qui *Institutionum Divinarum* libri inscripti sunt, versatusque in eo negotio est ita, ut partim symbolis præcipuorum *Lactantii* Editorum uteretur, partim etiam ipse observationes bonæ notæ ac literarias interfereret, & variis *Anecdota philologicis* augetet. Descripsit hanc operam in *partes duas*, quarum *prior* quinquaginta locos ex Veteri Testamento, *posterior* totidem ex Novo Fœdere exhibet. In utraque parte, nec diligentiam accuratam, aut amplam viri generis lectionem, ingenium denique, ac theologiam *æxpiens* lectores eruditi desiderabunt. Dabimus pauca instar speciminis, eaque selecta, unde iudicium de reliquis fieri possit.

Pag. 30 - 37. Observ. V. ad locum Genes. VI, 3.) In hoc loco *Genesios*, ira Dei super homines pravos, ac diluvio perditos commemoratur, quibus spatium annorum *centum viginti* conceditur ad resipiscendum. *Lactantius* hæc verba ita sumit, quasi Deus consilium ceperit, terminum humanæ vitæ non ultra centum viginti annos prorogandi, post diluvium. Nam eius verba hæc sunt *Lib. II. Cap. XIII. §. 5: Deinde orbe seccato, execratur iniustitiam prioris seculi Deus, ne rursus longitudo vitæ causa esset excogitandorum malorum, paulatim per singulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in centum & viginti annis metam collocavit, quam transgredi non liceret.* Id ipsum scripserat *Capite antecedenti XII, §. 23. Auctores*, ait, *idonei tradunt, ad CXX annos perveniri solere.* Sed hæc omnia absque auctoritate librorum sacrorum dici, cuiuslibet patet. Ignoti etiam sunt Celebratissimo Auctori nostro, ubinam isti habeantur *scriptores idonei*, qui hoc intervallum pro regula ætatis ac vitæ hominum assumerint. *Francisc. Floridus, Sabinus*, iam notavit, hanc falsam opinionem originem debere suam male explicato huic loco *Genesios.*

nescor. Et Clariss. Bünewannus, *Lactantii* editor, (qui hunc *Floridum* Italum adduxit,) duo simul locos, ubi idem apprehenditur error, adiecit, nimirum *Arnobii*, & *Trebellii Pollionis*. Solide autem *Lactantium* & reliquos confutavit *Ioh. Henr. Heidegger*, in *Exercitationibus de Hist. Sacr. Patriarch.* Tom. I. Exerc. 18. pag. 345. quem deinceps Angli, & alii nostris sunt sequuti. Illi *Auctores idonei*, qui *Lactantio* faciem erroris prætulērunt, sine dubio *Pbilo* & *Iosephus* sunt. Mirandum vero est, in *Vulgata* legi: *Eruntque dies illius centum viginti annorum.* Et apud *Castellionem*: *Itaque est eorum aetas centum viginti annorum.*

Pag. 62-67. *Observ. X.* ad locum *Exod. XII, 5.*) accusatur erroris *Lactantius*, dum agnum paschalem, qui iubetur, in loco *Exodi*, absque macula esse, putavit candidum esse debuisse. Ait enim *Lib. IV. Cap. XXVI. §. 37: Deus, percussurus Aegyptios, ut ab ea plaga immunes faceret Hebræos, præcepit his, ut agnum candidum sine macula immolarent.* - - - *Nam agnus candidus, sine macula, Christus fuit, id est, innocens, & iustus, & sanctus.* Iam certum est quidem hoc, veteres, in sacrificiis suis, etiam rationem habuisse candidorum agnorum. Nam & *Castori* & *Polluci* agnos candidos fuisse sacrificatos, *Homerus* est Auctor. Immo constat adeo, Iudæos ipsos tale requisitum in agno paschali necessarium statuisse. Nam illi numerum vitiorum decem, in lege *Mosis* veterum, ad quinquagesimum usque adauxerunt. Conf. *Maimonides de Introitu in Sanctuar. Cap. VII. pag. 151.* & *Bochartus in Hieroz. P. I. Lib. II. Cap. 46.* At enim vero, quidquid illius fuerit, quamvis etiam pia esset hæc explicatio, tamen non convenit cum significatione vocabuli. Vox enim *Hebræa כִּימֵן*, *integer*, quæ a *Vulgato* est reddita, sine macula, non indicat coloris maculam, sed deformitatis, inane agnus claudus esset, aut scabiosus, vel alterius vitii ac morbi. Designat כִּימֵן id, quod non mutilum est, sed integrum, absque כִּמּוֹן, macula, ἀμωμον, ἄσπιλον, ac sine vitis in *Lege* expressis. Itaque recte translata est illa vox a *Græcis Alexandrinis* per τέλειον, quum eandem habeat
Dd dd 2 signi-

significationem, ac **בלי טו**, *absque nevo & defectu*. Erant enim requisita agni paschalis, hæcæ quatuor. Nimirum sanitas, membrorum integritas, absentia omnis defectus, & ut non deprehenderet eintor, quod desideraret. Conf. *Iob. Spencerus, de Legib. Hebr. Ritual. Tom. 1. lib. II. Cap. 4.* & Summe Vener. *Iob. Gottlob Carpzovius, Appar. Antiquit. S. Cod. & gentis Hebr. pag. 400.*

Pag. 127-131. Observ. XXVIII, ad Psalm LXXII, 6. 7.) In hoc loco Psalmi leguntur sequentia verba: *Descendet, sicut pluvia in vellus, sicut imber irrorans terram. Florebunt eius tempore boni, & multa pax, donec desinat luna.* Quid igitur ad hæc verba *Lactantius* commentatur? scilicet hoc. Ait, illum locum esse intelligendum de adventu Servatoris in mundum, quem *in humilitate carnis obscurum* vocat. Nam *Lib. IV. Cap. XVI. §. 14.* inter alia sic pergit: *Sicut enim pluvia, si descendat in vellus, animadverti non potest, quia strepitum non facit: ita Christum in terram sine cuiusquam suspicionem venturum esse dixit, ut infatigam doceret & pacem.* Et sane non unius *Lactantii*, sed prope communis olim piorum Patrum, ut *Tertulliani, Cyrilli, Ambrosii, Theodoroti*, sententia fuit, ista phrasi, qua *Mellias* dicitur velut pluvia in vellus descensurus, indicari modum illius adventus, quod is placidus fuit ac sine strepitu, instar pluvie in vellus labentis. Præterea alii doctores ecclesiæ, ut *Origenes, Chrysostomus, Augustinus*, ac reliqui, existimaverunt, se adhuc profundius meditari, si per vellus hic adductum, (putarunt autem, eo respici ad vellus *Gideonis*,) *Mariæ* intelligerent uterum, seu ipsam carnem, in quam divinitas se demiserit. Interim ista omnia sunt eiusmodi, ut nulla se veritate possint commendare. Rectius vidit *Seb. Schmidius, in Paraphr. Psalmor. de Christo pag. 357.* primo, aliud esse **טל**, ros *Gideonis*, & aliud **טור**, pluviam, huius Psalmi; deinde vocem **בלי**, quæ hic redditur *vellus*, magis commode de *herba vel gramine succiso* sumi, aut de *prato, cuius gramen succisum est, ut denuo succrescat*, prout usurpatur apud *Amosum VII, 1.* Cui sententiæ etiam sistent *Iob. Cocceius, Mart. Geier, Salomo van Till*, atque alii, vocabulum **בלי** ver-

vertentes, *pratum detonsum*. Itaque hic est sensus Psalmi: *Descendet Messias, sicut fertilissima pluvia super prata, quum gramen eorum demessum est*, (nempe ut denuo gramine vegetantur). *Descendet, sicut imber destillat super terra scissuras, astu ruptas*, (nempe, ut denuo humectetur terra, & cocant scissurae). Ita igitur Messias demittet Spiritum gratiae, & solatium Evangelii super homines in peccatis mortuos, ut denuo reviviscant & recreentur.

Pag. 187. 203. Observe. XLIII, ad locum Daniel. VII, 7. seqq.)
 Describit *Daniel* nocturnum somnium animalium quatuor, & inter ea unius terrifici, & eminentis super animalia tria priora. *Lactantius* autem, qui instituit hæc visa interpretari, non ut decebat ea exposuit. Postquam enim commemorasset, interitum imperii Romani fuisse annuntiatum *Sibylle* oraculo, verba *Danielis* huc transfert, & suam ad mentem exponit ita, ut animal quartum referat ad talem *Regem, qui divina & humana miscebit, infanda dictu molietur, contaminabit leges, diripiet, spoliabit*. Eius verba leguntur *Lib. VII. Cap. XII. §. 18.* Itaque conieciunt viri docti, quinam is *Rex* a *Lactantio* indicetur? *Isaus* putat, *Neronem* ab eo indicari, quum potius debuisset ad *Antichristum* respicere. *Cellarius* autem existimat, *Lactantium* respexisse ad vaticinium de *Gog & Magog*, sed multa ex sua interpretatione confidentius admisit. Quid igitur erit statuendum? Celeberr. Auctor noster erudite evicit, nec *Lactantium*, nec illius interpretes, sensum vaticinii *Danielis* assequatos esse. Communis sententia interpretum eruditorum est hæc: per animalia quatuor intelligi quatuor monarchias, *Chaldeo-Babylonicam, Persicam, Grecam, & Romano-Germanicam*. Dissident tamen *Broughtonius, Grotius, Collins, Herm. Venema*, in eo, quod dicunt, per quartum animal præfiguratum non esse *Romano-Germanicum*, sed *Seleucidarum* atque *Lagidarum* imperium; & per parvum illud cornu, quod inter reliqua decem cornua in capite huius animalis succrevit, *Antiochum* putant *Epiphaniem* subintelligi: quod nostrates theologi de imperio *Ottomannico* capiunt. Docte autem *Kriegsmannus*, Electoris

Palatini quondam a consiliis Camerae, evicit, quartum animal, *Romanum imperium*, & cornu illud parvum, *regnum Turcicum* indicasse. Hanc sententiam *Kriegsmannus* in *duabus Epistolis ad Spenerum* exposuit, quarum alteram S. R. *Wincklerus* iam ante aliquot annos ediderat ex MSe. in *Animadvers. Philol. & Criticis*, pag. 513. alteram autem nunc primum exponit luci publicae, & gratam lectoribus voluptatem affert.

Pag. 279 - 301. *Observ. LVII. ad locum Matth. XI. 5.*) Quam apud *Matthaeum* virtutes & miracula Christi, in *caecis, cecidis, leprosis, surdis, mortuis* facta, occurrant; *Lactantius* illa omnia mystice exposuit *Lib. IV. Cap. XXVI. §. 3. seqq.* & indicavit, magnam ea significantiam habuisse. Dicit, *redditam esse a Salvatore lucem non videntibus*, quo facto significatum esse, fore, ut pectora gentium, quae tum Deum ac caelestia non videbant, illuminarentur luce sapientiae divinae. *Patefactas esse surdorum aures*, nempe brevi fore, ut audirent gentes vocem Dei & Evangelii. *Mutorum linguas in eloquium solutas*, quippe futurum, ut rerum caelestium nuper ignari, de Deo & veritate discerent. *Mertuorum corpora erecta esse*, nimirum tantam viam habituram esse doctrinam eius, ut gentes a Deo alienae, & morti subiectae, ad immortalitatis praemia pervenirent. Atque ita porro. In eadem sententia, post *Lactantium*, etiam *Hugo Grotius*: fuit, dum ad *Matth. VIII, 17.* ita scribit: *Sicut veterum res gestae verum Christi figuram habuerunt, ita & ipsius Christi actiones, aliae aliis denotantibus inservierunt. Nam beneficium corporibus reddite sanitatis, quin figuram remissionis peccatorum, & sanatarum mentium tulerit, dubitari non potest.* Hunc magnum *Grotium*, magno numero sequuntur cum nostrae, tum Reformatae ecclesiae, Theologi, paucis saltem contra dicentibus. Sed sobrium ac circumspectum est Celeberr. Auctoris nostri iudicium, statuentis, caute esse versandum in interpretatione mystica miraculorum Christi, ne *Thomae Wolffoni*, & similibus, vestigia premantur. Affirmat, certum quidem esse sensum spirituales hunc, quem ipse Christus de suis miraculis adduxerit; ut, quando ex miraculosa piscium multitudine præ-

prædicat *Petro*, apud *Lucam V, 10.* illum capturum esse deinceps homines: sed in eiusmodi miraculis, ubi minus sit aliquid tale indicatum, tutius esse statuere, eorum scopum unice haberi hunc, ut credatur, Christum esse verum Deum. *Iob. XX, 31.* - - - Atque hac quidem occasione, quum etiam inter miracula Christi, a *Matthæo l. c.* adducta, referatur hoc: *πτωχοὶ ἐὐαγγελίζονται*, *pauperes evangelium docentur*, propterea S. R. Auctor varias eorum sententias attingit, qui verbum *ἐὐαγγελίζονται* vel *active*, vel *passive*, (quibuscum ultimis etiam ipse statuit,) accipiunt. Denique novam quandam horum verborum interpretationem, a *Munkero*, scholæ Noribergensis Collega, tentatam, profert e schedis secum communicatis. In quo tentamine agitur id, ut evincatur, in loco *Matthæi* adumbrati, *pauperes Evangelistas, sive homines miseris & adversa valetudine pressos, latam historiam de sanitate sua, per miraculosam Christi potentiam recuperata, ubique divulgare & ebuccinare.* Quo artificioso quidem calami stro, utantur, qui volent.

Pag. 319 - 326. Observ. LX - LXIV.) In his observationibus quinque, varia occurrunt decerpta ex passione Servatoris, ad ductum quatuor Evangelistarum. Ea agunt de genere supplicii a Christo perpassi, nempe *crucis*; de *lotione Pilati*; de *chlamyde* Servatori induta; de *corona spinea*; & denique de *aceto cum felle mixto*, & vino myrrhino, quod milites Christo dederunt. Ad hæc singula, quædam ex *Lactantio* apponuntur. 1) *Lactantius* causas, quare Deus elegerit id potissimum mortis genus, nimirum *crucis*, sequentes adducit. *Ait, cum, qui humilis advenerat, ut etiam posset humilibus operam ferre, afficiendum fuisse eo genere supplicii, quo humiles & infirmi soleant, ne quis esset, qui eum non possit imitari.* Deinde, *ut corpus eius non suffringeretur, sed integrum servaretur.* Tandem, *quia crux alta est, crucem potissimum eligendam fuisse, ut significaretur, Christum tam sublimem futurum, ut ad eum colendum cuncta nationes concurrerent.* *Cel. Wincklerus* locum *Lactantii* prolixè adscripsit, ex *Lib. IV, Cap. XXVI. §. 29. seq. &*, laudatis scriptoribus multis,
qui

qui de caussis, cur Christus morte *crucis* voluerit affici, exposuerunt, primariam causam nominavit hanc, quod illud genus supplicii adiunctam habuit imprecationem divinam. *Deut. XXI. 23. Galat. III, 13.* 2) Est aliquod pensum *Lactantii, Lib. V. Cap. XX. §. 33.* in quo ille scriptor Gentilibus exprobrat vanitatem, quod putabant, culpam criminum commissorum aboleri, si aqua pura abluerentur. Non dissimilia extant apud *Ciceronem & Arnobium.* Ex his autem locis illustrari potest *lotio Pilati*, qui signum edere volebat innocentiae, quemadmodum iam *Sagittarius* in *Harm. Hist. Pass. Ies. Chr. pag. 760.* observavit. 3) Vestem, ludibrii causa Iesu indutam a militibus, *punicam* fuisse, idem *Lactantius* habet *Lib. IV. Cap. XIII. §. 7.* ad cuius verba docte est commentatus, de colore puniceo, *Iosephus Iesus*, in editione *Lactantii a du Fresnoy* curata. Monetur, primo, colorem *punicum* cum *spadiceo* confundendum non esse, id quod *Gellius* fecerit, *Lib. II. Cap. 26.* Deinceps evincitur contra *Boysenium*, *χλαμύδα κοκκίνην* apud *Matthaeum XXVII, 28.* diversam esse ab *ἑσθητι λαμπρῇ* penes *Lucam XXIII. 2.* Adicitur denique, eos optime facere, qui omnes colores, ruborem aliquem habentes, adeoque & *coccineum*, *purpureos* fuisse olim dictos existimant. Atque ita etiam hanc chlamydem, & *rubram*, & *exilis fuisse pretii*, monuit *Ioh. Reinh. Rus*, in *Harm. Evang. Tom. III. pag. 112.* 4) Coronam Christi spineam, ex rhamno, ut magis pungeret, contextam fuisse, communis sententia est. Hanc coronam, *Lactantius*, mystice, ut solet, explicavit *Lib. IV. Cap. XXVI. §. 21.* hunc in modum: *Corona spinea, capiti eius imposita, id declarabat, fore, ut divinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur circumfluus in orbe populus,* cetera. Sed hæc est valde contorta interpretatio. Nam Evangelistæ docent, hanc coronam Christo impositam fuisse deridendi confisio, ut declararent nebulones, Christum & falsum & putativum Regem esse. 5) De aceto cum felle mixto, & de vino myrrhino, præter alios multos, etiam nuper egit *Weissenius*, in *Notis ad Nov. Test. Tom. I. pag. 535. & 635 seq.*

Lactan-

Lactantius autem homileticam quandam, ut eam vocat Eru-
ditill. Winklerus, allusionem excogitavit. Aceti potus, ita
enim pergit, ac fellis cibus, acerbitates & amaritudines in hac
vita sectatoribus veritatis pollicebantur. Et quanquam passio
ipsa, per se acerba & amara, specimen nobis futurorum tor-
mentorum dabat, que morantibus in hoc seculo virtus ipsa pro-
ponit: tamen illiusmodi potus & cibus, in os doctoris nostri ve-
niens, pressurarum nobis ac miseriarum praebebat exemplum.
Quae omnia tolerare necesse est eis, qui veritatem sequuntur,
quoniam veritas acerba est, & incisa omnibus.

Pag. 332. 337. Observ. LXVII. ad locum Lucae III, 1.)
Quum in hoc pariter loco d. Lucae, nec non alibi apud Mat-
thaeum XXVII, 2. Pontius Pilatus ὁ ἡγεμὼν vocetur, quem
ipsum Tacitus in Annal. XII, 44. dilertis verbis Procuratorem
Caesaris in Judaea, & Iosephus Lib. II. de Bello Iud. Cap. 14.
Ἐπιτηγεῖνος dixit; ita mirum videri poterat primo aspectu,
quod Lactantius Lib. IV. Cap. XVIII. §. 4. eum nominavit
Legatum Syriae. Ne ipse quidem, doctissimus in his litteris,
Cellarius habuit, quod hic decerneret. Henricus Valesius, in
Notis ad Eusebii Hist. Eccles. pag. 10. & 86. arbitratur, voca-
bulum Graecum τῷ ἡγεμῶνος generalem habere significatio-
nem, & mox Procuratorem, mox Proconsulem, modo Lega-
tum Caesaris indicare. Quae etsi nolumus obstinatius ne-
gare, nondum tamen conciliant Tacitum cum Lactantio.
Itaque Reinesius, in Epist. LV. ad Rupert. pag. 565. docte scri-
psit: Non est pro errato habendum in Lactantio, quem scri-
ptores Romani Procuratorem Iudaeae appellare consueverunt,
ipse Legatum Syriae vocavit, quippe huic tum Iudaea, remoto
Archelao, provinciae in formam reducta, attributa erat, & re-
gebat utramque Praeses, cui Legatum fuisse eum, qui Procurator
Caesaris erat in Iudaea, non implicat. Atque haec videntur non
male exposita. Nam certum est, Procuratorum provinciae di-
versam fuisse potestatem, diversis temporibus Reip. Romanae.
Tempore autem Augusti, quum ratio provinciarum immutata
esset, nonnunquam Praesides mittebantur in provincias, qui
proprie sine iurisdictione & gladio, ac meri Procuratores
E e e e erant.

erant. Hi vocabantur ab *Augusto Propratores*, nec non *Legati Caesaris*, scilicet *Legati pratorii*; & diversi erant a *Legatis Caesaris consularibus*, de quibus *Tacitus* egit *Lib. II. Histor. Cap. 86.* De *Legatis* autem *pratorii* sive *Procuratoribus* exposuit *Spartianus*, in *vita Hadriani Cap. 3.* Ut adeo, hoc certe in loco, *Lactantius* cum sacris literis conciliari possit.

Hæc sufficiat adduxisse de erudita & diligenti S. R. Auctoris commentatione. In qua ceterum multi etiam libri recentiorum scriptorum, parum plerumque noti, laudantur, & varia inferuntur lectu iucunda, atque talia, quæ cognovisse neminem penitebit. Denique *indices accurati*, numero *quatuor*, hoc claudunt opus, quod testimonium est novum de præclare merendi studio sui Auctoris, Viri in scribendo affidui, ac celebre nomen posteritati conservantis.

GUNTHERI CHRISTOPHORI SCHELHAMERI,
Medicinæ quondam Doctoris & Professoris publici primarii in Academia Kiloniensi, Seren. Duc. Cimbr. Gottorp. Archiatri, Academiæ Casareo Leopoldinæ Naturæ curiosorum adiuncti, & Recuperatorum in Italia Socii. Ars medendi universa, ex veris suis fundamentis eruta, & probatissimis veterum ac recentium sententiis curate expensis superstructa. Opus posthumum, nunc demum secundum Auctoris autographum ex propria bibliotheca edidit ERNESTUS FRIDERICUS BURCHARD. D.

Wismariæ atque Lipsiæ, impensis Joannis Andreæ Bergeri, Volumen primum anno 1747. Alph. 2. plag. 8. Volumen secundum ibid. A. 1748. Alph. 2. plag. 2. Volumen tertium Rostochii & Wismariæ, 1752. ex Bibliotheca beati D. Ernesti Burchardi editum.

Qui

Qui diversis annis prodiit, postquam eius complementum nuper evenit, egregius liber, universam medicinam parvo volumine amplectens, una inscriptione exponendus nobis nunc est, ac vehementer laudandus. E primo quidem loco illi referendæ sunt gratiæ, qui magui, cum viveret, celeberrimi etiam post mortem viri, labores vindicare & lucidare voluit; quod cum effectum ab illo est, non amicitiz tantum & pietati, sed & utilitati publicæ gratum præstitum est officium. Erat, cum viveret *Scheldammerus*, ex primiceris artis hujus ætatis doctoribus, maiorum nostrorum, qui hanc Academiam superiore Seculo ornabant, post alios maxime *Joannis Bobnii* discipulus, variis scriptis clarus, quorum lumina hoc opere colligitur. *Tertio Volumini*, quod *Erudito Viro, Christiano Stephano Scheffelio* debemus, quodque *Burchardo* in flore ætatis extincto absolvi haud poterat, ipsius auctoris autographum, quo vita eius conscribitur, præfixa est, potestque exinde, quanto studio, quibus magistris, quibus itineribus, profecerit, intelligi. Summo illum ingenio præditum, sagacissimum, & difficillimarum rerum perspicacem atque eleganter doctum eundem fuisse, nemo dubitat, qui opus illud legit. Est enim in illo concinnus exponendorum ordo, grata, sufficiens tamen ad doctrinam, brevis, sententiarum variarum æqua dîndicatio, atque aliquod antiquæ ac recentioris medicinæ, ad illa usque, in quibus scripsit tempora, compendium. Antiquos omnes studiosè colit, eorumque, maxime *Hippocratis* & *Galenii* sententias ubique excitat: neque servili sorte vetustatis studio, sed amore veritatis, præcis medicinæ statibus, quos meriti sunt honores decernit. Cuius egregii omnino operis singula momenta recensere cum longum omnino sit, singulares tantum Auctoris, super vario argumento, tam hominem sanum, quam ægrotum concernente, sententias dabimus. *Primo Volumine* aliqua artis medendi universæ propædia præmittitur, quæ naturam artis medicæ, originem & progressum medicinæ, sectas medicorum, totiusque, qualis hodie est, medicinæ divisionem sistit. *Libri primi*, quo corporis humani recte valentis constitutio traditur, *Sectio prima*, in universam

physiologiam introductoria est, cuius *Capite primo* de sanitate, *altero* de humana natura scribitur. *Sectio secunda*, quæ partium corporis humani structuram & usum explicat, *Capite primo* de similaribus, *secundo* de partium structura & usu in universon, agit. Reliqua huius Sectionis capita, recepto penes physiologos ordine, ita ad usque vigesimum octavum ordinantur, uti functionum series id secum fert; qua in re nihil singularis aut novi est. Accedit de nutritione commentatio. *Tertia Sectio* de humoribus seorsim agit, & Capitibus septem, de sanguinis ortu ex chylo, reliquisque humoribus a sanguine secretis, liquorum varias in corpore sano vel excretiones, vel mixtiones, atque versus singularem aliquem finem destinationes, proponit. *Quarta* denique *Sectio* spiritus seorsim sistit, quorum origo & motus exponitur, addito de Idiocyrcasia, & singulari uniuscuiusvis temperie, appendice. In his omnibus exponendis A. ita progreditur, ut veterum atque recentiorum super aliquo argumento sententias ubique adducat, dissensus auctorum enumeret, suasque opiniones, cum novæ sunt, solida disputatione evincat. Harum quasdam adducendas esse putamus, uberiore examine omnino dignas. Similares partes eius tenuitatis, uti micrographi eas volunt, nullas esse putat, quod illæ fluidis perviæ ob exilitatem esse nequeant: atque illarum septem genera stabilit, scilicet *cartilagineas, membranaceas, carneas*, atque ex illis *tendineas, singulares* quasdam, ex quibus *arteria* sunt, quibus peculiaris tunicarum strata haud esse putat, hinc *nerveas, cerebrales*, atque aliquas *cellulares*, quales sunt illæ lienis, tandemque *osseas*. Hæ ubi determinata aliqua specie inter se mixtæ sunt, *dissimilares* partes, seu ipsa perficiunt organa. Humores in *circumductos & stillaticios* dividit, seu illos, qui ex visceribus in cava, bilis liquorisque pancreatici exemplo, deplunt, atque sanguini iterum admiscuntur. Naturam sub singulari idea sumptam, veluti *Stablius* illam capit, nullam esse vult, sed quidquid illius est, quod motus voluntati haud subiacentes ad certum aliquem finem dirigit, *in complexu causarum omnium quæ corpori vivo insunt*, sibi arbitratur: multo minus materiam

riem aliquam, uti Cartesius vult, intellectus ac providentiæ capacem, quæ natura sit, esse largitur; sed optimi mechanici, animæ aliquid de officio largientis, partes ubique tuetur. In expositione viscerum, quibus alimenta digeruntur, consentit cum politioribus ac perspicacioribus, dissentit tamen, quod ad fibras intestinorum, orbiculares pluribus dictas attinet, quas spirales esse, flexoque semper ac declivi itinere ferri, maluit, quæ etiam Drelincurtii, quo magistro noster usus est, sententia fuerat. Liquorem pancreaticum in locum salivæ, nunc suo officio valedicentis, succedere statuit. Chylus, sola *pressione* adactus, vasa lactea, quæ alio tempore liquidum tenuius vehunt, neque vero *tractione*, quæ nulla in corpore esse potest, subit. Hæc Auctori in piscibus pelagiis, frigore induratis, eleganti spectaculo apparuerunt. Quod chylus solus, exclusa materie feculenta, vasa lactea subire possit, in causa crusta villosa est, quæ, cum eminentior est, chylum subter se delabi ad oscula venarum lactearum patitur. Motus omnis, adeoque & humorum, auctor, nervorum spiritus est, qui ideas, ad finem prospicientes, in se recipit, veluti Auctor ex sagacitate & industria brusorum docet. Huic principio, quod ab intellectuali discrepat, sedem in corde figit, quoniam illud omnis humorum motus causa est; videturque animas multiplicare velle, in quantum varias circa varia viscera, fluidi nervei collectiones fieri posse, quorum singula diversum quid efficiant, statuit. Circuitus sanguinis, respectu ambitus sphaeræ, intra quam ille sit, triplex est, minimus in corde, inter eius arterias venasque coronarias, paullo laxior inter pulmones & cor, tandemque ille universalis, qui totum hominem attingit: hunc tamen ita capit, ut oporteat sanguinis itum atque reditum inter caput & cor frequentius evenire, quam inter cor extremosque articulos; nam, veluti pars quædam cordi vicina magis est, ita etiam sanguinem per venas remittit citius. In partes illorum abit, A. qui parenchymati favent, putantque, inter arteriosos apices venularumque ostiola rem esse mediam, quæ sanguinem recipiat: cuius rei argumentum sit textura variorum viscerum cellulosa, atque ipsa nutritio. Ut ab

aliis multis atque eleganter comprobatis discedamus, illud nos movit, quod, cum de respiratione sermo est, musculorum intercostalium stratum utrumque vectes esse, ex superiore costa in inferiorem ad decussim directos, argumentis evicit, quorum sit, inferiorem costam elevare, exemplo *subclavii*, qui superioris costae elevator sit. Sunt & alia nova passim, qualia illa sunt, quae circa vitam foetus in utero adest, cum sine sanguine materno se non in utero nutriti, liquore amnii putat, atque placenta uterinae pulmonis officium tribuit, eundemque, qui per arterias umbilicales ex foetu progressus fuerat, sanguinem, per venam iterum reverti arbitratur: cuius rei argumentum illi est, quod pullus gallinae, imo & in magno exemplo, equi pullus, cuius exigua cum fundo uteri connexio sit, sine sanguine materno nutriantur. Plura ex theoria hominis sani addere longum foret: sunt enim alia notatu haud minus digna, quae altero Volumine, hominem aegrotum sistente, continentur. Huius *Pars prima* pathologica est, agitque de morbo, *altera* semiotica, & signa recenset. Atque partis primae pathologicae Sectiones habentur tres, quarum *prima* de morbis, *altera* de causis, *tertia* de symptomate inferibitur. Cuiusque sectionis diversa sunt capita, quibus, quod ad specialiore[m] uniuscuiusque argumenti theoriam pertinet, explicatur. Pars *altera* signa exponit, atque illa in tres Sectiones dispartitur, quarum *prima* de signis, eorumque differentis ac fontibus, tribus agit capitibus. *Altera* speciatim signa exponit diagnostica, quae vel morbi causam, vel symptomata, vel tempus, vel mutationes atque crises attinent, quae sub decem extant capitibus. Sectio denique *tertia* ad morborum eventus respicit, atque prognosis formandae artificium tredecim explicat capitibus. Univerfa, quibus theoria hominis aegroti superstruitur, fundamenta, ex antiquitate hausta quidem sunt, ideo magna ubique est Graecarum sententiarum frequentia: ita tamen Auctor antiquitati addictus haud est, ut ex principiis recentiorum mechanicis hominem aegrotum aestimare noluerit, est igitur aliqua passim veterum & recentiorum opinionum conspiratio. Ne autem longiores simus, singulares

gularēs saltem aliquas illius explicabimus sententias. Sanitatis conservatio cum in integritate sua est, ad medicum non spectat, quoniam aliquis medici finis in illam introduci nequeat: hoc unum ex statu hominis sano ad artem spectare, ut, si tranquillitas actuum aliqua ex parte fluctuat, causa recens educi corrigique subito possit. Neque vero status aliquis neuter est, qui nec sanitas nec morbus dici possit, sed quicquid in homine est, vel sanitas est, vel morbus. Sæpe etiam morbum appellamus, quod morbus dici nequit, sed eius tantum causa appellatur, veluti vermes, calculi, cachexia, quibus hominum conditionibus, morborum nomen largiri pathologi vulgo solent, causæ, non morbi dici possunt. Morbus autem nullus, nec febris quidem, salutis causa ingruit. Sydenhamius igitur, quod morbum *conamen natura, ac veluti pugnam adversum materiam peccantem* appellaverit, castigandus videtur esse: siquidem, etiamsi natura aliqua sit, cui providentia quædam tribui possit, quod tamen negandum omnino recte censetur, dari tamen morbos, in quibus non tam aliquod sic dictæ naturæ molimen, quam aliqua potius eius adsit desperatio, veluti in peste, hydrope, phthisi. In multis etiam natura se mere passive habet, & nil quidquam omni conamine suo proficit, veluti in calculis, luxatis, fractis. Similares morbos, seu illos, intemperiei Galeni dictos, expungendos esse putat: siquidem, cum nihil quidquam in homine est, quod cordi per minima vasa haud sit continuum, nihil etiam est quod non sit organicum. Cum ergo præter vasa & organa, nihil est quod causam morbi recipere possit, nec morbus erit dissimilari. Taxantur veteres, quod, cum illis de morbis totius substantiæ sermo est, & in extremis arteriis triplex morbi genus ponunt, quæ sūt *ἀνασφύγις, morbosa dilatatio, διαπύκνωση, morbosa parietum laxitas, διαίρεσις, substantiæ ipsius ægritudine*, ideas præter necessitatem multiplicaverint, propterea quod una diæresis, reliquos conceptus sub se comprehendit. Eadem ratione reliquæ morborum formæ perquiruntur, & colligantur. De causarum natura & efficacia ita proponit, ut alias dicat esse *naturales*, homini congenitas, nullaque causa ex-

terna inductas, uti sunt sexus, ætas, morbus hæreditarius; alias *non naturales*, uti vulgo dicuntur, propterea forte ita nominatas, quoniam ex natura hominis non sunt, sed extrinsecus natæ ad illam accedunt, eamque sustinent. Alias etiam vult esse *præternaturales*, quæ cum a natura & indole sua recedunt, actiones lædere valent, qualis est omnis sanguinis defectio, & cacochymia, qualiscunque illa sit, *pituitosa, serosa, biliosa, salsa, acida*, quam ultimam ultra limites viarum primarum haud excurrere arbitratur, atque ipsa optimi quoque sanguinis abundantia, quam plethoram dicunt, in istarum causarum *præter naturam*, ordine est, cui accedit spirituum libes, dum illi aut torpent, aut ferociunt. Atque hæc quidem causæ ex natura hominis sunt, eo tantum nomine morborum, quod quantitate, qualitate, ac motu defecerint. Sed sunt quoque causæ, tota natura alienæ, ut *vermes, flatus, calculi*. Denique causas *supra naturam positas* aliquas esse vult, quodsi effectus aliqui ex morbo fuerint, quos intellectus humanus haud assequitur, & quos nulla causarum cognitarum producere potuit, uti, prout sibi relatum Auctor refert, si intra abscessum, acns, fila, crines, nucesque castanæ reperirentur. In his τὸ θεῶν, divinum illud Hippocratis, ponit, illudque vel a Deo, vel ab ipso esse demone vult: quæ tamen vel pietas, vel credulitas, summatim Viri eruditioni nihil derogat, cum omnino sint morbi ex spasticorum genere, in quibus nihil videmus, si omnia ad causas sensibus obvias referre velimus. Symptomata sunt morbi ex alio morbo, tanquam causa sua, nati, quare & ἐπιγενήματα vocantur, seu morbi qui superveniunt; atque illa uti plus magisque increbescunt, ita morbum adolefcere significant: illorum omnium, quotquot ex morbo fluere possunt, collectio, status morbi summus est, unius post alterum abolitio, decrementum morbi dicitur. Neque enim illud secundum veteres morbi initium est, cum omnia cruda sunt, status autem cum coctio est: nam multi morbi per omnia sua tempora cruda manent, quando in novum morbum desinunt, uti febris in hydropem fatiscens; alii morbi statim ab initio iudicantur; alii cum periodici sunt, veluti

veluti Epilepsia, vix temporis rationem illam, quæ in invasio-
 nis incremento, statu ac decremento consistit, admittunt.
 Quod decrementum morbi attinet, illud vel mors, vel mor-
 bus novus est, vel sanitas. Hæc obtinetur, si, quod immo-
 bile est, quod mortuum, quod acre ac naturæ inimicum, re-
 cepto in scholis vocabulo, coquitur, id est, movetur corrigi-
 turve, atque, etiamsi videantur aliqui morbi sine coctura cu-
 rari posse, nullus tamen est, qui separationem morbi à sano,
 quod coquere est, haud involvat: nam & in morbis, sola so-
 luti unione curandis, aliquid sequestrandum est, uti febres in-
 tercurrentes fractis laxatis vulneratis contusis, docent, quas
 urinx turbidæ & sudores, tanquam totidem coctionis signifi-
 cationes, ubique comitantur. Crisin autem, quæ fit subitanea
 in mortem aut sanitatem conversio, qualem Græci medici
 penes suos viderant, nobis nullam esse arbitratur; certe bo-
 na crisis ad sanitatem subito vergens, rara est, quam tamen in
 se ipso Auctor comperit, cum aliquando intra malignam fe-
 brem de vita ambigeret. Narrat enim, aliquam noctem illi
 criticam adeo fuisse, ut post magnas contentiones subito
 sibi pulsus resipuisse perceperit, sibi que, se nunc haud moritu-
 rum, persuadere subito potuerit. Præterea de signis, eorun-
 demque fontibus, & modo illorum significandi, ubique clare
 differit, & aphorismos subnectit, quibus signa causarum, ea-
 rundem sedis partisve affectæ, salutis mortisque percipi, &
 mente firmiter teneri possunt. Speciatim de pulsu ad cal-
 cem voluminis agit, atque rescissa illa scholastica, inutili, &
 verbosa pulsum enarratione, omnem differentiam in eius ma-
 gnitudine, duritie, fortitudine, debilitate, celeritate, tarditate,
 æqualitate vel inæqualitate ponit, & cordis determinatam
 pro cuiusvis pulsus conditione vim, per problematum solutio-
 nem mechanicam ubique demonstrat. Tertium denique
 Volumen, Libro III. remedia seu auxilia morborum exponit,
 cuius pars *prima* pharmaceutica, *altera* chirurgica, *tertia*
 diætetica est. Prima pars, Sectione *prima*, de medicamentis
 simplicibus, *altera* de compositis, *tertia* de chemicis agit; at-
 que uniuscuiusque Sectionis totidem diversa sunt capita, quot
 Ff ff diverſi

diversi meditationum conceptus ex argumento proposito enascuntur. Quidquid corpus quoad solida & fluida mutat, medicamentum est, atque illud vel heterogeneum, *iuvans* pharmacum, *nocens* venenum, vel homogeneum, alimentum puta. Omnibus sua est agendi vis, quæ a determinata molecularum serie & figura dependet: qua in re, reprobanda haud est Democriti, &, qui illum imitatus est, Cartesii philosophia, utpote quæ, nisi verum assequitur, illud tamen sub imagine claras ideas formante sistit. Etiam si autem omne medicamentum non est materia, cum etiam verbis & consiliis medicos haud mediocriter iuvare possimus: proprie tamen loquendo, medicamenta omnia corpus sunt naturale, quo dato vel applicato, causa aliqua morbi mutari, auferri, vel si causa aliqua sanitatis deest, illa suppleri potest. Maxima virtus est simplicium, certo modo usui accommodatorum, atque illorum vel vegetabilium, vel fossilium, vel animalium, quorum probabiles effectus, saporibus, odores, atque alix qualitates externæ sensuales explicant. Etiam si enim simplicium usus experientia magistra natus est: nunc tamen, nihil, nisi quod signa suæ virtutis externa habet, accipiendum temere est. Igitur quod acidum, dulce, acre, austerum, pingue, amarum, quod suave olens aut foetidum, quod molle, asperum, rarum, dilutum est, id omne suo modo, mechanica aliqua necessitate, hunc aut alium effectum producit. Igitur de saporibus, tamquam effectuum in medicamento iudicibus, ingeniose agitur, qui vel simplices, vel mixti dicuntur esse: datur enim aliquid, quod ex amaro dulce, ex dulci acerbum vel oleosum est. De odoribus ita exponit, ut illos vel rei infixos, vel sparsos atque vagos appellet, alios ideas saporibus similes, alios autem sensiones sibi proprias atque inexplicabiles, asserere putet. Ubi ergo de medicamentis in genere, eorundemque agendi modo actum est, universa materies medica illo, quo in scholis solet, ordine, explicatur. Differt autem a pharmaco auxilium; quod illud sua sponte agat, hoc manu sit regendum, & hoc chirurgi est 1) seligere vel excogitare instrumenta, quæ possint procurare synthelin, partes vincire vel obfirmare; 2) quæ adiuvent

vent diæresin, cum quod integrum est, salutis causa vulneratur, sive cruenta sit, sive ulcerosa partis mutatio, quæ ad varios usus suscipitur, cum venas & arterias pertundimus, cutem rodimus, aut quod concretum est dissolvimus, viasque claudas aperimus; 3) quæ paria sint educendis peregrinis, adhibere per exæresin, ubi est calculus factusve mortuus; 4) adhibere quæ possiat auferre mortuam rem, per aplæresin; 5) quod deest, apponere per prosthesin, quamvis hoc ita fieri posse, post *Taiiacotium* nemo sibi persuadere, vel tentare voluerit; tandemque 6) ad rectum ducere, quod deflexit, per diortholin. Hac methodo Auctor chirurgiam brevi schemate tradit, summosque illius conceptus illustrat, ut pro generali idea chirurgiæ sibi sistenda, hanc libri partem legisse satis sit. Sed nihil proficit vel medicus vel chirurgus, nisi causas, quæ hominem ingrediuntur vel ambiunt, rite ordinaverit: atque hæc auxilia sunt, quæ ex victus ratione peti possunt, quorum multa magnos morbos sanant, sine ullo alio pharmaciæ adiumento. Multæ ægritudines aëre mitescunt, alii morbi selecto aliquo alimento, quod medicamenti vim habet, curantur; sunt quos fontana sanat, alii motu vel quiete convalescunt. Etiam si autem quis medicamentorum vires recte edidicerit, falsus tamen erit, nisi applicandi modum & methodum mendendi recte calleat. Hæc pars medicinæ propria est, reliquæ speculativæ sunt, & philosophum plus quam medicum attingunt. Ast medicamentum ita aptare, ut in legitima cum causis oppositione versetur, hoc medici opus est, qui in tantum sapit, in quantum hoc facit. Ast multum meditationis opus est, priusquam aliquis agendum quidpiam in se suscipiat: omnium maxime in tentaminibus aliqua cum temeritate suscipiendis, necesse est, ut quis bene secum cogitet, & quid effecturus nunc sit recte perpendat. Non enim cum ligno, aut ferro, aut lapide, rem habet medicus, ut materiem, quæ illi male cessit, abiicere, novamque ad opus faciendum seligere possit: sed experimentum in corpore humano sumtum, repeti, si male cessit, nequit. Igitur filo opus est, quo ad quæsitum auxilium deducamur, atque illud est indicatio, conclusio

fit scilicet practica, ex præmissis certis ac compertis fluens, cuius conficiendæ eadem, quæ syllogismorum logicorum, est ratio, quo Indicans fit in causæ cognitæ certitudine quaerendum, ex quo per inductionem regula practica, quæ Indicatum est, sequatur. Subnectitur nova demonstrativa methodi medendi ratio, superstructa morborum causæ partis affectæ definitionibus, ex quibus propositiones formantur, quæ leges medendi singulas includunt. Totum opus lectu incundum ob sermonis latini puritatem, atque utile ob brevitatem, bonumque ordinem est. Haud tamen illa laconica brevitatis in scribendo observata fuit, quæ Institutionibus propria esse solet, neque effusa est scriptio, sed demta omni luxurie, quod ex natura argumenti fluit, ubique scribitur. Mechanicum pneumatico iunctum ubique vides, & licet recentissimus Auctor haud est, ita tamen scribit, ut recentiorum dissensus mente iam complexum putes. Talis certe iste liber est, quem & discentes & docentes utilem experientur.

DISSERTATION QUI A REMPORTE LE
PRIX, &c.

h. e.

*SCRIPTUM AB ACAD. REG. SCIENT. ET
El. litt. Prussica premio consecratum, de principio
actionis musculorum. Acceperunt, quæ de palma cum
hoc certarunt. Victor exstitit D. le CAT, Medicinæ
Doctor, primusque chirurgorum no'ocomii (Hotel-
Dieu), Regius Anatomie & Chirurgie demonstrator,
Academiarum Parisinæ, Londinensis, Madri-
tensis membrum, &c.*

Berolini, apud Haude & Spenerum, Regis & Acad. Bi-
bliopolas, 1753, 4.

Alph. 1. pag. 5. Tab. æn. 4.

Primo

Primo dissertationis suæ articulo ostendit, musculorum & partium musculosarum motus, præcipue a nexu inter cerebrum & musculos, nervorum ope effecto, contingere. Id probat paralytis musculi, ligato nervo, qui ad eum tendit. Est tamen valgatam, cor exeintum ex animali pulsare, cerebro orbata animalia vixisse, per exiguum certe temporis spatium. Unde id factum consequitur, non *simultaneum* esse oportere nervorum cum musculis nexum. Steno autem, Vieussens, alique, ligatis arteriis musculum irrigantibus, paralytin huius consequi narrarunt; recentiores Anatomici negarunt id sibi contigisse: Noster ergo quæ ipse expertus fuerit, narrat. Cani, aortam, supra eum locum quo in iliacas dividitur, ligavit, momentoque post, ut pedibus insisteret canis, effecit. Hic autem pedes posteriores rigentes, & velut a frigore torpentes, difficilius moti sunt; igni admovit canem ut incalcesceret, denuo pedibus imposuit, anterioresque munibus suis recte fungi vidit, posteriores magis adhuc torpere quam tentamine primo; rursus calefactus canis, pedibusque impositus, motum omnem pedum posteriorum, etiam cum externo auxilio invaretur, amisit; 7. vel 8. minutis a tempore factæ ligaturæ. Mortuo animali, ligatura examinabatur. Amplectebatur illa cavam & aortam supra iliacas, & exiguam mesocoli partem, nullum vero nervum cuiusdam momenti. Eodem experimento alia die repetito, uti potuit canis pedibus posterioribus, sed pullavit arteria cruralis, apparuitque, non recte factam fuisse ligaturam, quæ cum repereretur, similia primo tentamini evenerunt, contractis, ut post mortem canis vidit, aorta cava, exigua mesocoli parte, magnoque ramo plexus posterioris mesenterii, cui cum musculis extremitatum negotium nullum est. His igitur Stenonis & Vieussensii sententia firmatur. Concedit tamen Auctor, nec hic *simultaneum* semper esse debere sanguinis adfluxum pro motu quovis.

Secundo, Articulo, fluidi ope nexum hunc contingere, monstrat. Utrique, vel sic eum contingere oportet, vel substantiæ nervorum ipsius ope. Hæc ultima vero hypothesis,

nervorum elasticitate utitur, cum nervi nihil minus quam elastici sint, molles ad originem, in progressu firmiores quidem, nullo tamen modo chordis tensis comparandi, utpote qui laxi sunt, plexusque varios & circuitus formant, incurvanturque, ut facile de brachii nervis interioribus, cum flectitur id, intelligi potest. Præterea nervi mollibus partibus, pinguedine ipsa, involvuntur; continuas vero illorum, nexusque cum *sensorio* quod dicitur *communi*, plexibus illis omnino interrumpuntur, destruanturque illa nervorum ex unico fili cuiusdam nervei ganglio nata multitudine, qui omnes filum unde nascuntur, crassitie æquant. Propius autem ad ostendendum fluidum accessurus Noster, narrat, post Bellinum, nervum diaphragmaticum se ligasse, musculo eius hinc paralytico facto. Iam constricta chorda sonum adhuc edit: ergo non chordæ ad modum egit nervus, sed fluidum transmissit, ligatura impeditum. Nervum vero inter ligaturam & musculum prehendentes duobus digitis, hisque ita promoventes, ac si fluidum quoddam in nervo contentum urgere vellent versus musculum, moveri rursus cœpit musculus, cessavitque enchiresi hac cessante, eaque repetita recepit motum, donec nec illa quidpiam prodesset, exhausto velut fluido omni. Chordæ vero intra digitos compressæ effectus nullus est, ita ut non possit hic recurri ad vibrationem nervi. Sed illud addi oportet, digitis, qui nervum comprimebant, a diaphragmate versus ligaturam motis, etiam diaphragma motum recepisse; imo cum nihil omnino comprimeretur nervus digitis, sed tantum pungeretur, idem sequutum est, ut, non propulso aliquo in musculum fluido, motus eius consequutus sit, sed dolore in nervo excitato.

Tertio articulo de natura & proprietatibus fluidi nervei agit A. In cerebro id fecerni, evidens est ex huius structura. Varias autem corporis nostri materies, unde fecernatur, nominarunt physiologi; præcipue A. contra illos pugnat, qui ignem, materiam electricam, lucem, hic in scenam producerunt. Mariotto teste, quæ pars imaginis in oculo ab objectis externis pictæ, in eum locum vadit, quo nervus opticus
inferi-

inferitur, ea non sentitur, sed ut obiectum veluti perforatum appareat, in causa est. Iam si lucis materia, nervæ esset analogæ, suspicari liceret, fortiosem fore sensum, ubi lux nervæo fluido immediate occurrit. Altius igitur adscendum ratus, fluidum nervæum *amphibium* quoddam appellat: *materiam, quia impenetrabile sit, & impulsiva vi gaudeat, sed cui indita sint ab Auctore suo præstantiora quadam velut germina, quibus substantia immateriali connectatur, mediumque velut quippiam inter utrumque sit.* Id continuitate, quæ in omnibus naturæ operibus observatur, illustrat. Fontem autem huius sublimis substantiæ, in variis, quæ natura offert, reperit. Fæcundus ille Spiritus, qui per annos in glande quercus concentratus, cum terræ committitur, explicat se, arboremque magnam vivere & crescere facit. Id quod ovum, aut spermaticus animalis liquor continet, quod generatione excitatum animal producit & vivificat, nihil aliud esse ait, quam fluidum hoc, per diversa organa, quibus connectitur, diversimode modificatum. Eius igitur fons est in fluidis omnibus, in materiis omnibus universi, ubi servit Auctori suo, nobis vero datum, animæ voluntates exsequitur. Credit vero fluidum hoc ex aere, quem inspiramus, pulmonum ope secretum, in liquores animales deferri. Id probat necessitate respirandi, animalibus omnibus iniuncta, licet gradu diverso. Fœtus ipse, dum in utero est, matris respiratione vivit, in lucem editus, ligata arteria trachea, peribit, nihil proficiente organorum illorum omnium apparatu, quibus effici dicunt, ut respiratione carere possit. Usus igitur respirationi attributos non negat Noster, sed pro secundariis habet. Ut vero hæc substantia vinculum quasi est inter animam & materiam, ita proxime ei subest fluidorum fluidissimum, *liquor nervæus*, quem exsudare ex nervo Malpighius vidit: & si alii non viderunt, negantes testes contra asserentem Malpighium nil probant, cum innumera possint efficere, ut non appareat, ut dolor qui produci debet, dum ut in conspectum prodeat laboratur, & similia. Sed eundem aliis phænomenis probat Noster. In iis, qui spina bifida vel hernia spinali laborant,

deest

deest canalis spinalis, ipsaque medulla in regione lumborum. Igitur succus nervus ibi nullis amplius vasis contentus, tumorem format, qui si subito aperiatur, effluente succo, extemplo mors sequitur, si transudet per tunicas tumoris, lente pereunt ægroti. Eadem aliis contingunt. Sutor quidam, in lumborum regione vehementer percussus, tumore carcinomatoso eo in loco infectabatur, qui apophyses spinosas vertebrarum quatuor ultimarum lumbarium, partem etiam vaginæ medullæ spinalis destruxit, omnes autem hæ partes nervosæ dilatatæ, tumorem formabant. Quo extirpato, in juvenili & robusto corpore, nulla hæmorrhagia secuta est. Sed a superioribus medullæ spinalis partibus, tanta copia nervus liquor transfudabat, ut quæcumque vulnere imponerentur tegumenta, tota maderent, hæmoque duarum dierum spatio exhaustus veluti periret, ut infantes cum spina bifida nati. Similis mors, sed lentior, alii robusto homini contigit a tumore quodam in capite, cui cava eminentiæque variæ cranii suberant. Nam aperto tumore copiosissima orta est exsudatio lymphæ, ægerque tandem atrophia, phænomenisque infantibus illis miseris plane similibus, prostratus est. Aperto cadavere apparuit cava illa ad interiora cranii penetrasse duram matrem, fungosas excrescentias eo propagasse, lymphamque nerveam extravasatam mali causam extitisse. Alium tumorem, spinæ bifidæ similem, in infante quinque vel sex annos nato, vidit Noster. Marasmo autem idem ille consumebatur infans. Idem vero fluidum, quod hic in propriis sibi locis detexit Noster, alibi monstrat. Semini cum eo convenire probat illa virium prostratio, quæ post eius effluxum contingit; sane pulsam cerebri dilutam in eo ænatomicus vider. In papillis illis nerveis, quibus sensuum & secretionum organa instruuntur, ut lingua, nares, &c. in glandulis, (quæ etiam a nervis nascuntur,) lymphæ mucilaginosa anatomico, sæpe etiam vulgo apparet. Hæc nec esse potest in villosis illis tunicis, nec copiosior adfluere nervis irritatis, nisi ab his adfundatur. Præsentia porro fluidi huius, ex ipsa eius necessitate sequitur. Non nutriri potest cerebrum, nisi a fluido, sanguine multo
sub-

subtiliori, paralyſis & atrophia contingunt musculo, cui nervorum auxilium denegatur, licet arterioſus ſanguis copioſe adfluens, ſatis videatur eum nutrirurus. Duplex ergo fluidum nerveum ſtatuit noſter, ſuccum illum lymphatico mucilaginoſum, de quo nunc loquuti ſumus, & ſpiritum animalein, proxime inter hunc & animam interiectum.

Jam Articulo quarto progreditur ad ſtupendas illas musculorum actiones, motusque & quietem, momento ſibi ſuccedentes, ex fluido nerveo explicandas. Ergo de fibris musculorum agit, easque cavas eſſe docet primum ratiociniis, ex contractione muscoli deſumptis, quæ ſolidis omnibus contingere non poſſet: deinde proprias obſervationes adducit, fibrillamque vivo muri maiori extractam, craſſitie diametrum dimidiam crinis æquantem, microſcopio contemplatus eſt, viditque cavam, liquore interrupto pleam, tubulo thermoscopii perturbati ſimilem; in ea poſt aliquod tempus conſiſtens liquor figuram quidem mutavit, cavam tamen perſpicuum ſemper manſit. Eadem obſervanti ſæpius ſe obtulerunt: hanc vero, de qua diximus, obſervationem depinxit. Pluribus, quæ ad fabricam fibræ muscularis pertinent, additis, originem muscoli illuſtrat eo quod efficit, a dura matre, dum nervum opticum per foramen, ei nervo deſtinatum, comitatur. Abit enim in duas laminas, quarum una vaginam nervo præbet, vel membranam potius exteriorem, altera interiora orbitæ obducit, & perioſtium efficit. Hæc ultima lamina, aperte rurfus in duas dividitur, quarum una musculos oculi efficit, exterior vero obducit quidem orbitam, ſed membrana tenuiſſima, ut quæ dimidium ſui musculus formandis impendat. Musculos igitur ex laminis nervolis natos, aponeuroſium ſpecies putat, quarum fibræ anguſtiſſimæ ſint, denſiſſimeque contextæ, ut aliud fluidum, quam ſenſationis inſtrumentum, non admittant. Id anatomico patere, ait, in frontalibus musculis & occipitalibus, in iis auris externæ, faciei, fibrisque muscularibus gangliorum, Lanciſio iam cognitæ. Poſthæc præcipua muscularis motus phænomena recenſet, ſtatusque tres muscoli diſtinguit, *mere paſſivum*, qualis

est musculi in cadavere, *mediocrem* contractionem, quæ tertio, *summae contractioni* opposita, *relaxatio* vocatur. Iam varias hypotheses, quas motui musculari explicando commentati sunt physiologi, refutat. Vesicularum systemati opponit, velocitatem motus muscularis obtineri sic non posse, quantumcunque multiplicentur vesiculæ unius seriei. Deinde, cum non tardius relaxetur musculus quam contrahitur, quomodo exeat fluidum nerveum ex vesiculis non patet. Si differentia vasa adfint adducentibus æqualia, statim ea intrabit fluidum, nec inflabuntur vesiculæ. Habent vero systemata omnia hucusque excogitata commune hoc vitium, quod actualem & momentaneum influxum fluidi nervei sumant, cum motus animalium capite orbatorum, & similia phænomena, id necessarium non esse evincant. Hypothesis ergo nostri, quæ caput est scripti totius, huc redit: fibræ muscularem quamvis, laminis transversis divisam esse in cava rhomboidalia, ut, dum contrahitur fibra, cava hæc, ex longis & angustis, latiora & breviora fiant. Idem consequitur si fibras musculares, filorum contortorum, ex quibus restes formantur, ad instar sibi circumvolatas fingamus. Utravis ergo modo fibræ abbreviantur, musculus vero contrahitur, si fluidum nerveum, quo musculus plenus est, rarefiat, ut singulæ eius particulæ maius volumen occupent. Ita nullus adfluxus novi fluidi requiritur. Spiritus animalis vero, minister animæ, ex nostri sententia, ubique alteri illi fluido nerveo mucilaginoso lymphatico intermixtus est. Ceterum, fluidum illud constantes circulationis leges sequitur. Arteriosum sanguinem auxilio esse posse motui nervorum, non negat Auctor, cum canes cerebro & medulla spinali privatos, moveri fecerit quidam, aere in pulmones intruso.

Pauca dicemus de scriptis quæ accesserunt. Primum eorum, gallico itidem idiomate exaratum, a definitionibus orditur, & ex phænomenis musculorum enarratis, infert, materiam electricam esse, qua pleni sint muscoli, & qua agitata contrahantur. Nam musculo similem machinam ex filis componens, & electricam reddens, contrahi vidit. Ceterum, quomodo

modo hæc electricatio ad motum producendum fiat, apud ipsum non legimus: plura autem habet, acumen & peritiam ostendentia.

Sequitur gallicum *D. le Cat* Scriptum, de sensibilitate duræ & piæ matris, periorum, membranarum, ligamentorum, tendinum, &c. missum cum palmam sibi decretam audiverat. Has corporis partes sentire, contra *H. de Haller* tuctur, observationibus pluribus, in hominibus factis. Nam *Ziunii* experimentis, in animalibus captis, obicit, signa, quæ animalia edunt, doloris aut insensibilitatis, æquivoca esse.

Iam latina exhibetur dissertatio, fluidum nerveum adsumens, insuper vero nervorum genera duo ponens, sensorios scilicet alios, sive revehentes, & motorios ac sensorios simul alios, seu advehentes & revehentes. Motorii singuli an existant, non definit. Theoriam suam breviter his complexus est: *Quando Spiritus dato tempore in maiori copia per advehentes nervi fistulas ad muscolum veniunt, sive id a stimulo in ipso nervo, sive a causa in cerebro nata, sive ab imperante anima fiat, tunc musculus contrahitur. Quando vero hæc celeritas in motu Spirituum remittit, & nervus aut nervi eam duntaxat adducunt copiam, quæ cum musculo in equilibrio est, tunc idem musculus iterum quiescit. Quies autem & contractio ideo cum maxima celeritate alternant, quia spiritus de electrica materia, in sanguine presente, & ab eo intra encephalum separata, facti sunt.*

Ultimum est scriptum germanicum, quod evincit fluidum nerveum, subtilissimum, sensus non feriens, utpote quod in vasis, quorum subtilitatem sensus nostri non adsequuntur, contineatur; id, irritando fibras musculares, breviorum muscolum reddit, penetrando autem in reliqua musculi vasa, materiisque ibi reperiendis se admiscendo, musculi volumen secundum crassitiam auget.

LATINI PACATI DREPANII PANEGYRICUS
cum notis Variorum integris & selectis. Accedunt
WOPKENSII notæ nunc primum editæ, curante
IO. ARZENIO, ICo, qui &
suas adiecit.

Amstelodami, 1753, in 4.
 Alph. 1. plag. 4.

Panegyricorum Veterum post Plinianum facile princeps est Pacatianus, quem sibi expoliendum oruandumque sumit Arzenius, V. C. In eo usus est Excerptis Cod. MS. Guelferbytani, qui olim Gudis fuit, factis olim per Corsium, & communicatis ab Longolio V. C. Eum vocat eximium Arzenius: ex iudicio, ut opinamur, Cortii: nam in excerptis ipsis non multa eximia nos reperimus. Nam bonæ lectiones fere omnes dudum in editis comparent. Medelam quæ afferrent locis corruptis vix unam aut alteram observavimus, præter ea, in quibus cum Schwarziano libro consentit. Accessere notæ Wopkensi V. C. editori benigne submissæ: cuius viri doctrina, & modus rei Criticæ tractandæ, dudum pluribus documentis cognitus fuit. Schwarziana observationes, quæ inter notas comparent, Altorfii per modum Disputationum Academicarum editæ fuere. Additæ etiam in calce Baldini notulæ, & Barthii ex Adversariorum opere.

Notæ Arzenianæ versantur primum in ratione reddenda lectionis editæ, commemorandis variis lectionibus librorum, Guelferbytani imprimis, iisdemque vel probandis, vel repudiandis. In quo ut multa bona reperient lectores, ita etiam hæud pauca protrita, veluti, de aberrationibus librorum in quibusdam verbis, commemoratis multis subinde viris doctis, qui talis aberrationis exempla vel conguessere, vel indicavere. Quod nobis etiam visus est V. C. peccasse in altero genere notarum, quod ad illustrandum pertinet. Ex quo genere est,
 quod

quod v. c. p. 9. *fuit dici pro mortuus est docet*, pag. 75. quid sit *ludus* (gladiatorum), pag. 78. quid *inslitium*, laudatis etiam Philologicorum librorum locis, quibus de iis tractatum: quæ, nostro quidem iudicio, a tali libro, qui non destinatur tironum incitæ, abesse debebant. Atque etiam in talibus interdum non satis est accuratus: velut pag. 96. cum *vexillum latrocinis attollere* illustrat, vexillumque ait fuisse signum militare, quod in prælio præcipue sequebantur milites, laudatque Iuvenalem, Florum, Sallustium &c. Quæ nemo intelligentior probabit: cum clarum sit, hæc verba pertinere ad vexillum id quod in prætorio propositum est signum exeundi e castris, prælii imminentis &c. Quæ deinde addita sunt isti explicationi, cum inde petitam metaphoram ait *submittere vexilla*, & reliqua, sunt ab hoc loco alienissima. Nec minus aberravit Vir doctus pag. 68. in verbis: *quin si quando in lucem venire & diem ferre potuissent* (de Imp. loquitur superioribus), *lecticis tensisque subvehi — — movebantur*. Nam *tensas* interpretaturus, affert nobis *tensas* illas sacras e pompa Circensi, quibus olim Cæsaris simulacrum ductum, post vivos Imp. usos tradit. Sed hæc non impediunt, quo minus probetur ac laudetur cura & doctrina V. C. quæ in aliis permultis locis vel vindicandis, vel corrigendis, vel illustrandis apparet, & ipse optime de *Pacato* meritis putetur. Sed Codicis Guelf. specimina edamus.

Cap. IV. Pro *experientissimos duces* liber Guelf. habet *experitissimos*: quod utrum probet, an improbet, non ostendit V. C. contentus admonuisse, *Pacatum* sic loqui cap. IX. quod contra est, cum ibi sit *experiens*. Nos facile vulgato prætulerimus. Cap. VII. in verbis: *Dudum, ut video, dedignaris hanc gloriam: sed patere eam in laudum tuarum parte consistui, quæ solebat in aliis sola laudari*. Viri docti coniecerant *ea* pro *eam*. Id habet Cod. Guelf. beneque probat *Armenius*, non ausus tamen inferre textui. Nec male illud, quod idem liber Cap. XVI. *humilis hac virtus* mutat in *humikum hac virtus*. Etiam hoc accuratius putamus, quod cap. XVII. pro *tribus* habet *tribuar*, in oratione obliqua. Cap. XVIII.

XVIII, quod pro *bonorum* e coniectura Rittershusius fecit, & e Cod. MS. firmavit, *bonorum*, idem exhibet Guelf. liber. Cap. XXI. *otiosa viatoris manus* rectissime a V. C. e Guelf. Cod. mutata in *odiosam*: dicitur enim verbere submovere plebem. Cap. autem sequente, in verbis: *qui nondum virtutis tux fulmen exceperunt, nominis terrore percussi & velut adflati quiescant*, liber Guelf. habet *percussi & adflati*. De priori varietate dubitat Vir Cl. nihil referre indicans, utrum praeferatur, & promiscue dici existimans: alterum autem *adflati* haud dubie retinendum censet, quod id proprie de fulmine dicatur. Quae ratio haud scimus an iusta sit, cum non ad fulmen, sed ad terrorem nominis verbum hoc referatur, atque adeo, quia nominis terror a fulmine virtutis diserte distinguitur, ne convenire quidem huic loco videatur. Particula *velut* potius tueatur, quae *rei adflati* non satis apta est. Capite proximo, in principio, quod bene e libro suo constituit *Schwarzius*, quocum consentit *Guelferb.* qui & mox in verbis: *in ipsum solis cubile* &c. omittit *in*, ut voluit *Barthius*, rectissime: in eoque vellemus textum correctum esse. Sed bene e. eodem vocem, *hominem*, delevit, auctoritate Codd. *Schefferi*, *Schwarzii*, & *Guelf.* & Cap. XXX. ex iisdem libris, *servanti*, pro *servata*, & XXXIII. pro *recantata* e *Schwartz.* & *Guelf. decantata*. At bene repudiat *Schwarzio* probatam lectionem utriusque libri Cap. XXXVI. *frontibus imminere*, pro *poplitibus im.* De fugientibus enim sermo est, quorum frontibus persequentes non imminet. Cap. XXXIX. pro *Thesalicum* C. *Guelf.* habet *Thessalium*, quam scripturam veram putat & sequitur V. C. haud scimus an cum multis aliis. Cap. XLIII. pro, *Habet viros*, rectissime rescripsit, *habet vero*, e Cod. eodem: quod ante coniecturis iam repererant Viri docti, & e Cod. protulerat *Schwarzius*. Sed haec sufficiant.

THESAURUS GEMMARUM ANTIQUARUM
*astriferarum, quae e compluribus dactylis selectae,
 creis*

æneis tabulis CC. inscriptæ, observationibus illustrantur, adiectis parergis LX. Atlante Farnesiano, prolegomenis, diatribis III. Dissertationibus XV. & indicibus.

Florentiæ, anno iubil. 1751. ex officina typographica Albiziana, fol. Volum. I. plag. 9. tabb. æn. 200. Volum. II. Alph. 5. plag. 13. Volum. III. Alph. 3. plag. 8. cum figg.

Gemmarum studium fere solum universæ antiquitatis cognitionem exactam requirit, immo plus etiam poscit. Omnia fere alia antiquitatis monumenta, certis quibusdam legibus nituntur: sed gemmarum artifices nulla omnino lege coercerentur, & quicquid in mentem veniebat exprimendi libertate, nemine prohibente, perpetuo usi sunt. Hinc non omnia solum, quæque patent, naturæ & artis opera iis inserviebant: sed amplissimus præter ea imaginationis campus aperiebatur, unde figuras proflus arbitrarias, & luxuriantis ingenii ope fictas, libere depromerent. Difficillimum hæc ipsa de causa esse gemmarum studium, quis non intelligit? At vel pars eius studii, quæ gemmas spectat astriteras, in immensum fere extenditur, si omnes gemmas magicas, omnem amuletorum farraginem, huc simul trahere velis. Ex tanta igitur copia, selectas modo gemmas Cel. Gorius huic operi inferendas duxit, *theogonicas, mythicas, physicas, astronomicas, genealogicas, auspicales seu augurales, symbolicas, chimericas, lucricas*, astris ornatas, rariores adhæc, multaque eruditione refertas. Supra quinquaginta gemmas ducentas continet hæc collectio, æneis tabulis, & parergis, ad fidem archetyporum propositas. Non exquisito ubique chalcographorum studio usus est Noster, quasi ab uno tantum peritissimo cælatore prodierint: sed nunc rudis cælaturæ, nunc opti-

mæ, servavit leges, prout in gemmis se vel hæc, vel illa, oculis
 intueantur offerebat. In his autem gemmis colligendis ami-
 corum ope *Gorius* fuit adiutus, qui ectypa, quæ habebant,
 corea cum ipso communicarunt. Dactylithecis præcipue
 usus est *Bonarrottiana*, *Chiappiniana*, *Medico-Cæsarea*, *Oda-
 miana*, *Olivcriana*, *Passeriana*, *Planciana*, *Stofebiana*, *Vi-
 Horiana*, *Zancitiana*. Interim, dum omnia *Gorius*, quæ
 huc pertinent, collectanea & scripta evolvit, ut non sine
 commentariis hæc gemmæ in publicum prodirent, *Io. Bapt.
 Passerius*, v. r. doctissimus, vix patiens mortæ, obtinet a *Go-
 rio*, ut gemmas omnes, quas collegerat, accurate delineatas
 a *Filidauro Rosso*, *Florentino*, & maxima iam ex parte a *Vin-
 centio Franceschini* xri incisas, actutum ad se mitteret. Intra
 paucos menses, non solum gemmas *Passerius* reddit,
 auctas maxima ex parte: verum & singulas accurate ordiue
 dispositas dat, omnesque suis notis & observationibus locu-
 pletatas, atque insuper prolegomenis adauctas. Felicem
 se prædicat *Gorius*, ob hanc spartam ab eo viro sibi prære-
 ptam, hæc sola laude contentus, quod obstetrices manus dederit,
 ut hoc opus in publicam lucem prodiret. Nec tamen profus
πρὸς μὲν abiit *Cel. Gorius*. Præter dedicationem *J. L.
 Pallavicino*, heroi in fago æque ac toga magno, sacram, &
 præfationem, de *Mercurio* item *ἡρακλέω* diatriben, adiecit.
 Tantum de historia operis. In prolegomenis id præcipue
 egit *Passerius*, ut in certas quasdam classes omnem astriferarum
 gemmarum copiam dispelceret, & cui usui inservierint, quantum
 fieri potuit, ediffereret. Stellarum usus, ut in aliis monumen-
 tis, ita præcipue in gemmis, maxime varius est, & non raro
 dubius. Nostro, ad sex capita gemmas astriferas referre pla-
 cuit. Primum stellas complectitur *symbolicas*. Reliqua vel so-
 lem sistunt, vel simul planetas, vel totum coeli complexum, vel
 zodiaci signa, vel signa cœlestia reliqua. Ut autem hæc stellas
 Romani, aut Græci, gemmis insculperent, vel iubere pietas
 potuit, vel virtus lapidum naturalis suadere visa est, vel
 etiam augurium eius rei dedit occasionem. Multa multifa-
 riam

riam de hac re fuere disputata, & a Nostro etiamnum disputantur, ita tamen, ut difficultatibus plurimis adhuc referta hæc doctrina maneat; in primis, quod ad magicas attinet gemmas, & Abrakeas, seu Basilidianas. Latent quandoque in hisce sculpturis meri artificum lusus, atque ioci, seu etiam scommata, quæ olim nota, nunc fere ignorantur. Ex *Asopos* etiam, & *Phædro*, apologi repetuntur; & ipsorum fabulæ, magna ex parte, gemmis possent adornari. Significationem gemmarum nonnunquam quadruplicem Noster affert: mythologicam, astronomicam, medicam, magicam. Ut, quantum fieri posset, accurate procederetur, quædam præcipua de artis astrologicæ deliramentis repetere necessum fuit. *Basilidiana* gemmæ, & sepulcrales, ad quam classem sint referendæ, vix poterit definiri; nec incongruum erit, suas illis proprias classes concedere. Quæ feralibus symbolis ornantur gemmæ, in usum præcipue mortuorum videntur comparatæ. Nam vix nobis persuadere possumus, illas in vivorum usum fuisse elaboratas, propterea quod triste augurium præ se ferrent. At gemmæ illæ tabulæ, Parisiis & Viennæ adseruatæ, & *Cæsarea*, *Tiberiana*, vel *Augustæ*, ita vulgo appellatæ, quod Cæsarum consecrationes continent, cæsareis fortasse tumulis fuere dicatæ, & vel urnis inditæ, vel operculi loco superpositæ. Ad ipsam singularum gemmarum interpretationem accedere nunc lubet. Primum occupant locum parerga, seu illæ gemmarum figuræ, quæ textui, ornatus gratia, inspersæ, nec integris, ut ceteræ, tabulis incisæ reperiuntur. Prima inter has *Iovis Victoris* symbola refert, in quibus & caduceum, prudentiæ signum, reperiri, annotatu non indignum iudicamus. In fronte præfationis, Pan, naturæ symbolum, inter signa zodiaci conspicitur. Notandum est, ubique in gemmis arietem summum locum tenere, quamquam alioquin ordo diversus sit. Alludit hæc gemma ad Lupercalia sacra, quæ Lyceo Pani sollempnia habebantur, unde & hic solis signum inter signa piscium & aquarii collocatur, quod Lupercalia tertia die post Idus Februarias haberentur. Delphin cum *Amalthea* cornu decussatus, tridente in-

Hh hh fert,

ferto, atque stelligero orbe subiecto, in gemma prolegomenis præfixa, ad victoriam Actiacam alledere dicitur. In fine paregorum marmor genechliacum *J. B. Passerii*, huius thesauri interpretis, adicitur, ut, quæ inter antiquum morem, & nostrum, sit differentia, melius inde cognoscatur. In reliquis, quæ integris tabulis incisæ sunt, gemmis, hæ, quæ sequuntur, præcipue notari merentur. *Jupiter Melchior*, *tabula VII*, curru vehitur, & biogas aquilas loro regit, astro præfulgente, subiectisque arietis & libræ signis: unde satis colligitur, thema natalis alicuius hanc gemmam continere. *Tab. XVII. Serapis* inter duodecim zodiaci signa collocatur, sed eorum ordine naturali maxime perturbato, unde diversa tempora quibus facta aliqua evenerunt, videtur indicare. Equus in locum Aquarii substituitur: quod, qui factam, non constat. *Tab. XXII. Serapis* non turritus exhibetur, columellam dextra regens, quæ Niloscopium esse videtur. Sub pedibus crocodilus, & circa illum sex stellæ, seu planetæ, apparent, septimum locum Luna occupante. *Tab. XXXIV.* septem, ex Nostræ sententia, planetarum capita sistuntur. Alii longe aliter hanc gemmam sunt interpretati, ut inde, quantis tenebris gemmarum studium sit involutum, satis superque pateat. Vide, si placet, *Hist. Reg. Acad. Inscript. Par. Tom. I. pag. 352. Tab. LXVI. Dianam* Sardoniorum referre Noster putat, sub forma mulieris circum caput velatæ, inter binas spicas collocatæ, ceterum in Hermæ modum factæ. Diversas urbes, sub diversa specie *Dianam* coluisse, e numis potissimum sit verisimile. *Tab. XCV.* virum exhibet delphino imminentem, cum patera, & geminis ramisculis, quem *Mercurium* esse, dormitionis præsidem, & animarum deductorem, Noster putat; nisi forte inter magicas hæc gemma referenda est. *Tab. CXXXI. Deæ Panthæ* simulacrum ostendit. *Serapidis* modius, *Fortune* cornu, *solis* astrum, & lepus *Veneris*, multiformem eius numinis potestatem innuunt. At præfert Dea pueruli etiam imaginem in ulnis, victoriæ coronam sustinentis: quo indicatur, eam gemmam ad principis cuiusdam femine puerperium alludere. *Tab. CLXXXIX.*
sym-

symbolum vigilantiae militaris exhibet. Anser laticinis vicem gerit, & intortam tubam transversae hastae obfirmatam, ut Romanis in usu erat, altero pede constringit, illamque ori admovet, veluti clangorem emissurus. Notam omnium dignissimam sunt gemmae *Tabulis CXLVII, & CLXXXIV*. alatae: sed nimis proluxa earum hic foret repetitio. Ultima *tabula* Christi monogrammate oratur.

Sequitur de gemmis *Basilidianis* diatribe *I. B. Passerii*. Minus recte *Basilidianas*, vel *abraxas* vocari has gemmas, Noster putat, quae magicae sint. Ut vero, quid de iis sit iudicandum, rite definiat, *Macarii. Chisletii*, suam etiam, & aliorum collectiones ita perlustravit, ut cum *Basilidianorum, Gnosticorum, Ophitarum* doctrinis, quas in Patribus invenire datur, eas sedulo conferret. Sed nihil invenit, quod huc referri commode posse; adeo ut credat, in hac Antiquitatum copia vix aliquid reperiri, quod haereticorum manu exaratum sit; quin potius illam totam, sagis, hario-
lis, maleficis, circulatoribus, atque eiusdem farinae lycophantis, tribuendam esse. Et si vero aliquando occurrat, (occurrit autem saepius,) unde gemmarum cum *Basilidianis* deliriis cognatio exculpi possit: non tamen illud istis haereticis adscribi vult, sed idolorum cultoribus, & feculis, quae Gnosticorum aetatem praecesserunt. In qua quidem re nimium esse *Cel. Passerium*, omnino credimus. Amuleta, & descriptiones, quales aliquot in gemmis conspiciamus, nec a genio Gnosticorum abhorrent, nec omnino ab ipsorum doctrina; quamquam plurimos huius generis lapides ad alios homines pertinere lubentes largiamur. Nec negamus, voces quasdam, & imagines, non Ophitis solum, aut Gnosticis sed aliis quoque ante ipsos, fuisse usitatas. Voces tandem corruptae & depravae, sculptorum oscitantiae & imperitiae tribuendae, non autem novae voces, novae res, fingendae sunt. De characteribus etiam, quales in gemmis magicis inveniuntur, aliqua *Passerius* commentatur, & tabulas subiungit inscriptionum, quarum ex parte interpretatic-nem tentavit. Finem ornat index alphabeticus vocum, in
Hh hh 2 illis

illis inscriptionibus, symbolis, & lemmatibus occurrentium. Addi poterant plurium vocabulorum interpretationes, si res accuratiore disquisitione digna fuisset. Num. 30. IAH KAKΩ a Nostro vertitur: *Deus malum avertat*. Quare non: *Deo malo*? Duplicem enim Deum, bonum & malum, hæritici habuerunt. Num. 32. amuletum est, cum vocibus: IΑΩ ΑΣΑ, Deus sanet, seu seruet. Eadem significabant IΣΑ ΗΑΩ, ΑCH IVΩ &c. Num. 133, 107, lege ΑΘηνα, *Minerva*. Num. 148. ΑΡΡΩΠΙΦΙΑCIC idem est ac ΑΦε-
δισιασις. Quisquis invenerit tales nugas, hoc a vero abhor-
 rere non putabit, Christianos ab ethnicis, & vicissim hos ab
 illis, materiam nonnunquam ad illas, vel occasionem sum-
 sisse, vel cum suis easdem confudisse. Hinc nunc ethnica
 nomina, nunc christiana, in iis reperimus.

Accedimus ad gemmam christianam ignoti Imperatoris, nudi, galea tecti, draconem hasta crucigera confodientis, diatriben *J. B. Passerii*, qui illam gemmam ideo selegit, quod ad christianos pertinet, quorum dactyliothecam congerere meditatur. Per draconem Noster hostem Romani populi intelligit, non malum genium, nec militare simula-
 erum, ut alii voluerunt.

De Mercurio *νεφεωπιος*, seu fulguratore, diatriba *A. F. Gorrii*, Ernesto, Nobili ab Hauer, sacra est, e cuius cimeliarcho depromta fuit eclypsa forma gemmæ, quæ Mercurium sistit stantem, toto corpore nudum, qui pedibus nudis subiecto globo insistit. Caput habet rotundo tectum petasunculo, pinnulis utrinque munito. Sinistra caduceum, pendente marsupio, in manu gerit: dextra vero fulmen sublatum ostentat. Pone globum duæ manus, dextra & sinistra, assurgunt, copiarum cornu, frugibus refertum, attollentes. Fulmine honoratum fuisse Mercurium, ut alios deos, etsi non ignotum, rarum tamen est. Cetera symbola forsitan persuaserint, sub hac figura deum Pantheum sisti, vel Imperatorem quemdam, cui adulatio hæc divinitatis signa tribuerit.

Tertium Volumen dissertationibus XV. absolvitur, quarum prima de Atlante Farnesiano exponit, quem *Franc. Blanchi-*
nus

nus illustrare voluerat. De Atlanticis fabulis in genere *Pasferius* quædam præmittit: tum in Atlantis historiam, & mythologiam, accuratius inquirat. Telamonem corrupte vocatum fuisse Atlantem autumat, & a posteriore nomine prius derivatum, detracto A, quasi pro Talamunus, ut a Lucio Lucumunus. Ea, quæ ad historiam, vel ad fabulas pertinent, sedulo congeruntur; tum & Atlantis illius Farnesiani maris antiquitas vindicatur. Sustinet vero hic Atlas, ut ceteri, spheram pæne parallelam; & circulus nunquam in Italia & Græcia apparentium, adeoque sculptori ignotorum, ita humeris & cervici Atlantis accommodatur, ut ex quadam sculpturæ necessitate, quæ demonstrari non poterant obvelentur. Quantum in ceteris hic globus a recentioribus differat, multis ostenditur, & simul antiqua cum recentiore astrothesia studiose confertur, mythologia denique ex antiquis eruta.

In gemma pastorali, quæ secundæ dissertationi occasionem dedit, iuvenis expressus est inter oves constitutus, qui ovem humeris defert, additis asterismis solis & lunæ, & obscurissimis characteribus, de quibus neque divinare aliquid possis. Hanc gemmam secundum triplicem sensum Noster explicare conatur: sed nihil definit. Ethnici hic agnoscunt Mercurium Criophorum, gregum præsidem; Christiani bonum pastorem, Christum; Basilidiani amuletum. In altera gemmæ facie bini pisces cum anchora conspiciuntur, & litteræ in peripheria: TERTAAVII, forsitan *Tertulli*. Nos quidem, cur christianis hæc gemma sit deneganda, non videmus.

Istis Goriæna, Dissertationis tertiæ argumentum, constat ex aere optimo. Dæ caput velamento est ornatum undulato, nempe galericulo quodam, unde tænix hinc inde pendentes tempora ambiunt. Ipsa Dea decussatis fingitur circa pectus manibus, quod cuncta corpora quadrifariam dividuntur. Gemina in manibus flagella, significant Solis & Lunæ cursum, quo naturam moderantur. Duplici dracone corpus dæ circumvolutum conspicitur: præcipua enim hæc est divinitatis

tatis nota. Cum vero nec ullum aliud genuinum Ifidis simulacrum reperitur serpente cinctum, nec aereum ante devictam Aegyptum visum fuerit: ab Aegyptiis quidem artificibus hoc praesens simulacrum conflatum videtur; sed ab his, qui multo numero Romae, ac in tota Italia, atque ubique terrarum, degebant, ut contribulium suorum religioni ac desiderio facerent satis. Idem fere dicendum est de imaginibus deorum Pantheorum. Sed nec ille forte a vero alienus est, qui hanc Ifidem ad Basilidianorum, vel Ophitarum, inventa retulerit. De *animarum transvectione* alia dissertatione agitur. Gemmam nosler, & marmor interpretatur, in quibus adolescentuli anima, equo ad Elysios transvecta conspicitur. Accedunt ara succensa, forte rogos, seu pyra; tum arbor pinus, matri deorum sacra, cui puer ille forsitan fuit initiatus; tandem serpens triplici gyro arbori circumvolatus, fortasse ut tres aetatis anni per totidem circuitus designarentur. In marmore, sub pedibus equi, globus accedit, qui forte lunam significat. In fine dissertationis quaedam de operculis fictilibus doliorum Etruscorum, ex museo Passeriano, adduntur.

Tum de marmore exponitur anaglypho opere exsculpto, antea inedito, quod in vestibulo basilicae d. Vitalis asservatur, & in quo *Apotheosis Augustica* eleganter expressa est. Constat ex Pario marmore. Eius altitudo palmas quatuor cum semisse aequat, longitudine duplo fere maiore. Opus ex area adeo prominet, ut signa, maiore sui parte e marmore educta, vix tertia parte occultentur. Suspiciatur Nosler, ad templum aliquod Romae, Augusto sacrum, pertinuisse, & crepidinis loco fuisse, cui ara insisteret. Sedet prima in huiusce marmoris latere dea Roma, talari tunica, & peplo ornata, manu sinistra hastam puram regens. Haec dea & communes in hoc sacro marmore cum diis Augustis honores excipit, & simul indicat, populi Romani decreto, defunctos principes divinis honoribus fuisse decoratos. Romae armatus adstat Imperator, adhuc vivens, qui ab illa, & Caesari, & Augusto, & Liviae, sibi proximis, impetrat divini-

divinitatem. Adhuc vivens dicitur, quod imperatorio ornatu munitus est: ceteræ figuræ nudæ repræsentantur. Sinistra manu parazonii capulum stringit, manum vero dextram attollit, & forsan intercedit pro ceterorum divinitate. Aetas huius sculpturæ ad imperium Claudii referenda est, qui sub imperatoris figura illa letet. Hunc sequitur Julius Cæsar, cum suo sidere; tum Livia, sub adpectu Junonis, cum corona, & amore parvulo, qui alterum ex principibus iam fato functis repræsentat. Ultimus omnium succedit Augustus, qui cultu corporis, & ceteris ornamentis, Jovem imitatur. Nam & corona querna redimitus est, & hastam puram, seu sceptrum, sustinet dextra. Cælestis orbis sub Augusti pede est collocatus. In hoc orbe ita zodiacus expressus est, ut scorpius in fronte positus primum locum obtineat; quo indicatur forte, sole hoc signum percurrente Augustum orbi donatum fuisse. Alterum huius marmoris fragmentum cærimoniam in consecrationibus principum obviam, hoc est, victimarum immolationem, ostendit.

Gemnam magicam subsequens dissertatio illustrat. Columbarum auro superfuso fulgent, ubi etiam falcatae lunulae, quibus insistent, & corona, quæ ipsis desuper imminet. Crystallinus orbis inhæret cuidam ornamento, quod lapideum subviridis obscure coloris refert; ut facile coniecturæ sit locus, vel muliebris fibulae, vel bullæ locum tenuisse, ac boni omnis gratia puellæ sponsæ donatum fuisse. Lunulae vel significant, quod nuptiarum solemnia noctem expectent, vel fidei maritalis perennitatem designant, vel quod novilunio vis quædam insit, quæ pariendi facultatem asserat. Corona Veneri est sacra, vel Veneris cæstum significat. Binæ, quæ sequuntur, dissertationes, *Nilum Abraxæum*, & divinationem in *gemmam magicam*, complectuntur: octava autem de *nocte Dionysæa*, & nona de *love Lucetio*, exponunt. Hæc ultima gemma iam a Francisco Victorio, in *Dissert. de septem dormientibus*, cap. XIV. pag. 71. edita est & descripta. Subiungitur dissertatio de *gemma tabernaria*. Hæc inter-

gram.

gram falfamentarii tabernam ostendit. Adest stans columna claviculis exasperata, e quorum summo bilax æquis ponderibus librata suspensa est; hinc gemini pisces, inde æquipondium. Humi mensa constituta est, hinc hydria, inde scrinium obfignatum, cultello pone alligato. Stella fulcro inclusa columnæ imminet, ut e longinquo tabernam designet. Hinc, & aliunde, patere videtur, nullum fuisse humanæ vitæ genus, quod antiqui scalptores in gemmis non expresserint. Tum de *gemma encolpii* differitur, quæ sursum deorsum foramine pervia est, & spectrum trifforme refert, fortasse *Abraham pantheum* dicendum. De *throno sacro*, deinceps, seu de cathedris episcoporum antiquis, fule & docte disputatur, occasione gemmæ cuiusdam anularis. Hinc, in alia dissertatione, de *gemmis astriferis veterum christianorum* in genere agitur. Speciminis loco gemma illa offertur, quam Mammachius, Antiqq. Christ. Lib. II. pag. 187. publicavit. Sequens dissertatio, de *fortibus christianorum*, geminas præcipue tesseras, seu tabellas, ex sarda exscalptas, illustrat. Ut hæ tesserae, sic & fortes christianorum in universum, formam habebant fere quadratam, retulis tamen leviter angulis, geminisque superficiebus mediocriter turgescens. Earum, quæ hic afferuntur, tesserarum utraque, in antica cruceem præ se fert, forma in veterum christianorum monumentis usitatissima, quæ ex quatuor *gammadiis*, totidem crucis latera componentibus, constat. Ea forma propterea recepta fuit, quod salutiferi signi imaginem infidelibus occultaret, fidelibus vero sanctissimæ Trinitatis venerationem ingereret: nam littera Γ Græcis ternarium notat. Cruci stella præfixa est, in altera tessera integriore. Obversa tesserarum pars singulis litteris, Β, & Φ, signata, sed ab imperita, ut videtur, manu exaratis, nam ex rectis lineis constant. Rursus altera ex hisce tabellis, superne, geminis foraminibus pervia est. Fortasse integro olim numero litteras Græcas æquarunt hæ tabellæ, ideoque perforatæ fuerunt, ut traducto filo, una simul adservarentur in usum, in quem scalptæ fuerant. Quis interim usus ille fuerit, nemo facile

facile affirmaverit: veri tamen simile Noster esse putat, tesseris istas ad usum sortium trahendarum fuisse concinnatas. Sortes in genere dividit in divinatorias, consultorias, & divinatorias. Primum genus indicat, quomodo sit agendum? alterum, quid sit agendum? tertium, quid actum sit, aut futurum? Tum de modo sortiendi ex auctoribus exponitur. Hæ allatæ tessellæ, ad nomina in electionibus sortiendi, quæ initialis littera designaret, adhibita fuerunt. Tandem de modo agitur, quo sortes miscebantur. Ultima dissertatione, de *poculis astriferis* veterum, profanis & sacris, doctissimus Passerius sermonem instituit. Occasionem suppeditavit vitrei crateris fragmentum, in quo, post viri palliati, qui forte illustris alicuius astronomi imaginem refert, ærgum, typus cœlestis globi, fulcro impositi, depictus encausto cernitur. Ad poculum hoc fragmentum pertinuisse, patet ex acclamatione: *III ZESES, bibe, vivas.* Fortasse in Circensium honorem hoc poculum adhibitum fuit. Transiit ab ethnicis ad christianos institutum poculorum astriferorum, diverso tamen consilio. Exempla e Bonarrottiana præcipue collectione afferuntur. Additum conspicimus aeri incisum Etruscum carchesium, utrinque anatum, in cuius picto limbo, hinc inde stella inter larvas Bacchicas expressa cernitur. Finem operis totius, multifaria doctrina referti, facit index rerum copiosissimus.

ELOGES HISTORIQUES DES HOMMES ILLUSTRÉS
de la province du Thymerais.

h. e.

*ELOGIA HISTORICA VIRORUM ILLUSTRIORUM
provinciae Thymarensis, cum catalogo critico operum ab
iis editorum, conscripta per D. D. Advocatum summæ
curiæ, Castellique novi locum
tenentem.*

Parisiis, apud Josephum Berthierum, & Carolum de Poilly.
1749. 8. pag. 75.

I i i

Quum

Quum, referenda patriæ gratia, nullum officium sibi magis necessarium duceret *Drago Duradicrius*, is enim est libelli, de quo agimus, Auctor, multum temporis in investigandis rebus *agri Thymarensis*, soli quippe sibi natalis, collocavit; præsertim cum tantam eorum, qui quondam illum imperio tenuerunt, dignitatem fuisse reperiret, ut nec regis Vallesiorum Borboniorumque gentes affinitate illorum se indignas putarent. Quo in labore quamquam postremum ad eruditos homines, quos ea terra tulerat, pervenisset: tamen hanc historię Thymarensis partem primum publicandam putavit, quoniam & brevior erat, & usus eius ad plures videbatur pertinere. Quam vero si probari viris doctis intelliget, alteram proxime secuturam esse promittit, in qua de Dominis *Castelli novi*, virisque, tam natalium splendore, quam dignitate munerum, illustribus, qui vel possessiones in ea regione habuerint, vel vixerint in eadem, expositurus est. Cuius partis duas fore sectiones ait: alteram, qua de Dominis *Castelli novi* seorsim, eorumque posteris, ab anno 1000 ad hanc nostram ætatem; alteram, qua de clientibus eorum agatur. Ad quorum res illustrandas, ut homines eruditionis laude florentes, qui copiam habent, subsidia sibi mittant, rogat. Quæ vero nunc virorum doctorum elegia in manibus habemus, scripta sunt: 1) *Lamberto de Castello*, 10to, qui primus iurisprudentiam in Gallia docuisse dicitur, ex cuiusque schola *Rudolphus ac Columna* prodit, libro quodam, de *translatione Imperii Romani*, clarus. Tam reros illo tempore iuris doctores fuisse nosse suspicatur, ut nobilitatis titulos quoque habuerint, neque *equites in legibus* incogniti fuisse videantur. 2) *Adriano Gadenio*, poetæ Gallico, qui regnante Henrico II. vixit. 3) *Matthæo Magno*, 10to, qui de *usuris & fructibus* librum scripsit, impressum: Par. 1560. 4) *Iacobo Duloreno*, 10to & poetæ, qui non minor in patria fuisse, quam Lucilius Romæ, *primoresque populi arripuisse populumque tributim*, dicitur. Cui tamen quum ipsi cives, magna consensione, tribuerint ingenium turbulentum & inquietum, causam eius simul agit, & de operibus illius fert iudicium. 5) *Ioanni Baptistæ Ticcio*,

Pag. 5.

Thierso, theologo, viro docto, iudicioque Bonæ ac Cibi, Cardinalium, item de Sallo, Gallefii, Mabillonii, Bælii, Balsnagii, Clerici, aliorumque, apprime florenti, cuius de vita, studio tanto maiori exponit, quanto magis Thiersus meretur, quantoque minus dignus virtute sua præ eo eidem adhuc contigit. Scripsit *de argumento negativo*, contra *Launoium*, 1662: *defensionem adversus Io. de Launcy* appendicem ad *dissertationem de auctoritate negantis argumenti*, 1665: *de imminutione dierum festorum*, 1668: *de retinenda voce Paraclitus in ecclesia*, 1669: *de sola*, in *Archidiaconorum visitationibus, a Parochis gestanda*, 1674: *de Sacramentis*, 1672. & alios plures, potillimum tamen contentiosos libellos. 6) *Francisco de Gravelle*, historico. Quos omnes nosse si exterorum parum interest, civibus tamen suis haud ingratum fecisse Auctor putandus est, eos orationis lumine illustrans, qui patriam suam ingenii doctrinæque suæ luce olim complevisset.

SUMMA BIBLIOTHECÆ MSS. FESULANÆ Canonorum Regularium congregationis Lateranensis, ab eius Auctore, ANTONIO PALLAVICINI, Novariensi, eiusdem congregationis Canonico, eruditus viris exhibitæ.

Florentiæ, 1752. typis Caietani Albizzini, sub signo solis, 8. Plag. 2.

Quum nihil præclarior, & vel ordine suo, vel bono cive dignius reperiri Auctor eruditus vere iudicet, quam de litteris mereri optime: facile adduci se passus est, ad molendum opus aliquod, rei publicæ litterariæ non modo non inutile, ut autumat, verum tale quoque, quod & ornet eandem mirifice, & adiuvet plurimum. Id videlicet agit, ut indicem locupletissimum codicum manuscriptorum bibliothecæ, cuius in titulo libri fit mentio, quamque magnificus olim *Cosmus Medices*, ac *Petrus*, eius filius, *Laurentiusque*, virtutis utriusque & gloriæ æmulus, condidisse perhibentur, paret; quaque,

in eo conficiendo, ratione sit usus, viris doctis exponat, eorumque, hac super re, consilium sibi expetat. Singulos nimirum codices eo numero, quo quisque signatus in bibliothecæ pluteis servatur, recenset; quid in iis reperiatur, clare distinetque, indicatis etiam foliis, exponet fideliter; annotamenta quædam subiiciet, quibus, partim quod est observandum magis in codice, velut tabulas quasdam litterarum initiales, multiplicesque Medicei stemmatis formas; partim alia nonnulla explicet, quæ ad auctorem eiusdemque opus, ac varias huius vel interpretationes, vel editiones, pertineant: breves quoque dissertationes, ubi opportuna se obtulerit occasio, inserat. Quæ vero lucem nondum viderint, eorum vel specimen dabit; vel, si brevia sint, integra exhibebit; quod iis etiam se facturum pollicetur, quæ raro se hominibus eruditis offerant. In primis *historia Sezomani*, Presbyteri Pistoriensis, ab orbe condito usque ad Cælestinum V. cuius excerpta ab anno 1001. ad 1294. *Domin. Manni*, V. C. iam 1748. in lucem emisit, reliqua se foras daturum, ac duo integra secula, observationibus quibusdam illustrata, una cum præfatione Auctoris, se publicaturum esse, promittit. Neque minus varias ibidem eruditorum hominum epistolas, gentis Medicæ elogiz, & alia comparitura esse, indicat. Ut vero sciant viri docti, quas epulas appofiturus sit ille manu scriptorum librorum index plenior, horum titulos subiicit, unde eos numero 196. esse cognoscimus, partim a Montfauconio in bibliotheca MS. omittos, in quibus sunt, quos nosse penitus, interesse virorum doctorum videatur. Nos apprime vellemus, ut, quæ mendose adhuc in libris editis excerpta reperiuntur, Auctor emendanda, codicum suorum fide, susciperet; horumque ætatem, quantum fieri potest, accurate indicaret, eaque re fructum bibliothecæ, sibi mandatæ, ad eos etiam afferret, quibus, per locorum intervallam, aditus ad eam non patet. Ceterum, universos iudicio suo eius consilium probaturos, illudque, quantum cuique licet, adiutores esse, non dubitamus.

IO. GOTTL. BIDERMANNI, RECT. GYMN. FREY-
berg. oria Litteraria. Pars I cum Præfat. IO.
LAUR. a MOSHEIM.

Lipsiæ, 1751, in 8.
Plag. 12.

Qui *Artis* atque *Selectis Scholasticis*, nostra ætate, de litteris præclarissime meretur, neque scholasticam modo rem eximie ornat, verum sibi etiam ipsi famam parit perinsignem, Gymnasii Freybergensis Rector celeberrimus, his quoque Otis valde illam edocuit. Dignatus isthæc idcirco est vir, cuius cum non en proferimus, ingens nuper non tantum Academiæ Georgiæ Augustæ, quæ floret Gœttingæ, sed reipubl. etiam litterariæ decus prædicamus, Io. Laur. a Mosheim, pulcherrima præfatione, in qua Otis Bidermannianis, contenta eorum respiciens, hanc impertivit laudem: *Nulla harum disputationum triti est ac quotidiani argumenti. Omnes novi aliquid & insoliti, non per indices tantam suos, (quanquam & in his amenitatis & elegantia aliquid non communis est,) verum etiam reapse afferunt. Nulla est, quæ vanam tantum & ludicram oblectationem commovere valeat. Omnes continent aliquid, quod in rem suam viri docti & litterarum studiosi convertere possint. Vicissim nulla est, in qua sola regnet acritas, omnes autem etiam voluptate quadam pascunt.* De prima enim horum Otiorum parte quum tam honorificam tulerit sententiam tam idoneus iudex; quid sperandum sit de pluribus, (quæ ut sequantur, vitam ac valetudinem meritissimo Bidermanno candide exoptamus,) facile intelligitur. Ut vero cognoscatur, quid is dederit, en commentario eorum, quos laudatus Mosheimius, recte dicit, *multa meditatione & cura limata, scriptor, conspectum: 1) de insolentia titulorum librarium; 2) de nudis & sine mente sonis; 3) de isopsebis; 4) cur multi melius scribant, quam loquantur, & contra; 5) de animalium studio loquendi; 6) de Latinitate Maccaronica; 7) de fama Græci nominis iniuriose sugillata; 8) Meletemata philologi-*

- logica; 9) de vocum Hebraicarum significatione morali; 10) Historia profana ex litteris Hebraicis illustrata; 11) de Phosphoris; 12) de Eruditis male habitis; 13) de poculis grammaticis; 14) de fortuna primigenia; 15) de coronatis puerorum adibus; 16) de montibus, Misarum domiciliis; 17) de Aesculano, sodinarum metallicarum Deo; 18) de Sanctis Accephalis; 19) de diis mensalibus; 20) de cultu ventorum divino; 21) de diis lapidum cultu; 22) de virtutibus scholasticis in scholis liberalium. Horum igitur aperiant hæc commentationes amenissimum, in quo multi possent flores colligi. Sed nunc unum tantum alterumve decerpimus. Quod *Latinitas* etiam dicta sit *Maccaronica*, rarissime fuit annotatum: deducitur autem hæc appellatio a cupediarum genere, mixturam diversarum rerum habente, quod agrestes homines in Italia deliciis suis accendere consueverunt. Unde *Latinitas Maccaronica* est *stilius*, qui ex dictionibus & loquendi formulis diversarum linguarum se confectus, & ad Latini sermonis rationem quomodocunque conformatus. Cum qua definitione fere consentit Lexicographus Trivultinus, (*Dictionaire de Trevoux* Tom. III. p. 1624) *Latinitatem Maccaronicam* sic describens: *c'est un ragoût de diverses choses, composé d'une manière, qu'on peut appeller paysanne. Il y entre du Latin, de l'Italian, ou de quelque autre langue vulgaire aux mots, de laquelle on donne une terminaison Latine.* E melemate, de vocum Hebraicarum significatione morali, unicam hic asserere licebit observationem, quamque calculo utique dignam iudicamus: „בקר, mane vel „*diluculum*, pars prima diei illucescentis, procul dubio natales suos ad בקר refert, radicem, quæ significat *diligenter quaerere, & summo studio peruestigare.* Hæc igitur etymologia „subindicat, tempus matutinum omnium esse opportunissimum ad negotia gravia suscipienda, *Cobel. X, 6.* & inprimis „juvenibus litterarum studiosis, illud Persii Sat. V. 132. in aurem insulerrat: *mane, piger, fertis?* ac tritum illud commendat: *aurora musis amica.* In Historia profana litteris Hebr. illustrata, hæc reperitur etymologia: „*Themis*, decantatissima apud veteres iustitiæ præses, atque æquitatis vindex, „nomen

„nomen ad Hebraicum **עֵת**, *etam*, refert, quod hanc Deam „tamquam, *integerrimam*, nobis ficit.“ Huiusmodi derivationes si non ab omnibus habeantur pro demonstrationibus, non sine iucunditate tamen leguntur, cogitationibusque salutaribus & minime spernendis possunt animam præbere. Nos vehementer optamus, ut pergat de re literaria, quemadmodum fecit adhuc, hoc est egregie, mereri Bidermannus V. Cl. qui, quod est in ore omnium, qui amant litteras, remque imprimis Scholasticam, non eget nostris laudibus.

NOVA LITTERARIA.

Professores Academia Lugduno-Batava, qui curationi Legati Stolpiani præfunt, in conventu d. 13. Oct. b. a. latis rite suffragiis de dissertationibus sibi exhibitis, ad questionem superiore anno propositam: ad quem certi gradum surgere possint argumenta, ex universi huius contemplatione ad demonstrandam divini numinis existentiam: Et quis sit modus, quo huiusmodi argumenta a posteriori optime adstringantur & premantur, ad stabilendam gravissimam hanc veritatem, consueverunt, premium nummi aurei bis centum & quinquaginta florenorum, nunc assignandum esse dissertationi latine, cui præfixum erat Symbolum:

Felix, qui potuit rerum cognoscere causam:

& resignata schedula adparuit, eius dissertationis Auctorem esse, I. A. Melchior, Philos. in Academia Duisburgensi ad Rhenum doctorem. Quandoquidem tamen Cl. iudices non sine animi delectatione deprehendunt, non detrectasse viros eruditos undique meditationes, de gravissimo argumento propositio, cum ipsis communicare; & alias quoque dissertationes ad superiorem proxime accedere: vehementer cupiunt, his quoque eruditorum hominum lucubrationibus aliquale honoris testimonium exhibere; simul & religionis in Deum sanctitatem, tanquam unici humane felicitatis præsidii, meditationum

Et demonstrationum varietate magis magisque constabilire; Et hac ratione pie b. Stolpii voluntati cumulatius satisfacere. Rogant itaque humanissime Auctorem dissertationis latinae, cui Symbolum est:

Tam certum est Deum esse, quam certum est lucere solem.

nec non Auctorem dissertationis belgicae, cum inscriptione:

Nec temere, nec timide.

ne dissentiant, quo minus utriusque scripti in publicum fiat editio. Neque tamen aperientur Auctorum nomina, nisi accedente mandato eorum expresso. Superest porro dissertatio alia idioma gallico scripta, cum Symbolo:

Deus est, qui non mutatur in ævo.

Manil.

cuius in suffragatione de premio nulla potuit haberi ratio: quia testator, Janus Stolp, (d. 13. Oct. 1753. Lugduni mortuus,) in usum, ut videtur, compopularium, linguam vel latinam vel belgicam adhiberi iussit; Et hæc quoque conditio viris eruditissimis in publicis diartibus mutilata fuit. Optarent tamen, Cl. Curatores, ne quid intercedat Auctor, quo minus limatissima hæc diatribe gallica, simul cum superioribus, in omnium cognitionem veniat. Si itaque nihil in contrarium nescient doctissimi Auctores, quorum nomina ignorantur, fiet intra bimestre trium harum dissertationum, Latinae, belgicae, Et gallicae editio, simul cum scripto, cui decretum est premium. Litteræ imposterum inscribentur A. Weis, Iur. Professori curationis Stolpianæ b. t. Actuario, Leydæ.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLV.

Joh. Gottschalk Wallerius, *Hydrologie, oder Wasserreich, &c.*

h. e.

IO. GODESCHALCI WALLERII, PHILOS. ET MED.
D. Ct. in Acad. Reg. Suecica Upsaliensi, Facult. Med. Ad-
iuncti, Acad. Imp. Nat. Curios. & Collegii med. regii
Holmiens. Socii, *Hydrologia, sive Regnum Aquarum, ab
ipso distributum & descriptum; una cum Introductione
ad instituendum examen aquarum; nec non eiusdem
Cogitationes de fonte medicato Danem. In sermo-
nem germanicum versa a IO. DAN. DENSO, Profess.
Reg. ad Colleg. Græningianum Stargardie in Pomerania,
Correctore Scholæ oppidanæ, Societatis Reg. German. Re-
giomontanæ, nec non Soc. Germ. Lipsiens.
Socio.*

Berolini, apud Christ. Theoph. Nicolai, 1751. 8.
Plag. 17. cum Tab. ænea.

Inclaruit iam inter Eruditos, edito haud ita pridem egre-
gio *Minerologia, sive Systematis mineralis*, specimine,
nomen doctiss. Sueci, *Wallerii*. Aliud est huic si-
mile, nec ullo modo eo inferius, quod nunc exhibe-
mus, *Opusculum*, lingua patria Holmiæ a. 1748. editum, iam
a Cl. *Denso*, eodem, cui debetur versio *Minerologia* ger-
manica, in hanc linguam translatum. Quin præ priore se
Kk kk quo-

quodammodo commendare potest eo, quod novum prorsus historię naturalis campum patefaciat. Cum enim tot animalium, vegetantium, fossilium, in classes dispositiones habeamus; tamen, qui aquarum regnum, (si ita loqui fas est,) eodem modo digereret, adhuc fuit nemo. Mirabuntur fortasse haud pauci, *regni* nomen tribui aquę eodem iure, quo animalibus &c. dari consuevit; existimantes, aquam non esse nisi corpus simplex, eiusque diversitatem non deberi, nisi meris causis externis, & prorsus accidentalibus. At essentialem & internam in ipsa aqua dari differentiam, etsi eam a priori, quatenus a natura partium minimarum pendet, introspicere, ob defectum cognitionis nostrę, non licet, demonstrat Noster. Facit huc inprimis annexa hic *Commentatio*, de examine aquarum, qua variam earum naturam a posteriori indagandam edocet. Sed, ne in ipso limite longius detineamus Lectores, novi huius systematis cognoscendi cupidos, ad ipsum *Tractatum* statim accedimus, cuius summam haud melius & clarius exhibere nos posse credimus, quam posita hic ante oculos *Tabula generalis*, quę totam aquarum in *Classes* &c. dispositionem complectitur:

CLASSES.	ORDINES.	GENERA.
Aque <i>communes dulces.</i>	Aque <i>aereę</i> , quę ex aere veniunt.	Aque <i>aereę fluentes</i> , Pluvia, Aque <i>aereę congelatę</i> , Nix.
	Aque <i>terrestres</i> , quę semper in terra reperiuntur.	Aque <i>vivę</i> . Aque <i>stagnantes</i> . Aque <i>lacustres</i> , <i>Glacies</i> .
Aque <i>minerales.</i>	Aque <i>minerales frigidaę</i> , quę eundem gradum caloris cum aere habent.	Aqua <i>mineralis spirituosę</i> . Aqua <i>mineralis cruda</i> . Aqua <i>acidularis</i> .
	Aque <i>minerales calidaę</i> , quę maiorem gradum caloris, quam qui in aere, habent, <i>Thermę</i> .	<i>Thermę simplices</i> . <i>Thermę minerales</i> .

Con-

Contemplabimur nunc paulo accuratius varias species aquarum, sub his generibus contentas, simulque e plurimis observationibus, quas Auctor circa eas ubique affert, quædam excerptemus, & enotabimus. Aquam in genere definit A. per corpus mixtum, quod perpetuo diminuitur, cuiusque proprietates palmariæ sunt: fluiditas, certo caloris gradu; soliditas, frigore; humiditas; transparentia; evaporatio & diminutio continua; nutrimentum nullum, quo augeri vel crescere possit. Diminutionem aquæ perennem, & in solidum, seu terram, mutationem, hisce potissimum argumentis adstruit. Terra pura, ex omni aqua putrescente collecta; terra, destillatione aquæ repetita, in fundo vasis prodeunte; corporum mollium, in durissima, mutatione; lacuum stagnorumque exsiccatione; animalium denique plantarumque omnium nutritione. Si nostrum liceat addere iudicium, nondum videntur nobis omnia ista exceptione maiora. Aquam nullam, in toto terrarum orbe conspicuam, ab omnibus partibus heterogeneis notat esse liberam; ideoque divisionem aquarum vulgarem, in simplices & mixtas, esse prorsus inadæquatam. Aquam puram enim & homogeneam esse eam, quæ penitus pellucida, omni carens colore, odore, sapore, per se constans terra subtili, & materia fluida mobili, prætereaque nullis aliis partibus heterogeneis; etsi nec talem in tellure reperire liceat. Quod iam ad aquarum divisionem præcedentem attinet, primo quidem fundamentum divisionis, in *communes & minerales*, illarumque in *aereas & terrestres*, satis patet. *Aerearum* characteres statuuntur hi: quod ex aere prodeant; terrestribus mixtæ, post miscelam appareant albidæ, turbidæ; facile calefiant igne, frigescant gelu, solvant penitus saponacea omnia; animalium sitim vix extinguant, plantas vero late crescere faciant. Speciatim vero *aerearum fluentium*: quod aerearum sint gravissimæ, (etsi respectu aliarum adhuc satis leves); in vitro, post tempus demum aliquod, fiant nebulosæ, mucidæ, fætidæ,posito sedimento viridi; destillatione alembicum facile transcendant; cum oleo tartari per del. solutione argenti, vel sacchari saturni, non mutantur; denique quod putrescant facile, exceptis

vernis, Martio mense decidentibus. *Species* harum sunt: *Ros*, *Pluvia*, *Fractura nubium*. Hæc ultima esse potest vel *perpendicularis*, vel *turbinata*; quarum postrema gignitur, si nubes a duobus ventis oppositis parallelis ita agitentur, ut aliam inter se habeant mediam, quæ ideo ab una pellitur in hanc partem, ab altera in contrariam, unde oriatur motus gyrotorius, una cum descensu vi compressionis istius; cumque aqua in motu constituta vi centrifuga a medio recedat, prodibit conus turbinatus, in medio siccus. Aquarum aerearum *conglaciarum* notæ sunt: quod sunt omnium omnino aquarum, (nec destillata excepta.) levissimæ; in vitro, longo demum post tempore, aliquantum fiant turbidæ, nullo tamen sedimento posito, sed post evaporationem duorum triumve annorum relicta saltem crusta tenui, terrestri, viridi; destillatione integræ fere, idque facillime, transcendunt; cum oleo tartari, aut solutione lunæ, aut sacchari saturni, mutantur nullo modo; denique fere sint immutabiles, nec putrescant multis annis. *Species* ipsarum: *Præina*, seu nix fluida decedens, cælo sereno, corporibus adglaciata; *Grando*; *Nix*. *Terrestres* eo sese distinguunt, quod super terra in canalibus & cavernis eius fluant, stagentve; aereis mixtæ, fiant turbidæ; maiori ad ebulliendum calore, maioriqve ad refrigerandum frigore, indigeant; saponem difficulter solvant, nec cum eo spumescant; animalibus conducant optime, & ad sitim extinguentiam apprime faciant. *Rivæ* sunt terrestrium levissimæ; evaporatæ semper relinquunt sedimentum; destillatæ nunquam fere penitus transcendunt; mutantur plerumque cum oleo tartari, & solutione lunæ diluta, interdum vero non; semper autem cum solutione sacchari saturni diluta colorem opali induunt; persistunt diu absque putrescentia. *Species* earum: *fontana*, seu pereonis; *periodica*, vernalis, horaria, irregularis; *viva aerea*, h. e. ad motus aeris variabilis, ut: ebulliens, diversis tempore turbulenta, æstuosa, h. e. æstum maris sequens; *putealis*; *fluvialis*. De singulis, quæ singulares videri poterunt, locos terrarum præcipuos, ubi reperiantur, notat Auctor, addita plerumque explicatione physica.

Stagnan-

Stagnantes, terrestrium sunt gravissimæ: in vitro mox sedimentum ponunt variæ materiæ; destillatione difficulter ascendant, multumque residui relinquunt; mutantur semper fere cum oleo tartari, lunæque solutione, præsertim vero & semper cum solutione sacchari saturni, a qua redduntur albidæ, lactæ; putrefactioni resistunt eo minus, quod iam antea plerumque aliquid putridi in se habeat. *Species*, aqua stagni, & paludosa: prout nempe stagnans reperitur, vel in receptaculo profundo, vel in terræ loco inferiori, parum profundo, ideoque variis plantis plerumque abundat. *Lacus* tres mediæ sunt naturæ inter vivas & stagnantes; mediæ quoque gravitatis specificæ; sedimentum semper ponunt aliquod, etsi minus quam stagnantes; destillantur difficilius & copiosiore cum residuo, quam vivæ; cum oleo tartari mutantur modò; modo non, cum solutione argenti, vel sacchari saturnini, semper; putrescunt non citius, quam vivæ. *Species*, pura & ærea, hoc est, ad mutationes aeris variabilis, ut: murrans, & exundans, diverso tempore turbulenta, eulans, & phænomena figurata ostendens, (cuiusmodi lacus, ope vaporum condensatorum, miras figuras ædium, animalium &c. representans, est in Suecia, dictus *Watersee*, cuius descriptionem singularem edidit *Dan. Tiselinus*;) aut æstum maris imitans. Notat Auctor hac occasione quædam de materie viridi, in omni aqua sedimenti instar se colligente. Secundum *Barbavium* constat hæc plantis perexiguæ, in aqua natis. Potius vero statuunt alii, eam ab ipsa aqua generari; cum virentibus eo modo lacubus, simul omnes pisces ægrotent, & sæpe moriantur, id quod mutationem in ipsa aqua arguat; præterea eodem tempore materia quædam oleosa innatet aquæ; imprimis vero, quod ab aqua, vel 40 vicibus destillata, eiusmodi materia nihilominus generetur, (qua de re citat experimentum *U. b. Hiernii, Tent. Chem. I.*) ubi vix credibile, vegetationem plantarum aquaticarum, repetita adeo destillatione, haud fuisse destructam. Lacus dari, duplici fundo gaudentes, exemplo talium in *Lemlandia* probat: quorum fundus alter interdum prodeat, totumque lacum operiat, alio

tempore submergatur. Aquæ *conglaciata* sunt levissimæ omnium, quæ tales; purissimæ, destillantæ absque sedimento; nec ab oleo tartari, nec a solutione lunæ, aut sacchari saturni, mutabiles; non facile putrescentes. Notatur hic, glaciem, etsi super aqua in stratis seu laminis horizontalibus successive conglaciantem, postea tamen tempore verno nunquam in eiusmodi strata horizontalia esse divisibilem, sed contra perpendiculariter in canales & fila verticalia resolvi. Porro, solutiones nitri, vitrioli, aluminis, boracis, congelari; salis communis vero, & ammoniaci, probe saturatas, nequaquam.

Aquæ *minerales*, præ communibus sese produnt temper sapore proprio, plerumque odore aliquo, ut & colore; præterea vix, aut nunquam, congelationem admittunt. Primo *frigida*, & quidem *spirituose* sunt, quæ nullum minerale grave & solidum secum gerunt, sed aliquod saltem fervent minerale, adeo leve & volatile, ut leni tantum calore mox ab eo secedat & evaporet; præterea cum pluvia eiusdem levitatis, quin interdum minoris, plerumque successive magis magisque leviores evadentes; valde penetrantes, hinc salutare plus minusve. Harum *Species* fervent vel *spiritum æthericum volatilem*, qui bullis minimis assurgentibus, spuma aquæ concussæ, diminutione ponderis successiva, antlia pneumatica, cognoscitur: vel *spiritum vitrioli volatilem*, acidum, qui sese exerit odore, præsertim aqua in vase probe obturato concussa, ut & quod cum infusione gallarum fiat nigrior, modo vitriolum verum crystallisabile contineat; difficulter tamen noscitur eo, quod, prorsus instat alkali, syrupum violarum in viridem tingat, nec cum infusione gallarum, (ut modo diximus), per se nigrescat: vel denique *alkali volatile*, idque vel urinosum, (ut Lauchstadiensis nostra,) quod sæpe noscitur odore foetido, interdum vero non, nisi sedimento eius destillato; quo facto prodit sese tam odore, quam effervescencia cum acidis; vel non urinosum, vagum, quod leni igne mox respectu effectus sui disparat, unde aqua hæc frigida effervescent cum acidis, calida non, calore quoque saporem perdit salinum. Putat Auctor, alkali hoc esse nil aliud, quam prædominantem terram

ram alkalınam, feu calcaream, aut paucō acido vitriolico, aut fluido cuidam æthereo, nuptam, vi cuius in aqua hæere possit: volatilibus enim hisce leni calore expulsis, terram, sibi ipsi relictam, in fundum secedere, nec amplius vim alkalınam posse exerere; seu accuratius loquendo, sal hoc alkalınum esse id, quod evaporatione & calore, una cum vitriolo volatili, in sal medium transeat. Aquæ minerales *crudæ* sunt, quæ corpus quoddam crudum & solidum e regno minerali admixtum continent, calore non minus, quam frigore, facile reperiendum; præterea satis graves, quin omnium fere gravissimæ; minus salutares, sæpe noxiæ. Variæ dantur earum *species*: *sopbacea*; *vitriolica*, eaque vel cuprea, vel martialis, vel zinci; *aluminosa*; *muriatica*, hoc est, sale communi prægnans; *alkalina*; *neutralis*; *ammoniacalis*; *bituminosa*; *sulphurea*; *arsenicalis*, quæ tamen vix reperitur. Aquam vitriolicam zinci quod attinet, ea non mutatur a syrupo violarum, nec cum ullo effervescit acido, sapore tamen gaudet vitriolico; terram zinci ope alkali fixi præcipitat, & optime noscitur e tinctura flava, quam tribuit corporibus, facta terræ huius cum iis cæmentatione, quam in rem laudatur *Gmelini Disp. de Acidulis Teinacensibus*. Ceterum, cum metallum nullum in aqua solvi, solutumve hæere queat, nisi in forma salina; illorum vero alia, præter cuprum, ferrum, zincum, ab acido leni fossili solvi possint: satis patet, aquas metallicas plures, quam tres allatas, non dari. De aqua marina notatu dignum est, prope æquatorem falsedinem eius maiorem esse, quam polos versus; cuius ratio haud facile apparet. Licet enim calida plus salis dissolvat, quam frigida, tamen plus quam semiunciam salis solutam tenere potest libra aquæ; unde, modo accederet plus salis Oceano septentrionali, id eum continere nullum est dubium. Sal alkali in aquis, id ferentibus, deberi partibus alkalinis salis communis, vel saltem eiusdem cum hoc esse naturæ & originis, in *regno minerali* ostenditur. Aquas neutrales generari ab acido vitriolico, cum acido salis marini coniuncto, est verisimile. Sal ammoniacum in aqua existere, sunt qui negent; at non solum in

regno

regno minerali palam fecit Auctor, sal ammoniacum nativum existere, unde & in aqua hærere posse, liquet; sed & tale actu reperiri, exemplis fontium Lanchstadiensis & Gieshübeliensis, nostratum, demonstravit *Henckelius* in *Bethesda Portuga*; quia & a priori patet idem, cum ad genesis salis ammoniaci, præter sal alkali volatile, & acidum, nil requiratur, quorum utrumque in natura existere constat. Monet hic Auctor, calcem vivam, & sal commune, permixta, & paulum usta, producere sal, ammoniaco non dissimile; ambo vero, æquali copia mixta, & destillata, præbere sal alkali volatile urinosum. Aquæ denique minerales spirituales & crudæ simul, seu *acidularæ*, sunt, quæ utriusque generis minerale permixtum continent, ita tamen, ut spirituosum plerumque quantitate crudum superet. Hæ eiusdem fere levitatis sunt cum fontana, & paulatim evadunt leviores; reperiuntur nonnisi scaturientes e fontibus; valde salutares sunt, modo rite usurpatæ, noxiæ contra male adhibitæ. *Species acidularum* sunt: *vitriolica*; *maritica*; *alkalina*; *neutrales*; quarum omnium varix iterum dantur species inferiores, seu variationes. Aquæ minerales *calidæ*, seu *Therma*, & quidem *simplices*, sunt, quæ nec in præcipitatione, nec in reactione, crudum quoddam minerale produunt; eiusdem cum cereis sunt levitatis; ceterum valde penetrantes. Illarum *species: pura, & spirituosæ. Minerales* vero, quæ vel ad scaturiginem statim, vel præcipitatione, ingredientia e regno minerali ostendunt; hinc leviores simplicibus, idque paulatim magis magisque, si in vitro asservantur. *Species* istarum: *martiales*; *alkalinæ*; *neutrales*; harumque iterum variationes plures. *Thermarum* in genere originem quod attinet, iam satis constat, acidum sulphuris, seu vitrioli, in martiale quoddam, vel inflammabile, agens, calorem, ipsumque ignem posse producere; ex quo, unde calorem ducere queant thermae, facile patet. Si iam calefactæ, & vapore vitriolico valido actuoso imprægnatæ sunt, vel occurrunt sali communi, eius spiritum, si fieri potest, expellunt, tuncque uniuntur parti salis alkalinae, sicque in sal neutrum abeunt; vel etiam, (quod magis credibile ac possibile,) idem

acidum

acidum nubit alkalino cuidam sali, aut terræ, in natura obvia. sicque, facta saturatione, migrant in sal neutrum; saturatione vero ista locum non habente, exerunt sese forma alkalina, haud aliter, quam si arte miscantur vitriolum & sal commune cum terra calcarea, aut si sulphur cum aqua calcis vive coquitur, unde prodit sal alkali. Si vero idem acidum offendit pyritem martialem, unit sese ramentis terræ martialis, formatque vitriolum martis volatile. Si iam talis aqua obviam fit sali communi nativo, solvit id, secumque abducit; sin minus, prodit vapore. saltem vitriolico spirituoso insigne. Si denique aqua frigida per ductus manat subterraneos calidos, sed steriles, ubi calor esse potest nonnisi exiguus, gradu caloris, quem accepit, sed mineralibus orba, egreditur.

Aquæ hæcenus recensitæ sunt naturales, seu proprie ita dicendæ. Addidit hæc Auctor *Appendicem*, de *aquæ peregrinis*, quas *succos* dicit, quæ nempe ortum debent mineralibus, aut plantis, aut animalibus, deque eorum quoque natura participant; ceterum sapore, odore, colore, maximopere variant. Hæc iterum *Conspectum* exhibebimus:

	ORDINES	GENERA
Succis, qui originem suam e tribus aliis naturæ re- gnis trahunt.	naturales, quos natura ipsa præparat.	Succis <i>minerales.</i> Succis <i>vegetabiles.</i> Succis <i>animales.</i>
	artificiales, qui arte ela- borantur.	Aqua <i>destillata.</i> O ^{lea} . Spiritus. Extracta. Liquores.

Succorum mineralium species sunt: *Gubr*, h. e. succus minera-
 lis aquosus, mineralia fluentia continens, (qualis plerumque
 metalli cuiusdam proximitatem arguit); *Spiritus vitriolicus*
naturalis, visu quidem non percipiendus, at ex effectibus satis
 conspicuus, in terra, superque ea reperiendus ubique, ad ge-
 nesin

nesim metallorum, viliorum saltem, multum conferens; *petroleum*; *spiritus metallorum*, seu arsenicum volatile, saepe odore, interdum & aliis notis, in fodinis sese manifestans, cuiusque existentiam mineræ metallo, quod avolavit, conspicuæ, satis comprobant. Hunc ad generationem metallorum haud parum facere, tam copia eiusdem magnæ, quam ipsa metallorum compositio, vero reddunt simile. Notari hic meretur, quod memorat *Io. Agricola, not. ad Poppium de Antim.* in fodinis Hungaricæ interdum esse ortum vaporem calidum, parietibus fodinæ sese applicantem; hos altero die haud aliter tactum affecisse, quam si oleo essent illitæ, aliquo autem tempore post argento puro fuisse investitos. *Succi vegetabiles* sub se continent *Species: Rorem melleum*, h. e. succum salinum, calore e plantis sponte exhalantem, sapore plerumque dulcem, de sale ipsarum essentiali participantem, vi caloris circa horizontem actum, aut in plantarum floribus & foliis se colligentem; consistentiæ paulo spissæ, in aqua solubilem, parum aut non in igne ardentem. Refert huc Auctor: Rorem tenuiorem, mel, manna, saccharum. *Liquores plantarum*, seu succi aquoso-spirituosi, vulnerata planta extillant. Ad *Resinas* pertinent: Balsamus, resina proprie sic appellata, cera. *Campora*, *Gummi*, *Gummi-resina*, e resina & gummate mixta, ideoque partim aqua, partim spiritu vini, solvenda. *Succi animalibus* annumerantur: *Sanguis*, *lympba*, quo referuntur serum, lympba striete dicta, liquor gastricus, entericus, amnii, articulationum, vaporum, (ex animalibus mactatis & dissectis exhalans); *humores*, nempe saliva, lacrymæ, aqueus oculorum, sudor, transpiratio insensibilis, urina; *mucus*, (medium lympham inter & humores); *succi oleosi*, puta bilis, ceramen aurium, pinguedo, adeps, sebum, medulla, cera adiposa, lac; *spiritus animales*. Alterum ordinem succorum quod nunc attinet, de his nil est quod moneamus, nisi *aquas destillatas* dispecei in aquas mineralium, vegetabilium, animalium; *olea*, in expressa, cocta, destillata; *spiritus*, in acidos, urinosos, oleosos, salino-oleosos; *extracta*, in tincturas, essentias, elixiria, *extracta κατ' ἐξοχην*, de-cocta,

cocta, succos inspissatos; *liquores* denique, in salinos, ac infusos: quorum omnium species inferiores, & variationes, succincte enumerantur.

Sequitur iam *Introductio ad instituendum examen aquarum*. Non infervit ea solum maximopere descriptioni precedenti; cum edoceat, quomodo characteres ibi traditi, actu in aqua quavis proposita indagandi sint; sed & in se elegantissimum est opusculum. Nullibi enim adhuc totam aquarum examinandarum methodum, eo ambitu, eo ordine, ea perspicuitate & concinnitate, ante oculos positam reperire licuit, quam qualem Auctor hic exhibet; ita, ut non tantum intellectui, cui uno obtutu omnia contueri licet, apprime satisfaciat, verum & ad ipsam praxin sit accommodatissima. Primo *puritatem* aquæ investigandam docet. Si enim aqua sit quodammodo pura, nullo alio dein opus est examine. Invenitur ea vel *sensibus externis*, pelluciditate, sapore, & odore nullo; vel *experimentis chemicis*, quo sufficiunt hæc tria: solutio argenti diluta, h. e. octuplo circiter aquæ mista; oleum tartari per deliquium; solutio sacchari saturati: a quorum nullo si mutationem ullam induat aqua, de eius puritate possimus esse certissimi. Vel denique *balance hydrostatica*, ope cuius aqua quævis cum purissima, quam invenire licuit, comparari potest. Secundo ipsa *contenta* aquæ eruere ostendit. Hoc iterum fieri potest vel sensibus externis, & quidem, aut *visu*, quemadmodum e. g. bullæ exfurgentes semper ætherei quid indicant, color ruber materiam pinguem mineralem, vel animalelem, vel & bolum rubrum, vel ochram, color viridis cuprum, &c. aut *odore*, ut levis foetidus arguit acidum quoddam vitriolicum, crassus, sulphureus, ferrum sulphure abundans &c. aut *sapore*, e. g. rubiginosus cuprum, adstringens atramentosus vitriolum martis, paulo acrior vinosus plerumque fontem alkalinum, &c. Vel instituitur id *operationibus chemicis*. Quæ huc spectant, digessit Auctor primo secundum ipsa contenta varia. Cuprum facile cognoscitur spiritu salis ammoniaci, aut ferro puro polito. Ferrum sese prodit gal-

lis, similibusve adstringentibus, ovo puro, eiusve albumine, solutione lunæ. Zincum indagari potest vitriolo cupri, (e quo nempe præcipitatur cuprum), aqua fit albida, tandemque vitriolum album largitur), spiritu salis, nitri, vitrioli. Arsenicum difficillime agnoscitur, quippe cum omne examen superet instar salis acidi, nec & ab acido vitrioli ullo modo mutetur; dantur tamen criteria quædam id quodammodo indicantia. Sulphur palam fit præsertim frusto argenti, solutione lunæ, vel saturni. Oleosa sese exhibent digestionem. Subtile illud æthereum elasticum prodit sese bullis emergentibus, spumescencia vase concusso oriunda; odore quodam acri nares feriente, iactura ponderis & saporis, temporis successu facta, optime autem autilia pneumatica. Acidum vitriolicum volatile ægre reperitur. Placuit Auctori methodum quandam, qua id ad oculum demonstrari posse ait, reticere, & vulgares saltem asserere, quæ sunt panno colorato rubro, vel cœruleo, torna solis, infusione gallarum, odore; etsi fatendum, horum omnium nullum omnino sufficere. Alkali volatile noscitur, modo recens haustum, effervescentia cum acidis, coloratione syrupi violarum; speciatim vero urinosi salis prægnans, solutione mercurii sublimati, vitriolo cupri, solutione cupri in aqua forti; fixum denique iisdem, alia cum ipsis phænomena producent. Vitriolum, alumen, sal ammoniacum, borax, (quem inventum narrat *Scheuchzer in It. alp.*) sal neutram, imprimis infusionibus, spiritu salis ammoniaci, oleo tartari, solutione cupri, syrupo violarum, salibusve aliis, sese manifestant. Terra denique calcarea, & ochra, haud difficulter eruuntur. Ut iam allata omnia hæc criteria usui eo magis interserviant, adhuc aliter ea digessit Auctor, eo nimirum ordine, quo successively instituendum est examen cum solutione tornæ solis, heliotropii tricoeci, syrupo violarum, solutione mercurii sublimati, gallis, spiritu salis ammoniaci, solutione argenti, denique cupri; utpote quæ potiora sunt instrumenta, ad contenta aquarum generatim detegenda, etsi quoque plura pro re nata in usum vocari queant. Sed ad penitiorum aquarum cognitionem non sufficit, generatim saltem materias heterogeneas,

in

in iis contentas nosse; sed & de ipsa earum *quantitate, eiusque ad ipsam aquam proportione*, sæpe agitur. Hanc igitur quoque examini subiiciendam monstrat Auctor. Nullo autem modo tutius hoc fieri potest, quam ipsarum partium separatione, quo itaque ante omnia elaborandum esse patet. Duplici autem methodo hæc potest institui. Evaporatione, in vase stanneo, ad solem, vel ignem lenem, facta; qua tamen non nisi partium crassiorum ad aquam relatio cognoscitur; melius destillatione, qua simul spirituosæ partes a crassioribus secerantur. Est autem ea ita instituenda, ut principio queratur saltem relatio partium fixiorum & volatilium: hæc cognita, dein ope præcedentium examinetur, cuius generis sint materiæ fixæ, eæque, si fieri potest, actu eliciantur evaporatione, destillatione nova, solutione, ustione, magnetæ; sin minus, earum natura & quantitas generatim cognoscantur. Monet tamen Auctor, se hic non scribere Chemicis, sed sufficere hæc posse chemiæ expertibus.

Haud abs re putavit Cl. Editor, instar applicationis præcedentium ad exemplum aliquod aquarum, adicere hic *Tractatum* quendam Auctoris nostri, A. 1737. lingua Suecica seorsim editum, de *fonte medicato Dannemarcico*, prope Upsaliam in Parochia Dannemark sito, & aliquot abhinc annis a multis cum fructu usurpato. Enarratur hic primo situs & detectio fontis: dein ostenditur natura eius, & contenta mineralia. Enumeratur hic distincte analysi integra chemica; unde patet, fovere illum principium duplex: alterum volatile, idque primo spiritum subtilem mineralem elasticum, dein spiritum vitrioli volatilem, paulo fixiorem tamen & crassiorem, quam qui sunt in aliis fontibus medicatis, denique & alkali volatile; alterum fixum, & quidem sal alkali fixum, ochram adstringentem, partes martiales, acidum sulphureum fixum, oleosum, pingue, balsamicum. Porro de effectu eiusdem in corpore humano, prout e singulis allatorum ingredientium resultat, agitur. Tandem exponuntur morbi, eius adminiculo superandi; enarrantur quoque casus varii, usum eius insignem comprobantes.

Non possumus non pauca adhuc de instituto Cl. Editoris; quod in Præfatione patefecit, verba facere. Quemadmodum nempe tria vulgo, etsi parum exacte, ita dicta *Naturæ Regna*, (sunt enim Regna non naturæ totius, sed corporum saltem terrestrium,) numerum hic auctum acceperunt Aquarum Regno: ita simili modo plura adhuc Regna iis poterunt accedere. Nimirum, *Regnum*, in Historia naturali, generatim dici potest complexus multorum corporum, quæ, cum characteribus particularibus diversorum generum, specierum, & variationum, sub communi quodam & universali characterè unius cuiusdam generis summi, conveniunt. Velut igitur aqua, quæ vulgo pro corpore simplici, seu elemento, habetur, respè tamen est varia, diversasque sub se species continet, adeo ut ei singulare Regnum tribuere liceat: ita non minus ignem, & aerem, similem in se admittere differentiam, ideoque nomen Regnorum ignis & aeris, in Historia naturali non amplius videri debere peregrinum, satis patet. In animum itaque induxit Cl. *Denso*, ignis regnum in classes dispositum luci exponere, cuius Sciagraphiam in Præfatione tradidit. Quod institutum omnibus Philosophiæ naturalis amatoribus longe fore gratissimum, certissime confidentes, Auctori facile spondemus, utque mox eius edendi otium nasciscatur, maximopere optamus.

JO. HEUMANNI, IURIS PROF. PUBL. ORDIN.
in Acad. Altorfina, Commentatio de Fontibus & Oeconomia
Legum civilium. Præmissa est Proleptio, de Rerum
Universitatis Symphonia, Legis Naturæ
Principio.

Altorfii, apud I. F. Vestnerum, 1754. 4-
 Plag. 21.

De vera ratione cognoscendi Iuris Naturæ, non convenit inter viros doctos. In primis quæritur, quid sit, quomodo enuntietur Lex Naturæ, ut summum in hac disciplina principium.

cijum. Plerique paucissimis hic verbis defungi volunt: quasi
 omne id, quod diversa ratione ad hominis naturam refertur,
 sit unum, nec officia inde fluant valde diversa. Non quæ
 sibi ipsi quisque debet, sed officia erga alios tantum respici-
 mus, in Iure Naturæ explicando: quæ doctrina est utilissima,
 dummodo ei Ethices præcepta ne admisceas. Sed id non
 movit Clar. Heumannum, qui de Symphoniz principio com-
 mentatus est. Putat quidem, præter illud non excogitari
 posse, quod Iuris Naturæ doctrinas, quæ paterent latissime,
 complectatur. Iuvabit sententiam eius paulo curatius inspicere. Pag. 26.
 Vivere tenetur homo secundum Legem Naturæ. Quomodo
 igitur: si illa Lex ponitur in nexu huius universi? Homo, 4.
 sive ut animal, sive ut machinam eum consideres, regitur 5.
 legibus suis, ad universi naturam referendis. Hinc subest Sym- 6.
 phoniz, eique, quod rationem cuiusvis naturæ continet, conve-
 niens esse debet, quicquid ille agat. Hic autem animadver-
 tendum est, rerum singularum naturam æstimari ex situ & ex
 conditione, qua cum universo connectuntur. Quare homo
 cognoscat ea præcipue, quæ suæ naturæ sunt consentanea, non
 vero alieno nexu se implicari patiatur. Quamvis si accurate
 rerum omnium naturam noverit, suæ propriæ eo magis pro-
 spicere possit. In cognoscenda natura humana haud negli- 9.
 gendi sunt instinctus: maxime tamen sequimur rationem, ut 8.
 verum id, quod beatos nos reddit, intelligamus. Nec offi- 12. 13.
 ciet hic Pyrrhonis error, de imbecillitate humana; neque eo- 15.
 rum, qui harmonice nos vivere posse negant, propterea, quia 17.
 status hominum sit corruptus. Nesciunt sane, quid sit, quod
 libertas, quod ratio contigit homini. Atque hæc fere est Au-
 ctoris sententia, quam paucis complexi sumus, cuique firmam-
 dæ ille nonnulla adducit testimonia. Sic veteres, in æquitatis
 explicatione, ad nexum rerum omnium respexisse; ex eodem
 intelligi illud *suum cuique*, & utilitatis notionem, quæque de 20.
 summo bono passim tradita accepimus. De his quidem 23.
 differere iam nunc non vacat. Addimus ea, quæ in disputa- 25.
 tionis seriem observare nobis licuit monenda. Cogitatio diffi-
 cilis est Symphonia, de qua verba fecimus; neque eiusdem ea
 per-

- perspicitur evidentia, qualis in iuris naturæ principio requiritur. Facilius utique officiorum doctrina ex socialitate deducitur. Illa autem in iure civili, & in communi vita, maximum usum invenit. Bona malaque discernenda sunt. Quid si evenit, cuius ratio non in facto alicuius hominis, sed, ut ait
- Pag. 6. Auctor, in nexu universi lateret, quodque adversaretur illi, an pro malo habendum? Neutiquam. Neque tamen semper licet nobis in illum nexum inquirere. Erimus igitur incerti. Immo nemo amplius male egisse videbitur; nam & facta ipsa
28. nexu isto contineatur. Iam ad alia. Refert Auctor ex L. 10. D. de iust. & iure, præcepta hæc iuris: honeste vive, neminem læde, suum cuique tribue; quorum quidem posterius, late interpretatum, reliqua complecteretur. Non placet eiusmodi interpretatio. Tradit Ulpianus, dicto loco, Iurisconsulti distincta officia. Primum ad eius personam spectat. Sit vir honestus, ut gloriam ac dignitatem apud cives suos consequatur. At fuerunt certe, qui ex iure civili non solum scientiam, sed etiam bonitatem hausisse viderentur. Neminem lædat; i. e. nulli iniuste vel calumniose litem moveat. Iustitiam denique, ut normam & regulam in responsis suis sequatur. Præstat rem ita explicare, quam vitiosam iuris partitionem Ulpiano adstringere. XIII. §. iustum idem esse, quod utile societati, docetur. At iustum non est, nisi legibus consentaneum. Utilitatis ratio stricti iuris subtilitati opponitur a Iureconsultis: id vero, quod utilitate receptum, ad scientiam boni referri solet. Diversas has notiones distinguere debemus, nisi quicquid veteribus bene observatum, turbare, vel extra usum potius loqui velis. Ad ipsam commentationem de fontibus legum civilium quod attinet, ea divisa est in quinque partes, ex quibus præcipua saltem delibabimus. Iurisconsultum decet, fontes legum nosse. Eorum nomine venit, quod ad ius civile constituendum quocumque modo
1. pertinet. Primarii non sunt, nisi duo, ratio & religio. Ratione magistra, Lex naturæ cognoscitur. Quæ quidem perpetua est ac immutabilis, & in omni hominis statu regnat.
4. sq. 18. seq. Nec ullam civilem constitutionem reperies, quæ non naturam ducentem

ducem sequatur. Princeps enim, iuris naturæ interpres, illud ad statum civitatis accommodat. Cave autem putes, functione pœnali illi aliquid addi: eiusmodi hominis auxilio Legis naturæ vis non acuitur, sed magistratus civium securitati providet, quum ipsis iis *autodivina* uti non liceat. De his fuse agit doctissimus Auctor Sectione I. Adiecta est de moribus, deque virtutis studio, disquisitio. Sectione II. Politicæ ratio exponitur. Illius leges ad vitæ civilis felicitatem tendunt; iisque instructa civitas non sentit iuris stricti duritiem. Sectione III. ostendit Auctor, qua ratione religionis fons in leges civiles redundet? Varia præcepta suadet religio, reipublicæ utilia, v. g. de atheis eiciendis, de superstitione tollenda. Ne vero sub specie religionis quid statuatur, mentis libertati adversum, caveri debet. Perfectissima est nomothesia divina. An dederit Deus leges positivas universales, quæstio. Ita tene: Lex de incestu dici potest universalis, immutabilis, Christi doctrina pro ea declarata; Lex de Sabbato universalis quidem est, verum admittit exceptionem summæ necessitatis. Utramque non minus naturalem appellare licet. Sectio IV. ea tradit, quæ in legibus ferendis observentur. Rerum natura in primis investiganda. Climatis ratio caute habeatur. Colere debent cives commercia & artes; quam in rem multa erudite observavit Auctor. Sectio ultima versatur circa Leges, quæ in statu civili rationem habent, quo potissimum referenda, quæ Auctor de metu, de inæqualitate, de virtute, de moribus habet.

Minus recte Sect. I. quibusdam iuris capitibus usus esse videtur, quod pace eius adnotare liceat. Non refert Papi-
nianus L. 5. Dig. de Serv. export. quicquam de iure Naturæ; nec Ulpianus L. 2. D. de Usufr. ear. rer. sermonem habet de naturali ratione. Veluti si princeps mandato alicui pomerio urbis interdicit, urbe etiam ei interdictum videtur, propter naturalem rei intellectum. Usufructus consistit in rebus non fungibilibus. Utimur enim re, salva eius substantia; aliarum rerum, quæ usu consumuntur, cœpit esse quasi usufructus, i. e. improprie sic dictus. Namque Senatus, cuius

Mm mm decreto

Pag. 24.

20.

27. seq.

34.

38.

70. 73.

79.

84.

86.

90.

97. seqq.

104. seq.

124. 126.

decreto id introductum, non poterat iubere, vel efficere, ut idem sit usus quod abusus, vel naturalem rationem immutare. Legi hic meretur, quod habet Paulus L. 87. §. 2. D. de regul. iur. de æquitatis desiderio, de naturali ratione, & de iuris dubitatione, earumque rerum conflictu. Denique non fuit causa, cur Doct. Auctor Tryphoninum in L. 31. D. depositi reprehenderet: qui quemadmodum æquitatem ad merum ius gentium, mox ad civilia & Prætoris iura æssimaverit, explicatum dedit Averanius Interpret. iur. Lib. I. Ceterum elegans ac politus hic tractatus, haud eget nostra commendatione. Eius est Auctoris, quem non sine elogio celebritatis quisquam nominaverit.

Pag. 17.

GUALTERI VAN DOEVEREN DISSERTATIO DE
vermibus intestinalibus hominum, præcipue
de Tenia.

Lugd. Batav. apud Cornel. de Pecker, 1753. 4.
Plag. 10.

Vermes, laxiore sensu dicuntur animalcula, in nostro corpore præternaturaliter nata, vel saltim enutrita, in variis partibus nidulantia, & frequentium morborum causam exhibentia. Strictiore autem sensu vermes sunt illi, qui intestinalium tubos inhabitant. In aliis quoque corporis partibus internis vermes visi sunt: in cerebro pueri, *Academicis Parisiensibus* 1700. pag. 40. in corde, *Curiosis naturæ Cent. VIII. obs. 1.* in pericardio, *Baglivio in Epist. ad D. Andry de lumbrico lato*, in pulmonibus *Ruyfchio Thes. VIII. no. 95.* in hepate *Bidaloo, Redi.* Nec minus in humoribus, sanguine, *Ephem. N. C. Cent. V. obs. 72.* urina, *Transact. Philos. no. 391,* visi sunt. Vix quoque datur externa aliqua pars, in qua vermes hospitium sibi haud parent. In ulcere, *Steneveld. Diss. de ulcere verminoso* Lugd. Batav. 1697. In auribus, *Ephem. N. C. Dec. II. & quidem Obs. 57.* deprehenderunt animalcula. Aliqui etiam vermiculi visi potius fuerunt esse, quam quod extiterint;

tales

tales sunt illi crinones cutanei, qui smegmatis glandulosi sunt propagines, docente Clerico, de *Lumbrico lato*. Præterea existunt animalcula, quæ sua ovula animalium corporibus induunt, eaque illis excludenda relinquunt. Rem satis declarant pediculi variorum animantium diversissimi, docente Cl. Redi Part. I. Dracunculus ille, quem venam medinensem vocant, sub cute nidulans, sæpe ad immensam longitudinem excrevit, *Act. Phys. med.* Vol. III. A. 1733. pag. 21. Fuerunt denique, qui plerorumque morborum causas, maxime ulcerosorum, in vermium scaturigine quærent: in quorum ordine sunt *Hartsoecker, recueil de plusieurs piéces de physique* pag. 92-103. *Leuwenbeck, Deidier*, alii. Quæ omnia, cum partim rariora, partim satis dubia sint, hoc tamen certissimum frequentissimumque est, in tubo intestinorum nutrirî vermes penes quamplurimos, quorum alii ab inquilinis istis suis offenduntur gravissime, alii cum illis in pace vivunt. Sunt etiam in certis corporibus tales conditiones, quæ faciunt, ut in hoc corpore, cum causæ vermium ei applicantur, plus quam in alio illi succrescant. Aliqui ad tæniam, quæ lumbricus latus est, plus propendent, quam ad alium vermem, & tæniam quidem *adultis*, lumbricum teretem plus infantibus insidiari deprehendimus. Sunt autem post tres vulgatas vermium intestinalium classes, adhuc alia vermium genera, quæ vel cum prioribus affinitate iunguntur, & specie saltim differunt, vel toto ab-ludunt, schemate, lacertis, ranis, crabronibus, scarabæis similes, quorum fortassis animalium ovula latenter deglutita, & calore intestinorum vitali exclusa fuerunt: quorum exempla excitantur a Schenckio Libr. 3. de lumbricis. Occurrunt primo *ascarides*, qui sunt vermiculi teretes, illis caseorum similes forma externa, toto autem genere dispares; utpote qui mutationem subeunt nullam, quando ascaridibus caseorum destructoribus commune est, exuta pelle, per medium chrysalidis statum abire in muscam. Cum his nihil quidquam similitudinis habent sic dicti *cucurbitini*, quoniam oblongam seminis cucurbitæ formam specie referunt, quos Valisnieri pro vermibus singularibus habet, quorum plures concatenata serie inter se
M m m m 2
iuncti

iuncti, tæniam constituent, Noster recte omnino divulsos, & singulariter excretos tæniæ vocat articulos. Sed lumbricus, vermis teres ex longo rotundus est, aliquando singularis, haud raro gregarius. Inter hos & lumbricos terrestres, etiamsi haud levis est similitudo, nihil tamen utrisquæ intercedit analogi, nec plus forte quam homini & sinio; & merenter omnino clarissimus Auctor taxat Linnæum, qui, uti plura ex arbitrio, ita quoque lumbricum intestinorum eandem cum lumbrico terrestri vulgatissimo speciem esse, *System. Nat.* p. 213. proposuit, atque hoc ipsum, in de tænia dissertatione repetiit. Tæniam autem, de qua singulariter acturus Clar. Auctor est, quod attinet, ea nequaquam vermis ex pluribus cucurbitinis concretus, sed unus & simplex est, reptilis, albus vel flavus, membranaceus, latus, planus, articulatus, in animalium intestinis degens, in longitudinem excrefcens vix definiendam. Latum lumbricum tricenos pedes longum iam memoravit *Plinius*. Tæniæ 20. 30. & 40. ulnarum videre, nihil porro rarum habetur. *Plinii* fidem illustris *Berhaavius* roborat, quando *Prælect. ad Inst.* Tom. VI. pag. 80. se ex Ruffo homine tæniam 300. ulnarum expulisse scribit. Non autem tantum in homine aut quadrupedibus, sed & in piscibus est. Ex anguilla vivam extraxit Cl. Auctor. In piscibus diversam tæniæ speciem descripsit *Linnaeus*, eamque appellat *fasciolam*. De tænia & reliquis vermibus intestinalibus ita proponit Noster: *nulla opinio propius ad veritatem accedere videtur, quam illorum, qui ex suis ovulis, vel animalculis foris inductis, vermes intestinales oriri perhibent: putatque, indeterminata infecta esse, quorum ovula cum alimentis in corpus delata, in vermem intestinale excrefcant, utque hoc ita fieri possit, provenire a faventibus mutationi conditionibus illis, quæ in intestino animalis deprehenduntur. Ea est viri egregii fides, ut aliqua huic opinioni penitus obscurandæ argumenta adhuc deesse, sponte fateatur. In aquis tamen tæniis similia animalcula deprehensa esse, docet observatio, a Ioanne Untero excitata, quæ inest scripto periodico, *Hamburgisches Magazin*, Tom.*

Tom. VIII. pag. 311. *Femina aliis pluribus symptomatibus vexata, latus etiam vermes per anum excrevit, quorum etiam numerus nunquam imminuebatur. Clarissimus itaque Auctor, coniectura aliqua commotus, existimavit, aquam forte quotidie ex puteo quodam haustam, atque ab agra deglutitam, proximam huius morbi verminosi causam esse. Nec opinio eum fefellit: huius enim usu intermisso, vermes, reliquaque symptomata, disparuere. Aquam ipsam paulo post disquisivit Auctor, atque singularem latorum vermium catenam, longitudine duas spinthamas aequantem, in ea deprehendit. Plures sunt teniae species. Felix Platerus, & post illum Nic. Andry, Medicus Parisiensis, duas stabiliverunt; quarum altera spinis horrida est, altera his destituitur. Quatuor species Linnæus in adducta dissertatione proponit, ex diversis animalibus desumptas. Neque forte solitaria est, ut hoc respectu a gallis *Vers solitaire* recte dicatur: sed plures omnino insunt sæpissime hominibus æque ac ceteris animantibus. Proponuntur deinceps quæstiones super hoc argumento curiosissimæ. An tenia capite gaudeat; an tantum occupare soleat crassa intestina, an simul quoque tenuia? An ea sit simplex suæ speciei vermis, an catena plurium vermiculorum; quomodo in corpore nostro illa nutriatur? Cur tam difficulter ex corpore expellatur? Deinde de causis & effectibus vermium, varia proponuntur argumenti exquisitissimi problemata. Diagnosin illorum statuitur, tandemque de illarum curatione doctissimus commentarius additur.*

Destruendus est vermium nidus; hi ipsi extricati necentur; occisi, ex corpore depellantur, symptomata a vermium morfu excitata subleventur. Ad hanc methodum accommodantur & enarrantur anthelmintica omnia, quotquot illorum in scholis tradi solent, eorumque usus explicatur. Lectu iucundus & perutilis liber est, varia eruditionis suppellectili, & lectionum eruditarum varietate frequens.

S. EPIPHANII SALAMINIS IN CYPRO
 Episcopi commentarium in Canticum Canticorum. Pro-
 dit nunc primum ex antiqua versione latina, opera &
 studio PETRI FRANCISCI
 FOGGINII.

Romæ, typis Palcarinianis, Anno Jubilæi 1750. Præsidum ad-
 probatione, 4to mai.

Plag. 19.

C. Editor, cui custodia bibliothecæ Vaticanæ est credita, suo satisfactorio officio, laudabile hoc cepit consilium, libros nondum editos in lucem protrahendi. In præsentia igitur omnium primum cum orbe erudito hunc Epiphaniæ factum communicat; quam eandem operam, paucis abhinc annis, præfiterat huius ipsius antistitis commentario de XII gemmis pontificis maximi Ebraeorum: hunc Benedicto XIV. inscribit, quem cum Epiphaniæ, tum ratione muneris, tum ratione scriptorum componit. In præfat. P. I. docet, librum hunc Epiphaniæ omnino Auctorem agnoscere, quod probat 1) testimonio *Aur. Cassiodori*, qui hunc ipsum insit. divin. liter. cap. 5. expresse nominat, item *Adriani I.* pontificis, qui pariter locum integrum profert, totidem verbis in versione, quam edit, legendum. 2) Vaticanus codex, qui nulle superat annos, nomen Epiphaniæ præfert, cuius descriptionem, itemque scriptiois specimen aliquod, suppeditat. 3) Stilus convenit cum dictione, quæ in aliis eius operibus deprehenditur, ac sententiæ occurrunt, accurate concinentes illis, quæ in aliis eius scriptis offenduntur. Equidem *Io. Garetius*, ad *Cassiodori* opera, proptum dare voluerat, commentarium hunc non tam Epiphaniæ, quam Philonis, episcopi Carpasi in Cypro, esse. Sed observat *Cel. Fogginius*, Philonem quidem etiam in canticum canticorum scripsisse, verum opus hoc ab illo Epiphaniæ esse distinctum, immo, in medium adductis locis, 13. 21. demonstrat, Philonem ex Epiphaniæ multa traduxisse. Commen-

mentarium Philonis, *Stephanus Salutatus* Paris. 1537. ex officina Wecheliara typis exscriptum prodire iussit, indeque in Patrum collectionibus est repetitus: sed observat, quod & ab aliis est notatum, scriptum hoc & pseudepigraphum, & interpolatum esse, maxime cum genuinus Philonis commentarius, quod ex fragmentis adpareat, brevior sit & succinctior, hic vero fusior & prolixior, multa ex Epiphanio habens mutuata, sed circumscripta & amplificata. Adseveraverat *Dupin*. Pag. 21-25. *nus*, totum illum commentarium a *Salutato* publicatum, esse opus suppositivum, recentioris Græculi inventum; quinimo Philonem hunc ne quidem unquam existisse, cum illius nonnisi in vita Epiphanii mentio fiat, quæ tamen multis scateat fabulis. Sed vero hunc olim existisse, eundemque in canticum canticorum commentatum esse, testimonio *Corme Indicopleustes* & *Suidæ* adstruitur, adhuc illius fragmenta & sententiæ passim exhibentur. Fuit autem is *Carpathi*, quæ 25-27. est una ex *Cycladibus*, episcopus, quæ inde ab antiquissimis temporibus suos habuit anastites. Sedem hanc Philonem ante *Iustini* junioris tempora tenuisse, ex testimonio *Cosmæ* & aliorum colligitur. *Aubertus Miræus* quidem Philonem 27-28. nostrum antiquiorem facere est admisus, argumento inde ducto, quoniam illius mentionem iniicit *Sudas*, quem A. C. 425. in vivis fuisse censet, cum tamen is Sec. X. non sit antiquior, cui successu temporis alii itemque alii quædam addiderint, qui quidem non omnes doctrina fuerint pares. Minus recte etiam sensit *Io. Meursius*, qui catenam *Lugd. Bat.* 1617. editam, adscripsit *Eusebio Pamphili*, quæ tamen ex illius & aliorum patrum, itemque recentiorum scriptis, sit compilata. Iudicat autem *Noster*, catenam in canticum canticorum, a *Meursio* divulgatam, quæ *Procopium Gazzum* Auctorem habeat, esse fragmentum illius catenæ, quæ in *Vaticana* bibliotheca adservetur. *Dupinius* in eo quoque erravit, quod *Carpathi* 28-29. nusquam episcopalem sedem fuisse putat, cum tamen *Olympicus*, *Carpathi* Episcopus, a. 431. *Ephesino* concilio interfuerit: præterea *Nilus Doxipatrius*, in notitia patriarchatum, 13. in *Cypro* episcopatus recenset, interque illos ultimo

- Pag. 29 - 30. mo loco Carpasi antistitem nominet. P. II. de Auctore versionis commentarii Epiphaniï disserit, & quod pretium huic versioni statuendum sit, diiudicat. Licet codex Vaticanus interpretem non nominet, veri tamen simillimum erudit. Foggino esse videtur, Auctorem illius *Epiphanium* Scholasticum esse, qui iussu Aur. Cassiodori versionem adornaverit, cuiusque versiones, Romæ præcipue, in pretio habitæ fuerint. Hic Epiphanius, ex sententia Sixti Senensis, fuit ortu Græcus, quem tamen alii Italum credunt; quæ vero harum sententiarum sit verior, rationibus destitutus, definire non audet, nec, num utraque conciliari possit, dicendo, magna Græcia ipsum oriundum fuisse. Hic uti multos libros ex Græco idiomate in latinum convertit, ita quoque catenam in psalmos, ex præstantissimorum Græcorum interpretationibus collegit. De hac autem versione iudicat, illam quidem non ubique feliciter progredi, esse tamen non inelegantem & inconcinnam. Scilicet, illa tempestate mos hic inoleverat, ut, qui aliquid ex Græco in latinum idioma converterent, textui nimis presse adhererent, indeque aliquo modo obscuri evaderent. Hoc etiam vitio laborare Epiphanium censet, qui, sunt propria doct. Foggini verba, *dum nimis brevis esse contendit, & nimis fidus interpret, non raro quidem & ipse obscurus fit, & male latinus, attamen neque desunt in illis plurima eleganter expressa & luculenter.* Recentiores interpretationes elegantiores esse facile largitur, propterea tamen antiquioribus præferendas esse negat, quod ex his vocabulorum Græcorum potestas feliciter perspicitur, illarumque Auctores Græcorum scriptorum sententiam haud raro rectius sint adsecuti:
- 33 - 36. quod exemplis in medium prolatis comprobatur. Inde ostendit, quid in huius versionis editione abs se sit præstitum. Illam ex antiquissimo codice fideliter descriptam protulit; manifesta librarii errata castigavit; orthographiam, quæ in codice habetur, ad eam, quæ in communi usu est, revocavit; distinctionem versuum talem exhibuit, qualem in codice offendit, quæ, num ab Epiphanio, an ab alio sit profecta, non defuit. Pars III. est de pretio & usu commentarii S. Epiphaniï
- 36 - 38. in

in canticum canticorum. Cum omnia scripta Epiphaniæ eruditè sint accepta, & magnam utilitatem habeant, hanc quoque commentationem non inutilem reputari debere, concludit. Ex hoc etiam libro adparere censet, quid de commentario, a *Stephano Salutato* in lucem protracto, sit iudicandum, esse opus non ex integro suppositum, sed interpolatum, & *Philoni Carpathio* episcopo minus recte adscriptum, potuisse tamen rectius nomen Epiphaniæ eidem inscribi: ubi igitur in hoc obveniant dogmata, ad fidem pertinentia, debere conferri cum illo, qui nunc primum edatur. Sic ex hoc probari posse descensum ad inferos, invocationem sanctorum, præsentiam corporis & sanguinis Christi in eucharistia. Quædam etiam ex illo haberi posse de disciplina ecclesiæ, v. gr. de ministerio diaconorum.

Commentarium quod attinet, est ille partim *moralis*, partim *propheticus*, ex quo quædam speciminiis ergo in medium adducere non inutile credimus. Ad c. l. v. 2. loquitur de osculo terreno & cœlesti: hoc explicat de gratia, qua credentes dignatur Christus, quamque ipsis indulgit tum sub Vet. tum sub N. Test. & gloria, quæ ipsos in omnem æternitatem sit mansura. *Duo ubera*, sunt duo testamenta, quibus ecclesiæ filii lactantur. *Odor unguentorum* v. 3. est gloria Christi, sacerdotis & regis. *Adolescentula* sunt animæ fidelium, atque inde applicat ad feminam profluvio laborantem, extremam vestimenti Christi simbriam prehendentem, Matth. IX, 20. 21. *Cananzam mulierem*, Cap. XV. 22. seqq. Verba v. 5. *susca* sum, *παρὰ φεῶς* propter peccata, *formosa* propter poenitentiam: *filia Hierusalem* sunt ipsi animæ prophetarum. *Tentoria Kedard* explicat de regione *Ostracinarum*, cuius quoniam non meminit Hieronymus, Cel. Editor ab urbe, quæ, *Auctore Plinio* Lib. V. cap. 14, in confinio Arabiæ sita fuerit, dictam fuisse arbitrat. *Equitatus in curribus Pharaonis*, est multitudo iustorum, propter velocitatem eorum ad comprehendendam iustitiam. Ad verba, *in vineis Engaddi* v. 15. notatur, *preceptum Gaddi*, in quibus mendam, per incuriam interpretis vel librarii, cubare iudicat eruditiss. *Fogginius*, cum Gaddi præcep-

Pag. 39 - 47.

6 - 13.

13 - 15.

16 - 17.

20.

21.

25. 26.

- ptum non notet, in catena vero græca, a *Meurfo* edita, habeatur *ἐπίτευγμα*, interpretem scripsisse iudicat, τὰ δ' ἐμνηστῶν τῶν ἐπίτευγμα, *Gad* interpretatur adeptio. Cap. II. 8. per
29. *mones* prophetas, per *colles* apostolos intelligit. Christus
34. v. 9. cum *caprea* comparatur, quoniam acute nimis inspicit corda hominum: *mones Bethel* notant summos iustorum ordines. *Hierem.* v. 11. est Christi passio, quæ transit per resurrectionem. *Vox turturis* v. 12. est vox Pauli, qui propter ferocitatem, quam olim adversus ecclesiam exercuerat, cum turture confertur. Cap. III. 1. explicat de illis, qui in peccatorum cubili positi, & in noctibus tenebrosos consistant, Christum quærentes non inveniunt, nec invocantes audiuntur.
35. *Lectus* v. 7. est ecclesia: *sexaginta* potentes sunt pii Israelitæ; quos 60. sibi invenisse visus est in viris eximiis ecclesiæ iudicæ, & prophetis, in Ioanne baptista, apostolis, & evangelistis. Per *framcam* intelligit verbum divinum, quod efficax est & æcutum; *docti bello*, non adversus homines, sed malignos Spiritus. *Rex Salomo* v. 11. est Iesus Christus, qui extra portam est passus, hunc coronavit *mater*, synagoga iudaica, quæ ipsum corona spinea redimitum in crucem levavit; *dies desponsationis*
- 45-47. ipsius sunt dies passionis. Cap. V. 4. explicat de Thoma, qui digitos suos in Christi latus apertum immisit, cuius *venter est turbatus*, ob insigne resurrectionis miraculum. *Custodes*
50. v. 7. explicat de prophetis & apostolis, qui inveniunt sanctam sponsam, eam percusserunt, non ut perimerent, sed ut potius emendarent. *Sexaginta regine* sunt animæ sexaginta potentium, de quibus ad v. 7. Cap. III. *octoginta concubine* sunt animæ prophetarum, qui non aperte vaticinati sunt, ut *Elias*, *Iesaias*, *Ieremias*, & sic porro; sed *quicumque*, pergit, in *regum libris per transitum leguntur fuisse propheta*, istos *arbitror dici prophetas*. *Adolescentule* sunt innumeræ iustorum animæ. Cap. VII. 5. per *narcis sponsa* tropice intelligit Paulum, qui tanquam duabus naribus, veteri novoque testamento, universum terrarum orbem quodammodo vivificavit. Per *Libanum*, ab albedine dictum, designantur illi, Auctoris verba recitamus, qui sancto candidati lavacro, protectione apostolica
61. 62. 63. 73. custo-

custoditi, munus æternæ felicitatis adepti sunt. Index duplex Pag. 27-29.
 locorum Sacræ Scripturæ, & rerum, subiectus est. Charta &
 typi lectori se facile commendabunt.

*EXAMEN TEMPORUM MEDIORUM, SECUNDUM
 principia Astronomica & Chronologica institutum ab
 HENRICO GUILIELMO CLEMM,*
Philos. D.

Berolini, sumtib. Haude & Speneri 1752, 8.
 Plag. 15. Tab. zn. 2.

Cl. Auctor, iam repetens & lector ducalis Tubingæ, pro
 laudabili more eruditorum Vürtembergensium, iter litte-
 rarium instituit, quod cum Berolinum eum deduxisset, apud
 Cel. Eulerum ibi aliquamdiu commoratus est, ab eoque sine
 dubio primam operis ideam accepit. Eulerus enim, si in sit
 spatii cœlestibus materia, quæ tantillum resistat, orbitas plane-
 tarum inde coarctari, temporaque periodica minui debere,
 deduxit; annos vero ab antiquis temporibus ad nostra us-
 que decrevisse, probabile reddidit. Hanc sententiam libello
 suo confirmat Clemm, pluraque ad universam chronolo-
 giam pertinentia adducit, & ut rem ab ovo ordiatur, ex astro-
 nomia Sphærica & theoria, definitiones & enuntiata præmit-
 tit, aliqua etiam demonstrat, ut illud: corpus, quod curvam cir-
 ca centrum attrahens describit, areas efficere temporibus pro-
 portionales, & quæ hinc pendent. Nos ea tantum, quæ nova
 sint, etiam vulgaribus chronologiæ elementis imbutis, addu-
 cturi, omittimus totum Cap. I. *de Sole* inscriptum, & ex
 Cap. II. de die & anno solari adducemus regulam, ex duabus
 observationibus inter se remotis, dataque præcessionis æquino-
 ctiorum, reperire quantitatem anni solaris. Sumit vero Au-
 ctor, temporis intervallum inter observationes in annis Julia-
 nis quantitatis 365. dierum 6. horarum dari, unumque talem
 annum littera *A* designat, tempus inter observationes *n*, æqui-
 noctiorum præcessionem tempori inter observationes elapso,
 N n n n 2 ia

in diebus minut. hor. respondentem, m vocat, erit quantitas anni solaris vera = $(nA - m) : n$ Litteras vero m, n , definire, ob varias calendariorum anomalias, difficile est.

Antiquissima vero observatio, quantitati annorum solarium determinandæ intersvens, Athenis est facta, ubi, referente id Ptolemæo, Meton & Euctemon d. 21. mensis Phamenoth anno 316. Nabonass. hoc est facta reductione ad Cal Julian. d. 27. Jun. A. 432. ante Aer. D. solstitium æstivum observarunt, quod cum solstitio a. 1717. Parisiis observato collatum, dat quantitatem anni solaris mediam 365 d. 5 h. 49' 48" 39", vel ex correctione Scaligeriana, retentis dieb. hor. minutis, 9" 23". Sic alias observationes recenset, & ex illis annum solarium definit: summam tabula, quam & nos hic damus, exhibet.

<i>Observatores.</i>	<i>Interv. annor. usque ad ann. 1700.</i>	<i>Quantitates anni Solar. ultra dies & horas.</i>	
		<i>A</i>	<i>B</i>
Meton & Euctemon	ante 2131 ann.	49' 48"	51' 9"
Hipparchus	1846	49' 8"	50' 33"
Ptolemæus	1568	47' 36"	49' 37"
Albategnius	812	48' 39"	
Copernicus	184	— 35"	
Tycho	116	— 32"	
Riccioli	59	— 22"	

Unde patet, solares annos, si unicum Ptolemæum excipias, subinde decrescere. Hanc vero Ptolemæi anomaliam tollere laborat Auctor. Omnis enim hic calculus supponit annos Julianos, quorum quilibet quartus est bissextilis. Unde, si vel ex incuria, vel etiam nequitia illorum, qui inde a Iulii Cæsaris tempore dirigendo anno præfecti erant, aliquis annus, qui ordine bissextilis esse debebat, in communem transiit: dies aliquis intercidisse potuit, qui consequenter inter Ptolemæi & nostra tempora, intervallo annorum erit adiiciendus; id quod pluribus modis fieri potuisse dubitabit nemo, qui res populi Rom.

Rom. sub Imperatoribus Sec. II. confusissimas, perpetuaque bella cogitaverit. Nam duas alias causas huius inter Ptolemæum & reliquos dissensus, reinovet Auctor, ostendere laborans, satis exactas fuisse eius observationes, neque motum solis annum, inter Ptolemæi nostraque tempora, modo quodam extraordinario, cometa puta, esse acceleratum. Accuratus deinde probaturus, diem inter Ptolemæum & Albategnium intercidisse, provocat primo ad locum Cenforini, qui circa Ptolemæi tempora scripsit, de die natali cap. 21: in quo loco *des Vignoles* Tom. II. chronolog. p. 676. ostendit, numero *XII. Cal. Aug.* surrogandum esse *XIII. Cal. Aug.* ut hic diem periisse pateat. Deinde a *Bengelio* ostensum sumit, anno aer. D. 30. æquinoctium vernalis incidisse in 22. Mart. Anno vero 325. quo concilium Nicænum celebratum fuit, in d. 21. Mart. cecidisse creditur: cum tamen, calculo instituto, inter illum 30 & hunc 325. præcessio æquinoctiorum 2 dieb. 7 horar. reperitur, ut ultimo anno in diem 20. Mart. inciderit. Ergo diem unum interiisse colligit, imo forte duos. Ptolemæi vero observationes si biduo removeantur, exactius determinabunt quantitatem anni solaris. Constat autem, bissextilem diem, si in nundinas incidisset, omissum fuisse eo anno, & sequenti additum; iam Ptolemæi observatio facta est anno aeræ D. 132. bissextili, forte huius anni bissextilis dies in nundinas incidit, & sic altera illa dies, qua opus adhuc habet Auctor, definitur. Si vero biduo hoc removeatur Ptolemæi observatio, ideam & præcedentibus eam contingit, ut inde definitæ annor. solarium quantitates sint, quales columna B adiecimus: posteriores Ptolemæo non mutantur.

Posito igitur, quod anni decrescant, sit præsentis anni quantitas A , & retrogrediendo, proxime præcedentis $A + a$, denotante a incrementum anni cuiusvis supra eum, qui proximus est huius anno: inter hunc annum & præsentem, intelligatur tabula sequens

I) Longit. annor. singulor.	II) Progressio annor. sec. numeros not.	Summa annor. in quantitibus, num. I. inventis.
A	1	A
A + a	2	2A + a
A + 2a	3	3A + 3a
A + 3a	4	4A + 6a
.	.	.
.	.	.
A + (n-1)a	n	nA + $\frac{n \cdot (n-1)}{1 \cdot 2} a$

Summa hæc ergo, per numerum annorum divisa, dat annum medium $A + (n-1)a : 2$. Hæc deinde pluribus exemplis applicat, ostenditque, mediam anni quantitatem constantem non esse. Idem de mensibus lunaribus c. 3. 4. ostendit; 5. de temporis æquatione differit; dies, annum, mensem civilem, c. 6. 7. considerat; cyclos vero & periodos 8. æras quasdam notabiliores 9. pascha & calendarium 10. In his omnibus chronologicam eruditionem, quam variam esse debere constat, insignem ostendit; multum profuturus iis, qui accuratius & uberius deducta hæc addiscere, & cum astronomiæ principiis connexa videre optant, ut compendii alicuius chronologici usum præstare libellus possit, & eruditis etiam, præcipue quod inæqualitatem temporum mediorem dilucide expositam attinet, prodesse. Memorata dignum est, quod auctoritate *Cassini* in Hist. Acad. Scient. Par. 1701. ostendit, Gregorium Papam talem calendarii reformationem intendisse, quali iam Protestantes uruntur: ut hos verum calendarium Gregorianum servare, non Romano catholicos, dici possit.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREMENTUM scientiarum, ab his, qui sunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per partes publicata.
Volum.

Volum. IX. Pars IV.

Lipsiæ, apud b. Lanckisii heredes, 1753. 8.

Plag. 12.

Orbum parente suo opus producimus; quod tamen dubium non est, quin partam pridem atque promeritam apud Lectores habiturum sit gratiam. Dicemus autem strictim de *Partis* huius argumento. Illius in fronte comparet *Iob. Ern. Inman. Walcbii, de Petro nudo commentatio, qua locus Iob. XXI, 7. illustratur.* Scilicet, ea infedit Auctoris animo sententia, Petrum non plane nudum fuisse in navi, sed interiore quodam vestimento tectum. Hoc ille cum ex vocabulorum, *γυμνός* & *nudus*, significatione, tum ex aliis argumentis, imo ex ipsa D. Iohannis narratione, ut evincat, fludet. Vile negotium erat Petro, piscatura. Iam de operariis eiusmodi hominibus, iis imprimis, qui agriculturam tractabant, proditum legas apud veteres, *nudos* incessisse, quos tamen credibile non est, omni caruisse indumento. Vid. *Auct. de Vir. illustrib. Cap. XVII. n. 1. (coll. Livio Lib. III. Cap. 26.) Virgil. Georg. Lib. I. v. 299. Lucan. Pharsal. IV. 334.* Poetis certe solenne est, *puellas vestitas a nudis*, id est, togatas ab iis, quæ toga destituuntur, discernere. *Iuvenal. Satyr. III. v. 135. VI. 121.* Similem fere voci tributam videas potestatem a *Petronio Cap. XCII. & Suetonio in Aug. Cap. LII.* Nam *Phædri* locum pag. 560. mallemus omissum. Pauperes quoque, vitamque dissolutam agentes, nudi adpellantur *Curtio IX. 3. Tacito de M. G. Cap. XX. Seneca de Benef. Lib. V. Cap. 13. Iuvenali V. 53. Horatio Lib. II. Od. 5. alis.* Sed memores etiam esse nos decet vocabuli *γυμνός.* Atque illud, si *Aristoph. in Έκκλησιαζ. v. 408. 563. Homer. Odyss. Z. v. 136. & 218. Hesiod. O. & D. v. 339. Herodian. Lib. II. c. 13. Phitarch. in Phocione, cet. evolvas*, non raro designat leviter vestitum, aut alterutro vestis genere carentem. Spectat eodem *Aeltani* locus, *Var. Hist. Lib. VI. Cap. XI. coll. LXIII. cap. 37. egregie a pag. inde 567 — 575. illu-*

Pag. 551.

554.

563.


- illustratus & adfertus. *Γυμνάσια* pro lacero & ægro vestitu, atque adeo pro paupertate, habent sacre tabulæ. Matth. XXV, 36. 38. 43. 44. Iac. II, 15. Rom. VIII, 35. 2 Corinth. XI, 27. Neque fugerit facile eruditos, *γυμνὸς* a veteribus dici, qui armis, ad se defendendos, non essent instructi. Adscribamus & hic loca quædam. *Iliad* Φ. 49. 50. P. 711. *Herodian*. II. 13. VI. 5. Quid? quod *leviter armati* ab *Eurip.* Phœniss. v. 1154. *γυμνῆτες* dicti videntur *Cupero* Lib. I. Ob-
 pag. 583. serv. Cap. 7. pag. 38. Veniamus ad argumenta alia, pro interpretatione Auctoris pugnancia. Igitur & ipsum *גִּימְוֹן* non semper simplicem notat nuditatem. *Esaia* istud & *Saulis* comprobatur exemplis, ut loca S. Scripturæ ipsa taceamus.
 584. Agricolas *γυμνὸς*, veterum more, adpellari supra monuimus. Quod ne lit, *omnino nudi*, prohibet numus apud *Seguinum* Select. numism. antiq. p. 109. referens agricolam tunica, eaque sola, vestitum: ubi quidem effatum Servatoris, Matth. XXIV, 587. 18. commode adfertur. Denique, non dicitur Scriptori divino Petrus induisse, sed succinxisse duntaxat *τὸν ἐπενδύτην*, suadente eam explicationem proprio vocis *διὰζώνου* sensu. Quæ vero tandem, vel qualis est hæc vestis? faciunt prope divortia illa interpretationum hæc traditarum, ut iis lectis, incertiores, quam antea, simus. Noster ex Polluce colligit, *ἐπενδύτην* esse indumentum plebeiorum hominum, e lino confatum, ad vestium interiorum classem pertinens, cingulo claudendum, exterioris forsitan, etiam amiculi nonnunquam, præstans officium. Hæc singula docte satis, sed, ni fallimur, iusto operosius exposita ab Auct. Clar. iudicent alii.
 595. Succedit II.) *Iob. Rudolphi Kieslingii Observatio, de consuetudine gentium, manibus extensis precandi, & oscula ad sidera proiciendi, ad Iobi Cap. XXXI, 26. 27.* quem locum perquam vitiose exscriptum, socordia operarum, dolemus. Videtur vero hic Rev. Auctori Iobus supersticiosi cultus a se crimen amoliri, indicibus potissimum verbis: *וְתַסֵּק יָרֵי לַפִּי*, in queis iam *Spanbemiur* Hist. Iob. *primævum adorandi ritum*, manu ori admota, & proiecto osculo præstitum, invenit. Duo vero cultus istius genera ponit Noster. Alterum, quando manus
 labris

labris iungebatur, pietatis erga Deos & venerationis declarandæ causa. Vid. *Apulei*. Apolog. I. & *Milesiar*. IV. *Minuc. Felic.* in Octav. conf. 1 Reg. XIX, 18. Hol. XIII, 2. Alterum, quum, manibus extensis, preces supplices ad Deos deferuntur. Vid. *Iliad*. A. v. 350. B. 260. 261. 261. *Q. Curt.* Lib. IV. Cap. 10. *Cæs.* de B. G. Lib. II. Non una tamen circa hanc alteram superstitionis speciem apud omnes populos obtinuit opinio. Græci Latiniq. æque ad delubra & simulacra Deorum manus sustulerunt, ac in cælum: Per se ad astra solum. *Simplic.* de cælo Lib. I. Quod ad causas ritus universi, duas statuit Auct. Doctiss. gratiarum actionem, & calamitatum tempestatumque difficultatem. Addit insuper, quæ ei analoga apud Judæos & Christianos, sacris operantes, videre est. Nostrium est commemorare, observata hæc breviter iam ad h. l. esse Viro summo, *Alb. Schultens*, Commentar. in Iobum pag. 872. B. ubi & *Tertullianus* excitatur, qui hoc dicit, *cælestia adorando, ad solis ortum labia vibrare*. Tertio loco conspicitur *Jo. Christophori Harenbergii*, originatio vocum *Θεός* & *DEVS*, nec non *TIVISCONIS*, & gentis nostræ, qui est nomen *TEUTSCHEN*. Vocem *Θεός* Helleus a Pelasgis, quibus in Græcia successerunt, accepisse videntur. Hi cum Scythica essent progenies, origo dicti vocabuli quærenda inter Scythas est. Atque horum pars illustris erant Celtæ, quibus Deus princeps fuit *Dis*, *Thies*, *Thuis*. Tacitus *Tuissonem* adpellat, forte rectius *Tuissonum*, h. e. filium Dei *Tuit*. Effectum ex hoc Deo a Romanis Mercurium vidit *Cel. Pelluterius*, qui & vestigia nominis in antiqua Germaniæ historia sollicite indagavit. Ad Scythas pertinuisse Celtas, docet §. 2. addita coniectura, eos *Scalatos*, i. e. *Scultetos*, iudices, præfectos, vocari. Utrisque iuncta erat *Pelagorum* natio (§. 3.) dicta forsitan a sagittandi arte, quasi *Pile-Schützen*. Venerabantur illi Deum *Theutum Dodonæ*, quod est *Thoti* seu *Theuti*, terminus. Possis tamen etiam exponere: *terminum terræ*, quasi sit *Dodleder*. De origine autem vocis *Θεός* ad Pelagos referenda, vid. *Herod.* II. 51. 52. Germanos, seu potius Teutones, Celtici esse generis, sciunt omnes. Eos vero quondam


Titanes dictos fuisse, declarat §. 6. Unicum idque oculis non conspiciendum Numen veneratos esse, §. 7. *Thyr, Tir, Teut, Tuis*, conflata videntur ex *the es, te as, te yr, der cine*, ille unus. §. 15. *Teutoni, Tiefcken, Teuffchen, Teufchen*, sunt *Tyfi* vel *Ditir filii*. §. 17. Non differunt ab illo nomine: Δις, Σεις, Θεός, *Deus*. Paulus Deum ignotum Atheniensibus sistens Act. XVII, 23. videtur notionem illam, quæ Celtis & Germanis cum voce *Thyr* coniungitur, animo reputasse. §. 20. Sunt hæc nonnulla exempli causa decerpta ex commentatione doctarum plena coniecturarum. Eam excipiunt

Pag. 643. IV. B. V. C. E. *de Quaternicibus S. R. I. dubia & coniectura*. Hic primum contra eam, quam Rev. *Harenbergius* Tom. VIII. pag. 662. seq. horum *Miscellaneorum* protulerat de Quaternionum Imperii origine sententiam, obiciuntur quædam non spernenda. Deinde ipse Auct. Clar. coniecit, selectos forsitan quosdam ex statibus Imperii olim fuisse, qui in Comitibus, reliquorum nomine, negotia publica tractarent, numero quidem quatuor, quod & omnis Germania, remotissimis temporibus, in quatuor esset partes distributa, eosdem postea proprio nomine res egisse, ut adeo repræsentatio cessaret. Digna, quæ monumentis scriptis confirmetur, divinatio. V. *Anthologia Græca*, nunc primum e Cod. MSto edita, studio Io. Iac. Reiske. *Missus quartus, isque ultimus*, complectens Carmen 374-394. Reliquum hic vides, Lector, carminum eroticorum, id ipsum quoque adnotationibus elegantibus ornatum. Quarum nos quasdam, sepositis, quæ critici generis sunt, adscribemus. Pag. 668. *Ανεπίειν* est, retrorsum acta cervice, vultum alterius versus cælum dirigere. Pag. 671. *„Illi seculo, quod Paulum (Silentiarium) „tulit, mira & portentosa omnia aridebant: displicebant „contra, quæ simplici naturalique pulchritudine niterent, „Puerilem in modum iactabant in suis scriptis illius & sequentium, ætatum homines lectionem suam Homeri, Herodoti, aliorumque veterum, omniumque quos novi, nemo „magis Φορμῶς & inficetè scribit, quam Anna Comnena in „Alexiade, quo effecit, ut historia sua, præclaris alias haud „carens*

„carentes dotibus, absque tædio legi nequeat.“ Pag. 672.
 „Απεολυταις est, nodum zonæ ita vexare, ut nihil profi-
 ciatur in solvendo, neque appareat, solvere velis nec ne.
 Pag. 691. Σύνοδος & conventum hic loci, apud meretricem,
 & plenilunium notat. Hæc quidem vox posita corrupisset
 elegantiam carminis. Vox autem, conventus, non satisfacit
 lului poetico. Ceterum accepit, anno superiore, doctior or-
 bis, gratum Cel. Reiskii munus, *Antologia Græcæ a Con-
 stantino Cephalæ conditæ, libros tres*, propediem a nobis in
 his Actis commemorandos accuratius. VI. *Commercium* Pag. 697.
*Epistolare Ludov. Bourgueti & Gisberti Cuperi. Accedunt
 duæ Bourgueti ad Joh. Bapt. Ottium & Joh. Woodwardum
 Epistolæ. Particula IV.* In his epistolis, nam breviter iu-
 vat argumentum indicasse, systemati Woodwardiano quæ-
 dam opponuntur; disputatur de lingua primitiva in varias
 partes; de antiquitatibus item Aegyptiis; de derivatione He-
 bræi sermonis ex Chinesis, *Massono* tentata; de numis Hi-
 spanicis: inest præterea explicatio loci *Suetoniani* de fossis
 Nili, & laus *Boniourii*, Orientalium litterarum intelligentia
 clari; alia. Colophonem huic Parti inducit *Frid. Ott. Men-* 733.
ckenii ad Lectorem Epistola. Eam paucis ante supremum
 diem mensibus, afflictâ nimium quantum valitudine, animo
 autem instantis fati fere præfago, exaravit ὁ μακαρίτης. In-
 tegram damus Lectoribus, quod non dubitamus, quin, cui
 toties differenti suaviter in his Actis, favere solebant, eun-
 dem perorantem quasi, & valedicentem huic humano eru-
 ditorum consortio, mœsta attentione audiant. „Lectori S.
 „D. *Frid. Ott. Menckenius.* Constitueram apud animum,
 „in hanc etiam *Miscellaneorum Partem*, sicut in priores
 „omnes, inferre aliquid ex mea penu, idque tale fortasse,
 „cuius esse apud te gratiæ non omnino nihil posset. At,
 „quod vehementer doleo, mutare consilium, valetudinis,
 „qua nunc valde dubia ac pene desperata utor, incommoda
 „me iusserunt, cum tanta quippe debilitatione virium con-
 „iuncta, ut vix sumtum in manus calamus atlicere, & re-
 „lin-



MICROCOPY RESOLUTION TEST CHART
 NATIONAL BUREAU OF STANDARDS-1963-A



1:24

NOVA ACTA ERUDITORUM
LEIPZIG 1755

DER MICROFICHE-REPRODUKTION LIEGT DAS
ORIGINAL DER NIEDERS. LANDESBIBLIOTHEK
HANNOVER ZUGRUNDE

SIGNATUR: AA - A 35

„linquere his, quibus facultas est utendi, tristis me necessitas
 „cogat. Actum igitur de Mulis meis, actum de meo litte-
 „ras iuandi studio, actum de me ipso, video, si ita in fa-
 „tis fuerit, ut pristini vigoris mihi deinde nihil redeat. Iu-
 „sta hæc mihi cessantis, in quo, dum liceret, totus fui la-
 „boris, non dicam docti, at fortasse doctis hominibus non
 „inutilis, excusatio erit, sed qua nunquam, nisi invitus, &
 „summo meo cum dolore, utar. Tali sane homini, qua-
 „lem me omni tempore professus sum, abhorrenti nem-
 „pe a turpi illo otio, in quo civium meorum haud paucos
 „totam consumere ætatem video, ipsa nihil agendi necessi-
 „tas morbus est; in eo etiam molestius aliis morborum gene-
 „ribus, quod hic animum, ceteri pene omnes corpus tantum,
 „afficiant. Sæpe igitur mecum cogitare ita soleo: Quid est,
 „bone Deus, quod illud mihi bonæ conandi desiderium in-
 „spiraveris, nec simul explendi eius facultatem concesseris?
 „Illo si carerem, tolerabilior iste mihi languor foret,
 „sicut esse multis solet, qui, natura ita ferente, in grato ipsis
 „torpore vivunt. Ita conquerenti mecum sortem meam,
 „nihil, nisi hoc unum superest, ut, quæ tristitia nunc viden-
 „tur, suam aliquando habitura finem, & recuperatis viribus,
 „pristinam mihi, bene de litteris merendi, redituram alacri-
 „tatem, sperem. Quod si ita evenerit, memor tui, Lector
 „in me studii, cuius luculentiora olim, quam fortasse pro
 „meo merito, extare documenta voluisti, tibi, quicquid mihi
 „agendum vitæ restat, sacrum esse dicatumque maxime iu-
 „bebo, & in tali genere laborum, cuius aliquem tecum fru-
 „ctum capere, quas toto animo amplecteris, bonæ litteræ
 „possint, suaviter & iucunde consenscam.“ Quod reli-
 „quum est, celandi non sunt Lectores, non esse præmaturo
 „Menckenii nostri obitu hæc *Miscellanea Lipsiensia* abrupta,
 „vel continuatione destitutum iri. Certe superiore iam anno
 „*Voluminis X. Pars I. & II.* prodire, quarum nos aliquem
 „brevis gustum proponemus.

URNA CONTARENA AB HIER. FRANC. ZANETTIO nunc primum tentata perbrevis disquisitione ad consocios suos Columbarios.

Venetis, 1752. 4.
Plagula duplex cum fig. æn.

Dedicatur hæc tractatio illustrissimæ atque excellentissimæ matronæ, Paulinæ Contarenæ, cuius in gynæceo reperitur eadem urna marmorea perobscuris emblematis insignis, cuius & adiuncta figura deprehenditur. Hæc inter *ossuarias* & *cinerarias* antiquas refertur. Vas ex alabastrite est, torno cavatum, magnitudine unius pedis cum semisse. Forma simplicior & elegantior retrusam indicat antiquitatem; os angustius, venter laxior, perbelle ad basin contractus. Ab oris circuitu cavitas quædam, aut si mavis striatura, diffluit, quam seorsim expressam voluit Zanettius, adiectis in circulo characteribus. Inventa fuit urna in agro Atestino, prope Contarenæ gentis villam, iaciendis novæ domus fundamentis. Continebat ossium fragmenta, cineribus & aliquot numis immixta. Numorum fata nosse, quod vehementer dolet, ignorat. Urna vero Venetias advecta, in conspicua domus parte, a nobilissima gente collocabatur, & veluti novum sphynxis ænigma literatorum divinationibus hodieque proponitur. Nosse, characteres notas astronomicas esse, quibus, ab rerum harum peritis, orbis astriferi signa, ceterique planetæ per compendium indicantur, iudicat. Nam etsi non omnino sint iis simillimi, quibus nostri pauloque remotiorum seculorum astronomi utuntur; tali tamen specie figuraque fiunt, ut, vel tantillum contemplantibus, esse res in aperto queat. Aquarii signum cetera præit: Virgo, Capricornus, cum Venere subsequuntur, quibus annectitur libra: Mercurius, Taurus, Aries, & Gemini subinde sunt, quos iterum Venus, Libra, Aquarius, comitantur: sequitur Saturnus, si bene iudicat, & cum Sagittario Mars. Venus dein & Mercurius iterum adparent.

O o o o 3

E tri-

- E tribus vero postremis quibus signorum agmen clauditur, prior Luna est: altera nota pisces refert; tertia Capricornum. Ad latera trianguli, Scorpius & Capricornus iterum. Ceteras quoque notas in gyro sculptas, aliquot insuper magicis characteribus admixtis, eodem referre non ambigit. Statuit inde, notas eas in earum oportere numerum reici, quibus, ad hominum fata prædicenda, notissimi quondam impostores utebantur, quos Chaldæos primum & Mathematicos, subinde Planetarios, Magos & Genethliacos, ac demum Apotelesmaticos, Sorilegos, & Astrologos appellabant. In Græciam *Berosus* genethliacam artem, ab orientalibus plagis, Alexandri tempore, primum inexit. A Græcis ad Romanos ea transit, *Cic. de divin. Lib. I. cap. 39. Sueton. in Octav. cap. 95. Spartianus in Hadriano cap. 16.* Conciliorum canones, Cæsarum leges, *Diocletiani* nempe, *Constantii, Valentiniani, Valentis, Arcadii & Honorii*, quibus cautum erat, ut mathematicorum codices cremarentur, & artis impiæ magistri pœnis atrocibus plecterentur, in manibus adhuc habemus. Ergo, cum videret A. hæc themata, vel horoscopa, vel quovis tandem nomine vocare velis, trigonis præsertim ac tetragonis constare, quibus certa lege & observatione siderum orbis signiferi, signa & emblemata planetarum depinguntur; & cum reperiret trigonum in urna hæc sculptum, & emblematis quotquot inferi poterant refertum: suspicatur merito, aut horoscopum, aut saltem horoscopi partem illius hominis, cuius ossa erant in vase condita, siglis iis repræsentari potuisse. Scorpii & Capricorni signa, quæ velut auspiciatissima censebantur, utrinque iuncta, forsitan ascendentia fuere, cum homo nasceretur, seorsum ideo notata. Pergit coniectando simul indicatum astrologi schema, quo fuerat quæsitum, quodnam genus mortis maneret hominem, cuius in urna cineres condebantur; cum & horam mortis auderent indicare, *Ptolem. Lib. IV. cap. 8. Manil. astronom. Lib. III. cap. 7.* Sic & fieri potuisse credit, ut interitus die præviso, quem

quem, vel urgente mortifero morbo, vel alia de causa vater praesensit, exitus vitae forte fortuna contigerit; ideoque velut profundissimæ, peneque divinæ sapientiæ monumentum urnæ cælatum horoscopus. Notas autem huiusmodi Chamberius arbitratur a Chemicis primum inventas, & ab iis deinceps ad astronomos translatas fuisse. Sed scriptorem ceteroqui doctissimum hic allucinatam monet noster: cum contrarium potius in aprico versetur. Ex ipsis rerum attributionibus & significationibus is deducere mavult; sic ut Saturnus iaculo, Mars iaculo, Mercurius caduceo, libra lanceis parte, scorpius aculeo, aries duplici cornu, capite bubulo taurus, aquarius amne decurrente, gemini duplicata linea, pisces figura colligata, sol circulo, dimidio luna designetur; quæ signa, vel incisa, vel properante manu, variis deinde modis sunt immutata. Qui signis iis inter scriptores hodieque superstites primum usus esset, Ptolemaeus fuit. Ceterum vas hoc antiquissimum videtur non postremis imperii Romani seculis inferendum. Gnosticorum & Basilidianorum geminæ, quibus *Abraheorum* vulgo nomen inditum, siglarum istiusmodi notas, neque semel, neque obscure, præ se ferunt. Has inter conspicua est, quam *Io. Macarius* in *apistopist.* Tab. XX, n. 33. edidit, una representatione, nativis imaginibus, cælestia signa, siglis iisdem expressa, referens. Unde nascitur coniectura, secundum aut tertium a Christo nato seculum, eiusmodi monumentorum imprimis copiam attulisse; quo simul magicæ literæ spectent, astrologicis emblematis, in vase summo permixta. Hæ dabio procul ex earum numero videntur Auctori, quæ quidem in gemmis ac reliquis amuletis gnosticorum, & aliorum huius generis impostorum, passim occurrant. Vas ipsum, hic incisum æri, consideretur oportet, si quis nostri meditationes accuratius diiudicare voluerit.

Pag. 13.

14.

15.

NOVA SYLLOGE DISSERTATIONUM D.
CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI,
*diligenter recognitarum, novisque illustra-
sarum accessionibus.*

Pars I.

Rostochii & Wismariæ, apud Io. Andr. Bergerum & Jac.
Bodnerum, 1752, 8.

Plag. 22.

Amplificanda scilicet est etiam scientia theologica. Id sibi dictum credidit Cel. Auctor, qui hanc novam nobis dedit Syllogen, Dissertationes summo studio elaboratas complectentem, Dissertationes, de argumentis antea iuste elaboratas a nemine, easque octo. Dissertatio prima inscripta est de *exegefi historica Scripturæ Sacre*, adiunctam habens *interpretationem historie de delirio Davidis*. Secunda est *Commentatio theologica de illuminatione Sauli, ceca pietate ferventissimi*, ad Actor. IX, 2 — 6. Tertia est de *LXX Christi legatis*, Lucæ X. memoratis. Quarto loco adparet *vera descriptio prisca contentions inter Romanam & Asiam, de vero Paschate*. Eam sequitur *crux Criticorum sacrorum Joh. VIII, 6. 8. iuste & commode re- fixa*, hoc est, interpretatio Geographiæ Christi a Ioanne commemoratæ. Sextum occupat locum *Commentarius in Psalmum Davidis tonitrualem XXIX*. Septimo adest *Programma de Theologia Courayeriana*. Octavo loco adparet *Commentarius in Ioannis Apostoli Epistolam tertiam*. Bonus theologus, diviniore codicis bonus sit interpres, necessum est. Ut bonus sit, eum subsidiis instructum esse oportet, quæ a philologia, & historia, & philosophia suppeditantur. Disciplinæ hæ sunt amplissimi ambitus, maxi-

Pag. 3.

maximi laboris, nec exigui temporis. Eam ob causam pertenuis omni tempore fuit proventus interpretum iustæ magnitudinis. Subsidiarum istorum indolem exponit Cel. Auctor Dissertatione prima. Per *πρωτολογία*. Pag. 5. Col. II, 4. 8. memoratam, intelligi putat methodum demonstrandi mathematicam. Interpretationem sacri codicis distribuit in *verbalem* & *realem*: quarum illa in verbis exponendis, hæc in rebus, quæ sub verbis latent, evolvendis occupata sit. Hæc est vel *dogmatica*, vel *prophetica*, vel *historica*. Verbalis est vel *grammatica*, vel *retorica*. Prioris exemplum promit ad Luc. XVI, 9. docens, *Μαθημοναμ ἀδικον* esse *falsi nominis divitias*. Illud *ὅταν ἐκλίπητε*, interpretatur, *cum moriemini*. De Judaica natione per Romanos adstricta id exponit Christianus Ludovicus Miegius, Diff. I. de *Fatis v.bernaculi Davidici* §. II. pag. 1047. seq. Tom. I. *Tbesauri theologico-philologici Hæsaëo-Ikeniasii*. De exegeti Scripturæ Sacræ historica, liber editus est nullus, nec artis hermeneviticæ conditores ei singulare caput dicarunt. Eius delineationem heic dedit Auctor, omnium primus, egregiam. Docet igitur: 1) circumstantias omittas, ex aliis scriptoribus, vel rei enarratæ circumstantiis, esse supplendas, ut breviloquentia evolvatur, qualem deprehendimus Marc. XI, 12. 13. 14. Hunc locum exponit Auctor, ratus, ficus huius speciem fuisse æstivam, necdum ad aditum Jesu vernis fructibus exhibendis aptam. Reimmannus legendum putarat: *ἔ γὰρ ἦν καιρὸς σὺκων*, *ibi enim erat tempus, quo maturuisse ficus oportebat*. Si lectioni huic esset locus, comparatio cum Iudæis infrugiferis, quos tamen oportebat esse fructibus fidei plenos, magis ad scopum accederet, & gravior esset omnino. Heinlii iam erat hæc coniectura. Nobis nihil videtur mutandum: at enuntiatum per interrogationis formulam expromptum fuisse a Marco, ut sententia inde prodeat hæc: *nonne enim erat tempus, quo ficus solent ad maturitatem pervenisse?* Illud *ἔ* ita sæpius in N. Test. adhi-

- Pag. 29. adhiberi, norunt omnes. Illustrat præterea Cel. Auctor locum Jonæ III, 4. 5, qui Hermannno Witsio videbatur haud esse in expedito. Judæ Icarioræ mortem, memoratam Matth. XXVII, 5. & Actor. I, 18. ita contigisse docet, ut Judas se Hierosolymis in altiore loco domus alicuius suspenderit, & dominus domus cadaver abscissum deici per fenestram vel aperturam iusserit in humum, pro more Judæis usitato, quem descripsit, vel attigit potius, Josephus B. I. III. 8. §. 5. Enucleat porro Cel. Auctor illud Jo. XIX, 34. de latere Christi perfosso testimonium. Instiuit solcite discrimen inter exegetica historica, & exegetica historiarum pragmaticam. Huius enim scopus in eo consistit, ut causas, impulsivam, finalem, & effectum investigemus ac etiamus. Historicæ exegetice has profert regulas: 1) *Inspice cetera loca, ubi eadem narratur historia, vel aliqua pars eius;* 2) *Ex eo, quod postea narratur, erue omissam antea circumstantiam;* 3) *In consilium adhibe probabilitatem moralem, ad circumstantias, que sunt omissæ, supplendas, probabilitatem e cognitione fluentem naturæ humanæ, tum corruptæ, tum renovatæ. Exemplis regulas esse illustratas, monendum ducimus, exemplis, puta, selectissimis. Addit illis regulis observationes aliquot. En primam. Spiritus sanctus per scriptores sacros sæpe memorat hominum verba non ore edita, sed animo obvia. En alteram. Fecisse scriptores biblici aliquid scribunt interdum etiam illum, qui facere se aliquid simulavit, effecitque, ut re vera id fecisse crederetur. En tertiam. Sæpius verbum præteritum gerit sensum plusquamperfecti. En quartam. Interdum in sermone medio loquens inducitur alius, non præmissis & dixit, vel qui dixit e. gr. Deut. XI, 13. 14. Rom. IX, 19. Cohel. VII, 17. Thren. II, 15. Hof. VII, 5. Jes. XXII, 13. Ps. LXXXIX, 3. Hebr. X, 38. Addidit Ven. Auctor tandem paraphrasin loci Jo. XVIII, 33 — 38. & cautionem, empaectis opponendam, instillandamque illis ipsis, qui historias tractant*

tractant sacras. Notat merito Judæorum & Christianorum morem exponendi illas allegoricum. Laudat Rabbi Salomonis Isaacidæ conatum, eruendi sensum litteralem, notat eius etiam nœvos. Celebrat Lutheri *Commentarium in Genesim*, & inde exempla exegeticos historicæ aliquot deprimit. Exponit locum 1 Sam. XXI, 10 — 15. ita ut putet, a Davide varias figuras in ianua fuisse pictas. Addenda videtur epistola Domini du Mont ad Saurinum, inserta huius Libro, *Discours historiques, critiques, theologiques, & moraux*, Tom. IV. pag. 394. seq. Hagæ Comitum edito in lucem 1730. 8. Obmovit tamen huic, nec non Ortlonio ac Rambachio, varia, Ven. Heumannus. Fuimus heic longiores ob rerum gravitatem. De *Illuminatione Sauli* Commentarium, Jenæ 1741. iam editum, alibi *) recensuimus. *Dissertatio de LXX Christi legatis*, quæ legitur admodum digna est. Ipsos haud constituisse collegium certum, docet Cel. Auctor, ac secus sentientes refellit. Brevi enim ad Jesum redierunt, deinceps haud amplius ablegati. Adfentiuntur ei Marcus Antonius de Dominis, ac Franciscus Burmannus. Posterior addit, iis ipsis haud demandatum fuisse munus baptizandi homines. Videtur tamen perpetuitas muneris ex Lucæ X, 19. patere. Respondet ad hoc momentum Auctor, bifariam. Pseudodorothei recensioem nominum LXX. discipulorum repudiat. Evangelium *Matthæi*, e descriptione Matthæi, dici recte κατὰ Ματθαῖον, comprobat exemplis, deprontis ex Theophilo Antiochæno II, 6. III, 2. 3. Addere liceat exempla e Philone Judæo. Huic, ὁ κατ' ἡμῶν αἰὼν est avum nostrum, de *Nomin Mutat.* pag. 1046. & ὁ βίος κατὰ τὴν ψυχὴν, de *Premis & Panis* pag. 929. In controversia de die paschali, attendendum est ad id, quod Aiazæ memoriam Christi in cruce mortui & agnum pascha-

Pp pp 1

Pag. 61.

67.


70.

77.

133.

145.

*) Supplem. ad Nov. Act. Erudit. Tom. V. Sect. 2. pag. 85.

- paschalem mactatum referentis, respexerunt: Romani vero diem resurgentis Christi e morte. Auctor monet, nec festum paschale dominicum, nec diem dominicum, ab Apostolis fuisse institutum. Ad Jo. VIII, 6. 8. Auctori visum est ostendere, Christum nihil vere scripsisse, sed humi sedentem, ac se incurvantem, manum modo digitumque in otio illo suo, dum adventantem expectaret populum, in pavimento mobilis esse, atque ita scribentis expressisse imaginem: ac postea etiam, cum ad importunam repetitamque questionem nonnihil respondisset, ad eundem corporis statum se recepisse, similemque pendula in terram manu edidisse gestum. At cur pingere vel scribere in terra coepit bis Jesus? Cur priori vice subiecit hæc: *Quotusquisque vestrum, qui adulteram accusatis, ab adulterii crimine est immunis, is primum in eam lapidem coniciat.* Cur his verbis pronuntiat denuo se in humum pendula demisit dextra, picturo vel scribere adgressuro similis? Cur, hoc iterum facto, se proripuerunt convicti illius criminis accusatores? Videntur illi timuisse, ne crimen eorum Jesus in pulvere ac terra scribendo aperiret, ad quod se iam composuisse poterat videri. Dissertatio Ven. Viri ad omnem hymnum Davidicum XXIX, est philologica, non historica. Videtur nobis hymnus ille complecti epinicion de triumphatis Aramæis, Idumæis, populisque confinibus, atque vaticinium de Libani & Antilibani nec non desertorum Kadesch incolis porro edomandis atque subigendis per Salomonem, præsidente Israelidis Rege Jehova Messia, cuius sedes theocratica erat in adyto ædis sacræ. Nomen  recte per *monocerotæ & oryga* redditur. Nam Aristoteles vocat *oryga*, seu rupicapram, *μονοκέρας, unicornem, Hist. Animal. I, pag. 851. ed. Genev. 1607. 8.* nec non de *Partibus Animal. III, 2, pag. 1147.* Erant rupicapræ tum unicornes, tum bicornes, tum quadricornes. Unicornem dedit delineatam Cosmas Indicopleustes apud Bernardum Moutfaucon. Psalmo XXIX, 7. legitur

gitur apud Vulgatum: *Tonitru cadit flammam ignis.* Interpretationem substituit Noster hanc: *Tonitru, discindendo nubes, eicit flammam ac dispergit.* Consentiant Arabes, qui verbum *كاذب* adhibent de iis, qui *glarea ac lapillis aliquid petunt, qui aliquid proiciunt, sternunt ac dispergunt.* Illud *לרץ* v. 9. libuit Cel. Auctori interpretari per *unusquisque.* Siquid licet nobis adiungere, videntur potestas *universitatis & complexus* inesse vocabulo *לרץ,* & hoc quidem ubique. Unde facillima isto loco prodit interpretatio: *Universitas eius (Dei), omnis illius cœtus, omne rerum creaturarum agmen, proficitur ac prædicat gloriam Jehovæ.* Nobis videntur incisa 9. ac 10 sic reddenda:

Pag. 235.

Vox Iehovæ (tonitru) dolorem partus conciliavit cervis, & nudavit silvas feris, ob abortus frequentiam.

Omnia in sede sua regia, (cœtus ipsius gloriam eiusdem prædicat,) Iehova ob illam inundationem perficiendam confedit. Et solium tenet porro Rex Iehova ad temporis intervallum, quod definire, eiusque finem nosse, hominibus haud licet.

Judicet tamen, & lima utatur sua acutissima, Ven. Auctor, rogamus. Per illam inundationem, tonitru fulminumque sociam, liceat designatum credere bellum a Davide illatum Syris & Idumæis, ab eodem, per Deum, sui populi Regem, devictis. Cur enim mentio fit Libani ac Sirionis, seu Antilibani, & incultorum circa Kadefsch locorum? Cur dicuntur cœtri Libani fuisse fractæ? Cur loca prope Kadefsch, eaquo incultiora, feris atque animantibus variis per angustias dolorumque gravitatem orbata? Quidni montium Ephraim, Tabor, Gilead, montisque ferrei sit mentio? Credimus tamen, Cel. Auctorem vel firmaturum esse sententiam nostram, vel ei argumenta fortiora oppositurum.

- turum. Alterutrum nobis erit æque gratum, siquidem fo-
 ti litamus veritati. Undenam idem deducat originem co-
 gnominis filiorum Zebedæi, *Ebanerges*, ex *Adnotationibus*
 eius in N. Test. *vernaculis* iam constat, sed & hoc loco de
 eodem disseritur argumento satis copiose. Petri Fran-
 cisci Courayeri, Theologi olim Parisini, qui a. 1738. Lon-
 dinum se contulit, reliquum vitæ ibi exacturus, non extra
 Catholicam Ecclesiam, sed iugo Romanæ ecclesiæ excusso,
 theologiam recensuit Noster, potissime usus adnotationibus
 Courayerii, ad Sarpii *historiam concilii Tridentini* in gal-
 licum ab eo conversam. De hac interpretatione exposui-
 mus a. 1737. pag. 200. seq. Singularia sunt hæc Courayeri
 dogmata: Controverfia Protestantium, de iustificatione, cum
 Pontificiis, est logomachia, nec non illa de merito bono-
 rum operum. Augustini & Protestantium doctrina, de *libero*
arbitrio, est reiici digna: imputatio peccati Adami ad omnes
 eius posteros propagata, qua fœderis in capite socios, est sen-
 tentia irrationalis: Deus vult serio, ut omnes reddantur salvi:
 in sacra cœna corpus ac sanguis haud accipiuntur, sed sym-
 bola eorum duntaxat distribuuntur. Sic docet Courayerus,
 arbitratus præterea, leges Mosaicæ, de coniugiis, ob con-
 sanguinitatem & adfinitatem vetitis, latas fuisse proprie Iu-
 dzæis, non item ceteris hominibus, nec eas in N. Test.
 præscriptas esse etiam Christianis, sed esse hodie leges
 positivas ecclesiasticas. Epistolas tres Johannicas uni
 Joanni Apostolo tribuit Ven. Heumannus, impulsus eius-
 dem spiritusque, qui artus orationis perflavit, indole.
 Abrepti iam olim fuerunt in sententiam contrariam viri
 summi, eo quod haud intelligebant, qui sese Joannes Apo-
 stolus appellare potuerit *presbyterum*. At solvit Noster dif-
 ficultatem eam egregie, ratus, τὸν πρεσβύτερον hoc lo-
 co esse *seniorem Apostolorum*, apostolum ætatis provectissi-
 mæ. Nonne enim & Paulus sese dixit *πρεσβύτερον*, ad Phi-
 lem. v. 9? Difficile est opus, interpretari incilium quar-
 tum. Adhibuit in eo instituto, Noster, omnem diligen-
 tiam. Venit nobis in mentem aliquando, verba illa: *μεζο-*
τέραν

τίραν, τῶν ἐκ ἔχῃ χαρᾶν, esse parentesi coercenda, atque referenda ad magnitudinem adfectus delineandam, abrupte. Id si feceris, oratio Joannis ita profuit, vel nobis profluere videtur: *Admodum enim gavisus sui simulac venerunt fratres, societatis christianæ sodales, ac publico testimonio adprobaverunt conformationem animi tui ad veritatem evangelii, & quemadmodum tantopere vitam huic conformationi congruenter ageres, (maiores nescio lætitiæ hinc rebus nuntiatis ac auditis: maiores ea, quam hæc nuntiata & accepta mihi imperverunt, lætitiæ non habeo,) ut audirem simul illos ipsos meos liberos, vitam ad ordinem doctrinæ evangelicæ conformantes: ut illos accesserem in domicili partem interiori, ac separatam a cætu, atque coram illos audiendi essem avidus. Videtur hinc intelligi, Caium fuisse nuper admodum doctrinæ Iesu admodum, eumque amplæ dignitatis ac opum copiosiorum fuisse. Judicium huius conatus nostri exegetici, permittimus iudicio Ven. Heumauni, plane ita, uti ipse sua iudicio nostro tradere consuevit. Locus Joannens est sane omni attentione dignus. Dio-rephen, Auctor, nec pro episcopo, nec pro presbytero habet, negans, eum alios ex ecclesiæ communione expulisse; ratus potius, fuisse diaconum, & ærario ecclesiastico præfectum, fratres advenas haud sublevantes, quod diceret, pauperibus suæ ecclesiæ vix suppetere collata alendis. Erant, qui exulibus his aliquid ex ærario dari velent. Verum hos non audit parcus œconomus, contendens & postulans, ut ceteri secum sentiant. Ita erat φιλοπρωτίων. Sic rationes suas putat Cel. Heumaunus, credens, legendum esse v. 10. αὐτὸν pro αὐτῷ, ut Jo. XIV, 26. hunc in modum: ὑπομνήσω αὐτὸν τὰ ἔργα, ἃ ποιῶ, commonefaciam ipsum operum suorum. Idem iam sentit Iohannes Pricaus. Est qui putet legendum esse, μνήσω ὑπὸ αὐτῷ τὰ ἔργα, ἃ ποιῶ. At levior hæc est coniectura. In editione N. Test. græca, pro Græcis adornata Wittebergæ, opera Erasmi Schmidii, legitur ἀπομνήσω, præter morem codicum.*

Pag. 316.

309.

cum. At editio illa quam plurimis laborat naxis. Omissis
 reliquis, istud adhuc enotamus, duos fuisse eodem tempore
 Hieronymos Pragenses, duosque Joannes Hussos, seu *de*
Huss, a loco natali sic dictos. Alter Joannes Husus, fuit
 Archiepiscopi Colonienfis Protonotarius. De *Theologia ecle-*
ctica Auctori libuit sub finem nonnihil commentari, adpro-
 batione publica dignum. Exegetas nimirum partitur in *pi-*
gror, commentarii huius vel illius mancipia; *eclecticor*, e
 pluribus commentariis seligentes sua; & *inventores*, ingenio,
 iudicio, atque necessaria eruditione pollentes. In postre-
 ma inventorum classe principe loco reponimus Ven. Au-
 ctorem, quippe qui ita sacras litteras interpretatur, ut suis
 se munit rationibus, quas ipse investigavit, paucissimis co-
 guitas ante, aut probatas, quam ingenio Heumanni,
 Viri celeberrimi, iudicioque ro-
 borentur.



NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLV.

*PANDECTÆ IUSTINIANEÆ, IN NOVUM OR-
dinem digestæ, cum legibus Codicis, & Nôvellis,
quæ Ius Pandectarum explicant.*

Tomus III.

Parisius, apud Johannem Defaint, & Carolum Saillant,
1752. fol.

Alph. 6. plag. 4.

Cum de operis huius instituto & pretio, tunc, quando prio-
res eiusdem Tomos in hisce Actis nostris recensuimus,
fusi & ample fuerit a nobis disputatum, nihil fere aliud
hisce dictis addi iam posse videtur quam istud, Auctorem,
eadem ratione ac via, qua tunc usum esse narravimus, Pan-
dectas Iustinianas, inde a libro tricésimo nono, usque ad fi-
nem earum, exposuisse. Titulos tamen *de verborum significa-
tione, & regulis iuris*, tanquam universi iuris appendicem,
suppletis aliunde notionibus regulisque quamplurimis, præ-
cipua edidit diligentia Auctor. Diversis vocabuli iuris Pag. 603.
significationibus præmissis, regulas quasdam interpretationis,
ad verborum significationem cognoscendam spectantes, atque
e libris iuris civilis depromptas, affert. Significationes postea
verborum omnium, ad tria iuris obiecta pertinentium, item
Qq 99 varia-

variarum locutionum; quæ in corpore iuris occurrunt, ordine alphabetico in modum lexicæ dispositas, adiungit. Jeiuna utique & multis modis imperfecta ea videri poterant, si cum Brissonianis comparentur divitiis; nisi, huius potissimum tituli rationem habuisse, eumque ad ordinem Alphabeticum disposuisse, Auctorem dicas. Ad ultimum Pandectarum titulum, non solum regulas iuris, quæ veterum Ictorum placita continent, exposuit; verum, ex omnibus passim Digestorum titulis, & Imperatorum constitutionibus, aliisque iuris fontibus, breves sententias, quæ universum ius Pandectarum veluti per indicem ob oculos ponerent, excerpfit. Omnem vero eam regularum iuris collectionem, in quinque distribuit partes. Earum *prima*, regulas iuris tam naturalis, quam civilis continet, easque generales, hoc est illas, quæ nulli argumento peculiare dici possunt, quibus eæ adiunguntur regulæ, quæ ad legum interpretationem pertinent. *Secunda* pars circa personas versatur. *Tertia*, circa res. *Quarta*, circa actiones. *Quinta*, quæ & ultima, iuri publico destinata est. Longiores in hisce describendis effemus, atque, ut solemus, operosiores, nisi iam ex iis quæ diximus affatim intelligeretur, quid Lector hic accipiat, & quantum laboris in sententiis hisce conquirendis, ac disponendis, Auctor impenderit. Immo vero ultimum hunc titulum lectoribus in primis se probaturum esse, speramus, cum regulæ iuris undique dispersæ, hic uno veluti obtutu cognosci, & in usum converti queant. Tabula dein operi adiecta est, quæ omnes in eo contentas Digestorum leges indicat. Altera eius pars, feriem legum & paragraphorum, quæ in Digestis observata est, posterior numerum, ad quem in hoc opere disponuntur, indicat. Excipit illam tabula earum legum, quæ ex titulis in primo & secundo huius operis Tomo contentis depromptæ, illustrationis causa hoc in volumine laudantur. Nonnulli etiam Digestorum textus, in ipso opere prætermitti, adeoque supplendi, additi sunt. Notasse adhuc iuvat, catalogum variorum scriptorum, quos se in illustrando hoc opere adhibuisse Auctor dicit, fronti huius voluminis esse præpositum. Comparet in-

ter

ter illos *Eusebius Casareensis*, historię Ecclesiasticę scriptor celeberrimus, quem, *Pamphilum* cognomento dici, turpi errore Auctor pronuntiat. Dictus ille est *Eusebius Pamphili*, scilicet *amicus*, in honorem martyris *Pamphili*, cuius olim consuetudine esset delectatus. Gravius vero, neutiquam *Henricus*, sed *Johannes Georgius* dictus est; quemadmodum nec *Heineccius Gotlandi* prænomen tulit. *Caroli Bretti* librum, *de ordine antiquo iudiciorum*, in thesauro antiquitatum Romanarum comparere, generaliter nimis ab Auctore dictum est: cum istum librum in *Cl. Salengre Thesauro* reperiri monendum fuisset. *Everardum Ottonem* hoc tempore in *Traiectensi* Academia Iuris Professorem esse, perperam dicit, cum ante multos iam annos, Vir iste celeb. missa *Traiectensi* cathedra, muneri publico Syndici apud *Breimenses* fuerit adnotus. Neque nos intelligere fatemur, quo fundamento Auctor nixus, de eo scripserit: *Huic*, scilicet *Ottoni*, debetur Pag. 7.

Tomus quintus, scil. *supplementum locupletissima illius collectionis*, apud *Batavos* constari cepta, anno huius seculi vice- 8.
 simo quinto, sub titulo: *Thesaurus Iuris Romani*. Non profecto solum quatuor Tomum, sed universam illam collectionem, a *Viro* celeb. esse compilatam, singulisque eius tomis præfatum eum esse, neque anno huius seculi vice- 10.
 simo quinto, sed potius tricesimo tertio, eam evulgari ceptam, ipsa libri inspectio declarat. *Jacobum Spondanum* Seculo 12.
XVII. vixisse, & *miscellanea erudita antiquitatis* scripsisse, Auctor itidem existimat. Quot hic verba, tot præne errores sunt. Nullus unquam *Iacobus Spondanus* fuit; neque *Henrico Spondano*, *Appamiarum* in *Gallia Narbonensi* Episcopo, qui *Cæsaris Baronii* *Annales Ecclesiasticos* continuavit, & usque ad annum 1645. perduxit, aliquando arbitramur in mentem venisse, *miscellanea erudita antiquitatis* scribere: ut adeo facile intelligatur, ipsum librum ab Auctore non esse visum, eumque, *Henricum Spondanum* cum *Iacobo Sponio* confudisse. At enimvero, ne fortassis invidiosa sit deinceps hæc nostra *ἐπιπίσις*, plura hanc in rem proferre superfedemus: illud unice

unice optantes, ut invicta Auctoris diligentia, doctrinam, & veri studium, comites semper habeat.

*CORNELII IANSENII YPRENSIS EPISCOPI SY-
stema de medicinali gratia Christi redemptoris, methodice
expositum. & theologicè confutatum, Auctore P.
F. FORIUNATO A BRIXIA, Ord. min.
Ref. Prov. Brixie.*

Brixie, 1751. excudebat Ioannes Maria Rizzardi. Superiorum
permisso, 8. mai. plag. 18½.

A quo tempore quinque illæ famosæ propositiones, quæ
Corn. Iansenii, antillitis Yprensis, dicuntur, ab *Innocen-
tino* X. P. R. d. 31. Maii 1653. sollemni decreto proscriptæ
damnataque fuere, longa & continua fere contentionum ac
digladiationum in ecclesia Romana series duci cœpit, quæ
haud paucis exilia, carceres, vincula, aliasque molestias
conciharunt: quin, ipsæ illæ in apertum schisma erupturæ
haud semel visæ sunt. Ipso igitur opere comprobatum est
illud, quod episcopi quidam Galli, cum decretum Papæ in
Galliam mitteretur, in litteris Pontifici destinatis, sunt omi-
nati, *facem dissidiorum pertinacissimorum & divissimorum fu-
turum esse*. Acerrime certe tum, & hodierno adhuc die, dis-
ceptatur, num propositiones hæ sint Iansenii, in ipsiusque
Augustino contineantur? & si in illo habeantur, num etiam
sensu Ianseniano sint condemnata? an standum sit effato
Pontificis, qui in rebus sive quæstionibus facti ab errore im-
munis haud sit? cuius generis sint propositiones controver-
sæ. Ulterius processerunt alii, contendentes, Pontificem ne-
que in rebus *facti*, neque in rebus *fidei*, sententiam omni du-
bitatione ac errore exemptam pronuntiare posse, quod unice
competat ecclesiæ, in concilio congregatæ. Iansenius gra-
tiæ divinæ tribuerat plurimum, philosophiam scholasticam
passim perstrinxerat, Jesuitas, eorundemque doctrinam, atro
carbone notaverat. Hoc male habuit illos, qui, gratia di-
vina

vina oppressa, viribus ac propriis hominis meritis, in negotio salutis, omni nisu patrocinabantur. Innocentium igitur tum per se, tum per alios induxerunt, ut doctrinam Jansenii diris devoveret, aliosque partim blanditiis, partim vi & minis, sibi adiunxerunt. At enimvero, ne sic quidem effectui dare potuerunt, ut Jansenismus profus eliminaretur. Non defuerunt illo tempore, nec adhuc defunt, qui doctrinam Jansenii tanquam ipsius Augustini defendere nulli dubitant, addita querela, in Jansenio Hipponensem præulem, doctorem antiquioris ecclesiæ excellentissimum, cuius memoria ab omni ævo sancta fuerit, condemnatum fuisse. Ipsam hanc controversiam de novo excutiendam sumit doctiss. *Fortunatus a Brixia*. Sed quisquis accuratius ipsius argumentationes, accusationes, & consecutiones, quas e doctrina Jansenii fluere existimat, pensitaverit, facile deprehendet, non nova hic cudi tela, sed dudum retusa iterum vibrari; nisi quod eisdem a methodo, qua usus est A. novitas aliqua accedit. Adparebit hoc ex illis, quæ ex ipso opusculo cum B. L. communicare est animus.

Auctor in duas divisit librum partes, quarum prior est *dogmatica*, posterior *polemica*. In priore Jansenii sententiam una cum confectariis, subiunctis quibusdam observationibus, proposuit; in posteriore ostendit, ne quidem Jansenii doctrinam ex Augustino demonstrari posse, illam omni fundamento carere, multisque premi difficultatibus. Præmissis definitionibus notionum, additis observationibus, subiunctis corollariis, principium, vel fundamentale systematis Janseniani, examinare incipit. Est autem: 1) *nihil sive boni, sive mali, velle, vel agere nos posse, nisi prævia quadam delectatione voluntas nostra ad volendum faciendumque excitetur ac moveatur.* 2) *Duplicem esse delectationem, qua ad agendum permovemur, terrenam & cælestem, quarum illa voluntatem determinet ad id, quod est iniustum, hac ad id, quod est iustum.* 3) *In conflictu oppositarum delectationum, voluntas necessario operatur secundum illam, quæ intensius alteram superat: si fuerint æquales, voluntas, quasi in medio hæret, planeque otiosa consistit.* Subdit A. propositiones aliquas,

- aliquas, ut doceat, qua in re medicinalis illa gratia Christi ex mente Jansenii consistat, & quam vim exercent, prouti gradus illius vel maior, vel minor existit. Inde prolixè disputat de gratia *efficaci*, vel *non efficaci*, libertate, quam in actionibus moralibus exercimus, & aliis his adfinibus, atque illa verbis Jansenii probat, vel ex illis per consecutionis leges elicit.
- Pag. 37-44. His præmonitis, ad famosas illas propositiones accedit, quas Innocentius X. stigmate censorio notaverat. 1) *Aliqua Dei præcepta hominibus iustis, volentibus & conantibus, secundum præsentem quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Hanc Jansenii doctrinam esse probat, quoniam statuat delectationem terrenam ac cœlestem. Ubi igitur prior prævaleat, aliter fieri non posse, quin posterior succumbat. Adhæc arbitratur, Jansenistas ludere verbo potentia, quam quidem dicant *sufficiētissimam* expeditissimamque esse, ad superandam difficultatem, & mandatum observandum, facultatem, sive potentiam. Sed fraudem esse ac fallaciam, cum perfectissimam ac completissimam intelligat potentiam, absolute, & præcisè circumstantiis, non vero relative ad illas. 2) *Interiori gratia in statu nature lapsæ numquam resistitur*, quia scilicet interior gratia Christi superat carnalem cupiditatem, qua voluntas nostra premitur. Quæ sententia quo modo cum gratia efficaci ac victrici, quam statuit Jansenius, itaque inefficaci, in concordiam mitti queat, anquiritur. 3) *Ad merendum & demerendum in statu nature lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Unde A. infert, hominem necessario, indeclinabili necessitate, tam bene, quam male operari. 4) *Semipelagiani admittebant prævenientis gratia interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Hanc esse sententiam Jansenii, demonstrat adseverando, secundum Jansenium nullam omnino esse gratiam Christi interiorem, cui in nostra sit potestate obtemperare, vel resistere. 5) *Semipelagianum est, dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus*
- 45-79.
- 79-91.
- 91-98.
- 98-102.
- 102-110.

bus mortuum esse, aut sanguinem fuisse. Sententiam hanc sequi autumat ex Janseniano principio duarum delectationum, relative invincibilium. Sibi ipsi autem adversari Jansenium, ac in eodem cum Semipelagianis hærere luto, qui pro omnibus omnino hominibus illum mortuum esse contendat, ex ipso Jansenio probare admittitur. Doctrinæ Jansenii propositæ quasdam subnectit observationes: 1) Propositiones has vere in Jansenii Augustino haberi, & quidem eo sensu, quo ab ecclesia sint damnatæ. 2) Fluere illa ex principio duarum delectationum, pro graduum superioritate invincibilium, adeoque etiam hoc, non solas propositiones, proferendum esse. 3) Ex sententia Jansenii & sequacium, inferri necessitatem aliquam physicam, & de omni libero arbitrio actum esse. *Necessitatem moralem non re, sed nomine tantum, a physica distingui; unde diversa corollaria, quæ multum incommodi secum velunt, deducit.* 4) Ad iuste incurrendam Jansenismi suspensionem minime sufficere, ut medicinalis gratia Christi *in cœlesti indeliberata delectatione statuatur.* 5) Si voluntas nostra certo & infallibiliter obsequitur semper vividiori delectationi, & secundum illam perpetuo agit, consequi, eam esse seu naturam, seu conditionem humanæ voluntatis, ut secundum id necessario operetur, quod ipsam magis delectat. 6) Acere esse dissidium inter theologos, num posita natura medicinalis gratiæ Christi in cœlesti indeliberata delectatione ex superioritate graduum relative ad carnalem cupiditatem, qua voluntas ad malum sollicitatur, possit illius efficacia defumi, quin a partibus Jansenii stare dicendi sint, qui ita sentiunt. 7) Efficacem Christi gratiam, qualem statuit Jansenius, a physica Thomisticæ scholæ præmotione, ipso Jansenio teste, toto cœlo diversam esse.

Quam ita doctrinam Jansenii sup. parte exhibuerat, iam P. H. refutare adgreditur. Et quidem 1) demonstrare nititur, Jansenianum systema 1) de medicinali gratia Christi non habere sufficiens fundamentum in S. Augustino, cum non constet, ea esse Augustini principia, quibus systema illud innititur. Certe Augustinus hoc ratum non habuit, nos ni-

Pag. III - 123.

123 - 125.

125 - 128.

128 - 143.

143 - 144.

144 - 148.

148 - 151.

151 - 158.

hil

- hil velle posse, nihilque operari, nisi prævia indeliberata delectatio voluntatem nostram percellat, illamque ipsam ad volendum operandumque excitet. Non autem omnes hominis actiones, siue bonæ, siue malæ sint, ex delectatione procedere in sequentibus probat, & obiectiones, quæ moveri possunt, diluit. 2) Neque illud Augustini esse, duas dari delectationes, ex quibus omnis nostra volitio, actioque omnis, proveniat, celestem scilicet, ex qua proficitur quidquid boni; & terrenam, ex qua veniat quidquid mali in hoc lapsæ corruptæque naturæ statu operamur. 3) Augustinum nunquam docuisse, eam esse seu naturam, seu conditionem humanæ voluntatis, ut in duarum inæqualium indeliberatarum delectationum conflictu physice necessarium sit, ut voluntas ipsa illi obsequatur, & secundum illam operetur, quæ alteram intensive excedat; ut contra illa nil omnino agat, sed hæreat velut in medio suspensa, si delectationes illæ fuerint vi & ἀνεπηρία æquales. II) Systema Jansenii non posse esse systema Augustini, alterum est. Probat hoc inde, quoniam Hipponensis præsul, quæstionem de consensu gratiæ divinæ & liberi arbitrii, siue quo modo efficacia gratiæ divinæ cum libertate animi consistere possit, omnium difficillimam habuit: quam tamen Jansenius, ad evidentiam se demonstrasse, sibi persuaserit. III) Principium Jansenianum duarum delectationum, pro graduum superioritate invincibilium, adversari libero humanæ voluntatis arbitrio, ut quoad actiones tam bonas, quam malas, illud evertat penitus atque convellat. IV) Idem illud adversari sacre Scripturæ, quæ manifeste doceat, hominem in operando tam bene, quam male, esse liberum, libertate non solum a coactione, sed etiam a simplici necessitate. Provocat ad Ios. XXIV, 15. Eccles. XV, 17. 18. XXXI, 10. V) Esse contrarium Patribus sanctis, cum secundum illud omnis arbitrii libertas prostratur, cui profus contrarium docuerint Patres. Excitat *recognitiones*, sic dictas, *Clementis* Lib. III. n. 22. 23. V. 6. *Epiphanium* de hæres. XVI. *Tertullianum* de exhort. castim. cap. II. *Optatum Milevitanum* Lib. VII. de schismat. Donat. *Arnobium* in Ps. XC. *Hieronymum* Ep. 21. al. 146. n. 6.
- Augu-

Augustinum pariter in partes vocat, & ex protestantibus *Calvinum*. VI) Adversari concilio Tridentino, in quo sub anathematis poena credendum iniungitur, liberum arbitrium in homine causa peccati originalis extinctum non esse. VII) Idem illud *Calvino*, *Luthero*, aliis manifeste favere, qui doceant, hominem in operando, tam bene, quam male, liberum non esse libertate a necessitate, sed tantum a coactione; adeoque vel non esse in homine, quoad actiones bonas & malas, liberum arbitrium, vel in sola libertate a coactione illud consistere. Qua occasione notandum est, ipsum *Zach. Ursinum* adpellare *ministrum Vratislaviensem*, in quo tamen fallitur; moderatorem quidem gymnasii in urbe patria Vratislaviensi per tempus egit, ministerio tamen sacro non fuit addictus. VIII) Favere Manichæismo, nostramque voluntatem fatalismo subicere. Prius probatur, quoniam ex Manichæorum mente, duo in nobis, ceu totidem animæ, sint contraria, & contra se invicem indefinenter pugnantia principia, alterum quidem bonum, alterum malum. Ex his autem duobus principiis, prout alterutrum prævalet, omnes actiones hominis, sive bonæ, sive malæ fuerint, & quidem necessitate inevitabilitatis, provenire. Posterius, quia, si voluntas, posito illo principio, necessario agit, voluntas facto subiicitur. IX) Licentiæ vivendi aperte favere. Quo si enim vel delectatio cœlestis, vel terrena superat, & homo necessario, sive bene, sive male agit, nulla amplius legum, vel divinarum, vel humanarum ratio habetur. Quacum propositione arcto nexu est coniuncta observ. X) Obtinente hoc principio, leges omnes vel plane frustraneas esse, vel plane iniustas, cum homo sola ductus delectatione agat. XI) Stante illo principio, inutiles prorsus esse admonitiones, suasiones, minas, terroresque, quibus, ut a malo declinemus, bonum contra agamus, sollicitemur. XII) Juxta illud hominem nec agere, nec agere posse, quod dignum iure ac merito sit præmio, vel poena. Ex hisce iam efficit, systema Iansenii de medicinali gratia Christi, & duabus delectationibus, a viro catholico, sine crimine violata fidei, defendi nullatenus posse.

Pag. 212-214

225-227.

227-232.

233-242.

243-245.

245-247.

248-255.

255-266.

266-268.

R r r r

Nostrum

Nostrum iam foret, iudicium, de omni illa controversia, & speciatim de præfenti commentatione, expromere: sed quoniam prius a gravissimis theologis iamdiu est factum, qui, quid in Iansenii doctrina probandum, quid improbandum, & quam inique adversarii cum eo, eiusque adseclis egerint, declararunt; sufficere nobis, accuratiorem delineationem opusculi huius, quod nitore chartæ & typorum se facile commendabit, & satis emendate est exscriptum, dedisse, examen ac discussionem illorum, quæ dicta sunt, iis relinquentes, ad quos cura hæc propius spectat.

*IOANNIS FANTONI COMMENTARIOLUM DE
quibusdam aquis medicatis, & historica disser-
tatio de febris miliaris.*

Augustæ Taurinorum, ex typographia regia, 1747. 8.
Plag. 7. cum dimidia.

Clarissimus Auctor super aquis foteriis Sabaudicæ & Pedemontii, *Gratianis, Maurianensibus, Valdriuns, S. Geneſii & Statiellæ*, singularibus descriptionibus commentatus cum esset, hoc sibi superesse arbitrabatur, ut de reliquis, *Vinadiensibus, Augustanis, & Anſionensibus*, similiter ageret. Primæ, præcalidæ, magna vi sulphuris excellunt; alteræ parum caloris habent, & in acidulis numerantur; tertiz prorsus frigidæ, ac ferruginæ sunt indolis. Vinadienses quod attinet, ad Vinadium, Cunenſis provinciæ pagum, scaturint, tribus abhinc passuum millibus calidi fontes & sulphuris participes profluunt, quorum alter calentior, ligneo canali ad balnearia & sudatorium deducitur, alter minus calens, ad potum facit. Superest aquis tenuis mucus viridis, qui desiccatus, non aliter ac Aquisgranenses ad Rhenum id habent, vivum sulphur ostendit. Salsus illis sapor est, quo allectæ bestię thermas bibunt, & sanitatem abinde sæpe consequuntur. Metallici præterea in istis fontibus nihil est, quod vel ex atramento, vel nigro sit, neque enim gallus aut ricinoides succum convertunt. Magnum sunt

in morbis arthriticis præsidium; cum bibuntur, oportet illas sale acui, quo iterum de corpore secedant. Recenset A. exempla eorum, quibus saluti fuerunt. Tarantalis finitima est Augustani ducatus regio, ubi minerales aquæ scaturiunt, haud procul a curia maiore, qui pagus ab Augusta prætoria sexdecim fere milliariibus distat. Dux autem præcipuæ sunt scaturigines, quarum alteri *Victoria*, alteri *Margarita* nomen impositum est. Aqua victoriana tepens ac limpida est, acidulo sapore; contiguam terram sibrufa materia, ocrum referente, tingit; in superficie, cum aquæ in vase aliquantulum quieverunt, alba concrevit pellicula, ad saporem nihil ostendens. Salis sextam partem aqua continet. Hic ad aerem deliquescit, atque se alkalinum esse, syrupo violarum in viridem colorem convertit, manifestavit. Aqua, assuso vitrioli acido, aliquantulum effervesceat. Ferrugineum quid inesse gallæ docuerunt, cum quibus color oblcurus natus est. Fons alter, cui a *Margarita* nomen datum est, tepidam acidulam fundit aquam, qua canalis ligneus ex raso tingitur. Sal exinde coctus, cum chalcanti spiritu effervesceat. Recens, & ex ipsa scaturigine hausta aqua, heliotropii pulvere adpersa, rubet; quod non succedit cum peregre missa est, nec Auctori clarissimo experimentum respondit. Uterque fons, cum ex acidulis sit, earum indolem sequitur, laudaturque illorum usus ad quasdam acres humorum diatheses, indeque profectos partium solidarum, præsertim cutis, malas affectiones. Inter oppid. duo Cabellici ducatus, Tunonium & Aquianum, locus est, ubi aquæ medicatæ, vulgo *Faux d'Enson*, emanant, limpida, frigida, levi sapore ferrugineo, nec iniucundo; canalem, quo fluunt, eiusque silices, raso colore tingunt. Ferrugineus fons est, & gallas inficit recens, quas haud attingit cum deportatus in vase fuit. Sedimentum eius leviter salum, cum spiritu acido ebullit, quo cum aqua soluto, syrups violarum etiam viridescit. In cibi fastidio, viscerum obstructione, sabulo affectis, ex renibus & palpitatione cordis laborantibus, utiliter aquæ istæ bibuntur. In Clarissimi Auctoris de febribus miliaribus historica dissertatione, continentur sequentia. Sunt aliqui mor-

bi, quos antiquitas ignorasse videtur, cum illorum, ad litteram, mentio in scriptis veterum facta haud fuit; veluti *Celsus*, atque ipse *Hippocrates*, de morbis novis antea non visis mentionem iniiciunt. Dubium etiam non est, fieri posse, ut, vel ob victus novam subinde intemperiem, & ob nova alia peccata, antiquis incognita, novæ oriantur ægitudines, quæ alicui genti ab initio propriæ & veluti domesticæ ac endemiæ, contagio deinde in longum latumque sparsio, vicinas etiam gentes invaserint. At enimvero, vix ullus est ex illis morbis, quos novos appellamus, quin illius imaginem deprehendamus penes veteres; id quod variolarum, morbillorum, scarlatinæ, anginæ puerorum, ipsiusque scorbuti æ petechiarum exemplis, Clarissimus Auctor confirmat, quorum morborum vestigia superioribus seculis inventa ostenduntur. Ex instituto autem docet, febrem miliarem recentem non esse. Ipse Hippocrates, quo loco febres continuas & ardentes, tertianas, alvi profluvia, ceterasque æstivas recenset ægitudines, etiam *hydroa* inducit morbum, prurientibus apparentem in cute maculis, serosam ostendentibus papulam. Neutiquam autem miliares istæ pustulæ febrem ubique habent comitem, sed veluti variolæ sine febre apparere visæ sunt; ita etiam istæ prurientes pustulæ, multis, per Italiam, tempore maxime æstivo, iuxta pectus & brachia frequenter apparent, eo semper nocentiores, quo plus de febre habent. Has *Acturius*, gravis Auctor, non ignoravit, earumque duas species, sub sudaminum nomine, haud dubitanter descripsit. Ex aliis, uti ipse ait, cutem ferendo sanguis emanat, ex aliis humor pallidus. Neque ab his differunt Arabum *Elleræ*, quarum duplex quoque genus a Serapione constitutum est, vel cum ex sanguine cholericogenitæ rubei coloris sunt, acute pungentes, vel ex phlegmate falso, quæ idcirco longe minus rubescunt. Proinde etiam nunc miliares papulæ, aliis *rubra*, aliis *alba* sunt, hæc illis nocentiores. De rubris memorat *Bontius de Medic. Indorum*, eas penes Indos frequentes, in asperitate & prurigine cutis consistere. Totius morbi, qualis per Italiam apparet, ambitum, elegantiori descriptione Clarissimus Auctor amplexus est. Apud nos

nos, ait, acutæ febres miliares, non raro ab intermittentibus originem ducunt, sed tamen veræ etiam quædam tertianæ sunt cum hisce papulis consociatæ. Frequentiores autem sunt in febribus continuis æstivis, secundum Hippocratem, qui, *in febribus*, inquit, *æstivis, aspredines quædam miliacæ, culicum moribus fere similes, quæ tamen non admodum pruriebant, in summa cute subnascebantur, & ad iudicationem usque perdurabant.* Neutiquam autem maculas illas rubras, quas petechias vel peticulos appellant, descripsit hoc textu *Cour*, prout multi ex commentatoribus, & inter alios *Valesius*, putant; mitior enim ille morbus est, quem Hippocrates hic descripsit, quam ut ille maculas istas summe malignas contumisse videatur, utpote quæ subito occidunt, Hippocrates autem, ex illis aspredinibus, morbum septimo die iudicatum fuisse scribit. Igitur antiquitatem februm miliarium omnino vindicavit clarissimus Auctor; ostendit etiam mulieres huic morbo frequenter, ex partu, obnoxias esse, quod forte Hippocrates voluit; cum in adducto oraculo, mulieres nominat, easque, præ viris, hac febre correptas fuisse, scribit. Excitat *Barbavi* epistolam aliquam, qua ille sibi miliarem febrem, qualis puerperarum sit, incognitam, a. 1730. cum scriberetur, fuisse fatetur. Est enim omnino in ista puerperarum miliari febre aliquid, quod a vulgari miliari morbo abluat: summa malignitas, ac fere putredo, debilitas, & omnium symptomatum urgentium quædam quasi collectio. Accidit ille morbus feminis tunc maxime, cum mala materies ex utero resorpta sanguineam vitiat; quem propterea *Godofredus Welschius*, Lipsiensis Professor, anno 1655. pro novo habuit, eumque, in illa dissertatione, quæ, *Historia medica novum puerperarum morbum continens*, inscribitur, exposuit. Huius dissertationis memoriam clarissimus Auctor iniecit, eamque pro sua humanitate laudavit. Consentit etiam *Thomas Willisus* capite illo, quod *de putridis puerperarum febribus* inscribitur, atque singulares illius purpuræ albæ, qualis puerperarum est, malignitates exponit. Ipse denique clarissimus Auctor, sibi miliarem fe-

brem, puerperis præ ceteris infantam, observatam fuisse, enarrat.

NUOVO SISTEMA INTORNO L'ANIMA DELLE
Bestie &c.

h. e.

NOVUM SYSTEMA DE ANIMA BRUTORUM,
refutatis simul aliis Systematibus huc usque propositis.
Auctore Comite IUDOVICO BARBIERI, Vicentino.
*Dedicatum nobili Marchioni Scipioni
Maffei.*

Vicentiz, 1750. typis Lavezari, 8. pag. 122.

Momenti non parvi quæstio est de brutorum anima, vel eam ob causam, quia si materialis statuatur, videtur simile quidpiam humanæ animæ materiale esse posse; si immaterialis, in quo præstet humana, non distincte satis perspicitur. Igitur, ut aliorum hac in re lapsus evitet simul Auctor, & redarguat, prima libelli parte, theologicis & metaphysicis argumentis probatum it, non inesse brutis animam vere spiritualem; altera, Cartesianorum hac de re sententiam refellit; tertia suam proponit. Eam, ut ab Auctore ipso pag. 109. scripti sui explicatur, recensimus. Orditur autem a præscientia divina, quæ vel ad mere possibile se extendat. Quod igitur in spiritu actu existente *potentia* esset, id in mere possibili possibilitas erit. Cum igitur potentias habeat existens spiritus, Deus, pro norma operationum, quas ipse, Auctor omnis motus, in machina bruti cuiusdam producit, proponit sibi factum possibilitates sensitivas & appetitivas, easque præcise, quæ a spiritu, qui machinæ illi inesset, sed qui *possibilitate* saltem inest, dependerent, aut in eo excitarentur. Ita in cane motus internus, ieiunumque stomachum vellicans, efficit, ut prævideat Deus, si esset anima corpori canis unita,
cibus-

cibusque ante oculos machinæ poneretur, exorituram in anima volitionem pedes movendi, appropinquandi cibo, os aperiendi, illumque deglutiendi. Licet igitur causa ultimi huius effectus sit tantum possibilis, & si ita loqui fas est, ideata in Deo sit, motus tamen machinæ, ope extensionis & dilatationis legum occasionalium, & instituti divini, ipse sequitur. Ita Deus, ut ita dicamus, informantem animam in quavis machina bruti fingit, (nulla enim ibi re vera est.) motusque omnes machinæ, secundum præscientiam affectionum & appetituum possibilium huius animæ, ordinat. Ista de novo hoc systemate sufficiant: neque credimus lectores nostros plura desideraturos.

RAGIONAMENTO SOPRA LA CAGIONE DE
terremoti &c.

h. e.

DE CAUSSIS TERRAE MOTUUM, PRAECIPUE
eius, qui in regione TERRA DI GUALDO DI NO-
CERA in Umbria, anno 1751 contigit. Auctore D.
ANDREA BINA, Casinensi, Lectore Philos. in Ma-
nasterio S. Petri & Secr. perp. Acad.
Augustæ.

Perusiz, impensis Constantinorum & Mauritorum, 1751. ♀
Fol. 6.

A pulvere pyrio exorditur Auctor, cuius vim etiam ad ter-
ræ moles sublevandas describit; deinde ad ignivomos
montes, & quæ cum illis connexa sunt, progreditur, ubi
Tschirnhausii etiam nostri observationes in medicina men-
tis publicatas adducit, magni viri elogio illum ornans; post
eos refutat, qui nasci terræ motus ab aere in cavis subterra-
neis concluso & compresso autumant, aliosque. Ipsi viden-
tur terræ motus explicari posse ex succussione experimenti
electrici Leidenfis; nam Watsoaus, eius ope, iam cuniculorum,
quos

quos pulvere pyrio replent, (*mines*), effectus imitatus est. Hypothesin hanc, ingeniose, ad terræ motuum phænomena explicanda transfert, & eum, cuius in titulo mentio fit, describit.

Leben und Thaten Herrn Friedrichs des Ersten, Königs
in Preußen.

i. e.

VITA ET RES GESTAE FRIDERICI PRIMI, REGIS
Porufforum, Marchionis Brandenburgici, Archica-
merarii S. R. I. & Electoris, scripta per CHRISTIANUM
HENRICUM GUNTHERUM, Consil. Aul. Poruff. &
Prof. Publ. Ord. Academiae Regiomontanae, Wallen-
rodensi Bibliothecæ præfectum.

Vratislaviæ, sumptibus Ioan. Iac. Kornii, 1750. 4.
Alph 2. plag. 20½.

Dignus erat dudum, immo dignissimus, Rex Porufforum, *Fridericus primus*, cuius vita & gesta publicam in lucem revocarentur. Operæ illi se impendit Güntherus V. C. & rationem temporis respexit in expositione ipsa admodum diligenter, referens ad annos singulos diplomata, acta, numos, & medalliones, quibus est origo a *Friderico*, ad omnem ætatem inclitissimi, gloriosis rebus gestis. Inscrisit tractationem suam Augustissimo ac Potentissimo Regi *Friderico II. Friderici I.* per *Fridericum Wilhelum* nepoti, elogiis ac fama incluto, invicto Principi. Iam olim *Friderici I.* laudes maximi merito fecit is, qui scripsit *Relation des Cours de Prusse & d' Hannover* pag. 29. seq. quem fama dicit fuisse Ioannem Tolandum. Cœperat & L. B. Samuel de Puffendorf scribere vitam *Friderici III.* inter Reges Porufforum primi, an iussu Electoris? incertum. Ad umbilicum opus haud perduxit, quod

quod postea cessit custodiæ ac bibliothecæ Ioannis de Bessler, consilarii bellici Electoralis Brandenburgici, postea Saxonici, quemadmodum significavit V. Cl. Adamus Fridericus Glafey, in *historia iuris naturæ* p. 213. Operam quoque suam addixit *Friderici*, Regis Poruſſorum *primi*, gestis enarrandis, Iacobus Paulus Gundlingius. Eius scriptum in bibliotheca regia Berolinensi adſervatur, complectens historiam sex primorum annorum *Friderici III* Electoris, sed numeris suis haud absolutam. Etiam Ioannes Cramerus, qui impensis *Friderici I.* in Batavia degebat, consilium ceperat scribendi vitam *Friderici* illius, latine, ornatam numis ac metallionibus. Nonnullæ operis adfecti tabulæ in publicam exiere lucem, efficientes ut desideremus, sufflammatam morte Auctoris, continuationem. Obiit ille a. 1715. Accinxit se igitur consilio laudabili Auctor noster, iturus per virorum tantorum vestigia, & imitaturus Georg. Dan. Scilerum, Elbingensis Gymnasii Rectorem, qui vitam *Friderici Wilhelmi Magni*, Electoris Brandenburgici, numis & metallionibus exornatam, transmisit posteritati. Gestis, numis haud celebrata, Auctor ab opere suo aut secevit, aut succincte attigit. Id in eo labore dolendum est, numos & metalliones nonnullos ab Auctore frustra quæſitos fuisse. Spem tamen nobis Auctor insillat, fore, ut omiſſa suppleat, & operi conciliet incrementa. Ne eam spem abiiciamus, cavet ipse, addito iam in præfens supplemento, quo nonnulli numi exhibentur, & commentario illustrantur. Natalem *Friderici* ad 19 Iul. ex Ludovica, Oraniensi Principe, *Fridericus Wilhelmus* anno eodem 1657. metallione insignivit. Eodem anno, pater, in Poruſſiam potestatem nactus est supremam. Principem inventutis *Fridericum* educandum susceperunt L. B. Otto de Schwerin, & Eberhardus Dankelmanus, diutinæ vitæ spes fere nullas præbentem. Frater *Friderici* prior, Carolus Aemilius, robustiorem se ostendit. *Friderico* a. 1664. in hereditatem destinatus est Principatus Halberſtadensis. Credita fuit cura *Friderici* a. 1673. Ioanni Georgio II. Principi Anhaltino Dessaviensi, qui simul renuntiatus est moderator secundarius Marchiæ Brandenburgicæ.

Pag. 2.

7.

Obiit Carolus Aemilius, patris in expeditione Alfatica militari comes, Argentorati 1674. Spes ita succedendi in Electoratum Brandenburgicum devoluta fuit in *Fridericum*, cui praefectura Koepenick, prope Berolinum, in sedem erat assignata. Suecos, in Marchiam irruentes 1674. submovit *Fridericus Wilhelmus*, eisque Pomeraniam ademit. Fridericus ei interfuit expeditioni, aequae ac a. 1679. Porussicae, ad Suecos repellendos institutae. Hoc anno coniugium iniit *Fridericus* cum Sereniss. Principe Cassellana Hassiaca, Elisabeta Henrica, post morbum Cassellis feliciter superatum. Nuptias 1679. 13. Aug. Potsdamii celebratas, numus mnemonicus illustravit. Exstincta est Principis haec coniux variolis, a. 1683. 27. Iunii. Anno 1684. *Fridericus* Herrenhufae prope Hannoveram iniit matrimonium alterum cum Sophia Carolina, Ducis Brunsv. Lun. Ernesti Augusti filia. Peperit haec Principes duos, *Fridericum Augustum* 1685. 6. Oct. denatum 1686, 21. Febr. & *Fridericum Wilhelmum* 1688. 14. Aug. Exstincto *Friderico Wilhelmo Magno*, filius *Fridericus* successit 1688. 29. Apr. nil prius habens, quam ut *Wilhelmum*, Britanniae Magnae sceptrum conlectum, consiliis armisque iuaret. Contra Gallos foedus iniit cum Saxonum, Luneburgicorum, & Hasslo-Cassellanorum Dominis; Rheni inferioris oras defendit, unde Hagam Comitum petiit, 1689. Berolinum reversus. Halberstadii sacramentum clientelare procerum Ducatus Magdeburgici suscepit. Rhenum postea revisit, & Gallos profligavit ad Nassium, munimentis ibi locorum occupatis variis illustris. Argentum & aurum, in numos versum, victorias eius loquitur. Suppetias idem submitit Imperatori contra Gallos ad Rhenum superiorem, & contra Turcas ad Istrum; dein fidelitatis sacramentum sibi in provinciis Westphalicis iussit nuncupari. Porussiam a. 1690. iustravit, Regiomonti castrum per portas triumphales, honore & magnificentia plenas, ingressus. *Homagium* ipsi praestitum illic fuit 1690. 23. Maii, & Poloniae legatis praesentibus. Fundamentum iudicem iecit templi, *reformatis* inservituri. Berolinum redux, suscepit insignia ordinis, quem *carulea periscelidis* adpellant. Copias suas bellicas, aliquo post tempore, cum exercitu adversus

fus Gallos foederato coniunxit, nec non alias in Hungaria
 Turcis opposuit, quæ victoriam ad Szalankement 1691. 29.
 Aug. reportatam egregie facilitarunt. Milites Brandenburgici
 in Italia deinceps ademerunt Catenato spem, Gallis Augustam
 Taurinorum subiiciendi. Ioannem Georgium IV. Electorem
 Saxonæ, a. 1692. Dresdæ invisit. Embdæ instituit naves, in
 Guinea commercia culturas, a. 1681. & ex auro advecto au-
 reos numos, ducatos vocant, endi fecit. Ut Sereniss. domus
 Hannoverana dignitate ornaretur Electorali, non parum ope-
 ræ impendit *Fridericus*. Exercitu eius victoria Landensis
 1693. 28. Febr. & adversus Turcas ad Belgradum, debetur. Pag. 54.
 Halæ Venedorum, destinatæ iam olim studiis academicis ibi
 figendis, cura Eberhardi de Dankelmann natæ sunt illu-
 strem Academiam a. 1694. dedicatam oratione Pauli de Fuchs,
 Liberi Baronis. Electori ipsi visum fuit, inaugurationem
 eam præsentia sua collustrare. Inaugurationis solemnitate de-
 scribere supervacuum est. Fœdus cum Electore Saxonæ,
 eodem anno, Elector *Fridericus* pepigit. Aedes sacra
 pro Reformatis condita Berolini. Paci Rysvicensi Ele-
 ctor animum adiecit a. 1696; & 1697. pacem cum Gallis
 fecit in Fano S. Germani. Legatio Russica excipitur Regio-
 monti. Poloniæ regnum destinatur *Fridericus Augusto*, ad .89.
 omnes seculorum decursus memorando. *Fridericus* a.
 1698, ab Electore Saxonæ, emit advocatiam Quedlinburgi
 hereditariam. Iohannisburgi egit cum novo Poloniarum
 Rege. Elbingam hypothecario titulo occupavit 1698, & pre-
 tio recepto, ac maiora sperans, 1700. iterum reliquit. Fra-
 ter eius natu maximus, Marchio Philippus, uxorem 1699.
 duxit Ioannam Carolinam, Ioannis Georgii II. Principis An-
 haltini Dessaviensis filiam. Proceres ipsos per Marchiam, 93.
 Crossensem & Cotbusensem tractum, *Fridericus* sibi fidelita-
 tis sacramento obstrinxit, quo officio & primores Pome-
 ranæ ulterioris paullo post defuncti sunt. Comitatum
 Hohensteinensem, a Comitibus Saynensibus ac Witgen-
 steinensibus antea possessum, ad ditionem suam redire ius-
 sit a. 1699. Carolum, Hassiæ Landgravium, Berolini exce-
 pit

pit splendidissime. *Friderici*, ex Carolo nati natu inaximi, nuptiæ cum Electoris filia celebratæ. Berolinum excrevit in maiorem amplitudinem, & Elector evexit se a. 1701. ad solium regale. Solemnitatem coronationis regiæ multi illustrent numi, quos exhibuit & docto illustravit Auctor commentario. Academiam sculptorum & pictorum, societatem scientiarum, mortem regiæ Sophiæ Carolinæ ad a. 1705. Kal. Febr. coniugium Friderici Wilhelmi cum Sophia Dorothea, Principe Electorali Brunsvico-Lunenburgica ad a. 1706. 28. Nov. ædificia passim recens structa, conditum idque novum Halense pro Reformatis illustre Gymnasium, bellum Pomeranicum, & ad a. 1713. Regis obitum, circumfundunt & æternitati ostentant numi ac metalliones, mirifico numero præstantes, felicissime ab Auctore lectoribus representati & solida expositione usquequaque comitati. Manibus *Friderici*, Electoris, & postea Regis, ubique magni honos ita habitus fuit singularis.

Friedrich Carl Casimirs, Freyherrns von Creuz, Versuch
über die Seele, 2c.

i. e.

FRIDERICI CAROLI CASIMIRI L. B. DE CREUZ,
Reg. Bcruss. Acad. Scient. Sodalis, Commentatio
de Natura animorum.

Francofurti & Lipsiæ, apud Knochium & Eslingerum, 8. mai.
Pars prima, 1753. plag. 20 $\frac{1}{2}$. & Pars secunda, 1754.
Plag. 11 $\frac{1}{2}$.

Illustri meritis in commune Landgraviatus Hasso-Homburgensis, & carminum Germanicorum olim editorum nomine, Auctor, quamquam philosophiæ, ut ipse in Præfatione P. II, testatur, partem eam, quæ in usu vitæ & actione versatur, omnium pulcherrimam esse indicat; tamen, quantulumcumque otii sibi a negotiis publicis vacuum relinquatur, id contemplationi rerum divinarum humanarumque & commentationi,

tioni, pro admirabili ingenii studique magnitudine tribuit. Quod ad originem horum libellorum attinet, eorum primas lineas iam a. 1742. duxerat. Postea, cum controversiæ illæ de Monadibus agerentur, ipse per multas utramque in partem disputationes legit, & in primis sibi pluribus in rebus consentire vidit cum *Discursum adversus Monadas* ed. 1748. quem nemo adhuc confutare sustinuerit, tum etiam in *Biblioth. Germ. Formey* Tom. I. litteras Auctoris eius, qui *Système nouveau concernant les Êtres spirituels* ediderit. Igitur his commotus ad istas lineas rediit, easque adhibendis iis, quæ tanto intervallo in adversaria collegerat, perfecit, & in bono lumine collocavit. Iam vero nos placita præcipua, & argumenta singularum partium, enarrabimus, atque etiam singulari ipsius & nobis perhonorifica autoritate freti, dubitationum interferemus non nihil. Præfatio continet epistolam I. A. ad generos. amicam A. A. de S. & eiusdem responsionem. In epistola inest comparatio I. A. a) cum Materialistis, quos dicit, & Spiritualistis. Illos, cum $\tau\delta$ intelligere in interiore partium animi motu, aut simili relatione ponant, animum e partibus re divisibilibus confingere: hos autem vim movendi & intelligendi plane diversam facere, & propterea, quamquam non necesse sit, in animo ne cogitabilem quidem divisibilitatem relinquere. His tamen se annumerari iure cupit. b) Cum Epicureis, quorum atomi origine, usu, motu, compactione, a suis corpusculis diversæ sint. Responsio, cum de orationis barbarie, quod ipsam philosophiam in contemptum adducat, queritur: tum vero V. Cel. *Ernesti*, Collegæ nostri, philosophiam latinamque, & philosophum Ciceronem ad imitandum merito commendat. Ipsa Pars I. dividitur in Capita duo; quorum unum est de natura, alterum de his, quæ in animum, dum hanc vitam vivit, cadere posse videntur. Illius summa est §. 23. hæc. Materiam animi humani, seu id subiectum, cui reliqua insint, esse rem, quæ mente quidem & cogitatione, sed re ipsa omnino nunquam in partes dividi possit & dissolvi: huius indissolubilitatis causam se non in eponere, quod nulla vis in mundi huius vel partibus, vel con-

ditore in fit tanta, quanta arctissimum harum partium vinculum dissecare possit, aut rumpere; sed quod istæ ipsæ quasi partes, vi interiore & natura sua ita comparatæ sint, ut singulis aliquid ad absolutionem desit, quo minus per se esse possint; ut altera alterius adminiculo indigeat; ut omnes uno præcise momento & simul exoriantur, atque, si per Deum licuerit, non in diversas naturas intereant, sed in nihilum. Porro autem eiusmodi corpuscula, cum inter naturas e partibus re divisibilibus concretas, & contrarias, quæ partibus omnino vacent, locum obtinere videantur medium, *medias res*, (*Mitteldinge*) appellandas censet. Sed de hac loci mediocritate, utrum recte iis attribuatur, valde dubitamus. Omnes enim naturæ partes aut habent, aut non habent, i. e. corpora sunt, aut monades. De omnibus rebus, quicquid sit, ad alterutrum horum generum referatur, necesse est. Ecquid est, quod inter etiam & non; inter esse & non esse; inter habere & non habere, medium & tertium relinquatur? Uti autem corporum, sic monadum plures formæ esse possunt. De his igitur monadibus, si dicimus, alias habere quasi partes, in easque mente dividi posse & distingui; alias non item: tenemus ista duo ad hanc causam pertinentia genera: quorum hoc, quod Leibnitio placuit, e hominibus tollere, & Deo soli reservare; illud autem suum, nisi in aliis rebus finitis, certe in hominum animis stabilire, I. A. nititur. Quæ cum ita sint, recte videmur posse hoc humanum genus Monadas mente divisibiles, vel Creuzianas nominare; alterum Monadas Leibnitianas, aut mente indivisibiles. Est vero admonendum, iam ante hos X. annos, eiusdem generis individuam naturam animis attribuisse, quamquam contraria de causa, V. Cel. C. A. *Crusum* nostrum, in *Initiis Metaphysicis*. Nunc de demonstratione Creuziana videamus. Eius pars una §. 17-22. ostendit, animos e partibus re divisibilibus non constare; altera §. 23. eosdem Monadas Creuz. esse posse; tertia denique, eosdem animos Monadas Leibn. esse plane non posse §. 28-31. Iam primum, animus, inquit I. A. si concretus est, fit, ut ab hominum corpore, quod ipsum quoque concretum est, diffe-

différet. Corpus igitur intelligendi vim habet. Quod si ita est, sequitur, ut reliquæ etiam res corporeæ eadem, certe simili, intelligendi vi vigeant. Namque omnes iisdem, quibus humana corpora, principiis, quod chemia docet, continentur, & nisi eundem, tamen similem concretionis modum habent. Atqui eiusmodi sententia experimentis & usu improbat, & sapientiæ divinæ repugnare videtur. Etenim, intelligendi facultas in rebus corporeis supervacua est ad officia, quæ præstant; quin etiam ad earundem infelicitatem, ob sensum miseriæ, valet; denique efficit, ut unum, & id necessarium genus naturarum, quæ solam movendi vim habeant, ad abolitionem huius mundi & plenitudinem desiderari possit. Sequitur alter huius primæ partis locus de eo, mentem, etiam si ab humano corpore discesseris, ne aliam quidem quancunque naturam esse posse, quæ e partibus re divisibilibus constet. Primum enim, si id concedatur, necesse esse, ait, ut aut vis intelligendi una pluribus in rebus resideat, aut, quot partes sint, totidem intelligendi facultates numerentur. Utrumque sapientiæ insipientis esse. Porro, p. 25: quoniam necesse sit, ut notiones aut singulæ singulis in partibus, aut omnes una in parte, aut extra has animi partes ubicunque extant, hoc incommodum sequi, ut aut plures ob plurium partium notiones mentes adsint, aut omnino una in parte, aut notiones per se ipsæ consistant. Denique, pro animi unitate ad conscientiæ iudicium provocat, quod declarat, corpus nostrum, veluti vestem, extra nos, i. e. animum esse pag. 27; animum omni terrena concretionis diviniorem esse pag. 31; eundem notiones cogitationesque habere, & sua movendi intelligendique libertate uti; id quod a corporum motu, & omni machinationis corporeæ necessitate alienissimum sit, pag. 31. 35. Altera demonstrationis pars in §. 23. cuius summam initio proposuimus, inest, & pluribus definitionibus & definitionum definitionibus contendit, eiusmodi monadas sibi met ipsas non repugnare. Nos quidem nihil magnopere difficultatis ad intelligendum in iis aut repugantiæprehendimus; quamquam propterea nondum concedimus, ex earum numero nostrum

strum animum esse. Festinemus igitur ad tertiam partem, quæ arcem continet, & negat, plures præter unum Deum Monadas Leibnitianas esse posse. Rationes hæc sunt: 1) Monades L. plures, etiamsi fingas, tamen inter se diversæ esse nullo modo possunt: neque ratione subiecti, quod in omnibus idem, & nullis notis distinctum est; neque pro attributis & modis. Namque subiecta, veluti principia, eadem necessario principiata continent. Facultates autem, si a subiectis suis non differunt, omnes omnibus in monadibus L. eadem sunt; sin vero differunt, res una duas partes habet, adeoque monas esse desinit. Denique ipsæ facultates inter se magnitudine & robore differre nequeunt. Fit igitur, ut eiusmodi plures monades L. omnibus rebus, adeoque etiam infinitate, pares sint. Quod quia sibi ipsum repugnat, fieri non potest, pag. 69-74. 2) Monas L. cum nihil in se diversum habeat, quod distingui possit, adeoque, qualis est, talis necessario simul sit: elicatur, ut necessario infinita sit, pag. 79. 3) Denique summa hæc est: Quæ res infinita est, eadem est una; monas autem L. omnis infinita est, una igitur est, pag. 65. 66. (conf. pag. 189-193.) At liceat nobis levio-rem fortasse dubitationem pro finibus monadum L. & numero proferre. De propositione quidem illius formulæ facile arbitramur, dabitur nemo. Namque *infinitum*, ipso Auctore, est id, quod omnia occupat, & tenet, ideoque necessario, quia naturæ plures omnia tenere posse non videntur, & præter omnia nihil habemus, tantum unum est, pag. 63. & §. 30. init. Sic maria, ut ipse ait, vel duo, nedum plura, quorum quodque omnia, quæ aliqua in re inesse possunt, contineat, & alterum attingat, sese invicem ipsa everunt, nec esse simul ullo modo possunt. Res igitur omnis eo redit, ut de assumptione videamus. Iam vero Ill. Creuzius, quod aliunde pro incredibili ipsius industria & in nos humanitate cognitum habemus, existimat, hæc duo, indivisibilitatem, seu simplicitatem, quam dicunt, monadis Leibn. & infinitatem, colligata necessario, & ex se apta esse, ita ut cogitatione quidem & verbo distingui possint, sed reapse nunquam a se separari, ut

ut alterum sine altero sit & permaneat. Inde etiam fit, ut nomen *infinitatis* utroque sensu accipi posse censeat. Porro autem hanc simplicitatem in eo cerni dicit, ut in aliqua re nihil diversum, nihil mixtum, nihil duplex, nihil compactio- nis, nihil finibus vel lineis in regiones descriptum, ne intelli- gi quidem possit. Nos vero de necessaria hac simplicitatis & infinitatis coniunctione, an vera sit, etiam atque etiam dubitamus. Causa hæc est. Quamquam, in quo nihil duplex est, nihil partium, id, quale est, tale necessario simul est, (v. paullo ante litt. β) h. e. quæ ad singularem ipsius natu- ram pertinent, ea omnia ad unum præcise temporis punctum, non ad plura, accipit & habet: tamen inde non fit, ut idem præter omnem suam naturam, ea etiam omnia, quæ ad omnium aliarum rerum naturam pertinent, occupet & te- neat. Sic punctum mathematicum A, quicquid est, id omne simul est. Sed ex eo non sequitur, ut idem, quæ in punctis B, C, D insunt, ea item occupet & teneat omnia. Ita etiam Monades Cr. cum unam vim & præter hanc nihil habeant, necessario fit, ut, quæcunque habeant, ea omnia simul ha- beant; quod ipse etiam vidisse videtur §. 38. 39. & pag. 48. 66. Tamen eo non elicitur, ut singulæ, præter omnem suam naturam, reliqua etiam omnia omnium reliquarum Mon. Cr. occupent & teneant. Atque hæc si ita esse sumamus, demon- stratio ista tota, de unitate Monadis Leibn. & solitudine, hanc vim habet: Quæcunque res, quæ ad ipsam pertinent, omnia simul accepta habet, eadem etiam, quæ ad omnes alias res pertinent, omnia occupat & tenet; sed monas L. eiusmodi res est, igitur omnia occupat & tenet, atque ideo infinita est & una. Denique autem de simplicitate ipsa monadum L. omnium, & summa paritate, quam J. Cr. iis pag. 69 - 74. 79. attribuit, alii videant. Nobis quidem is locus nondum omnino probatur. Nam Leibnitius ipse suas monadas, ut e Monadologia constat, in plura genera descripsit, & pro iis, quæ insunt, distingui a se invicem & internosci voluit. Ve- rendum igitur est, ne, dum hæc ita disputamus, ut philosophus summus pugnantia loqui, & distinguere, quæ eadem sunt, videan-

videatur, verbo *monados* vim potestatemque tribuamus, quæ ab Ipsi sensu abhorreat. Videtis etiam, quæ paullo post ad §. 39. strictim dicuntur. Sed pergamus ad Caput II. quod de attributis & modis est, §. 33. Animi, quia monados Cr. sunt, quasi magnitudinem & quasi figuram habent. §. 35. Conscientia, (*das Bewusstseyn*) in continuatione nostræ, quam dicunt, existentia inest; notiones, ut mundus olim a Deo, e nihilo formantur: eadem rebus, quæ extra animum in rerum veritate extant, plane simillimæ, immo etiam tempore priores sunt; animus, uti primum esse incipit, ita statim sui conscius est. §. 39. Vis omnino una, quæ omnibus motibus sufficit, animo inest. At, quomodo ab una eademque vi notio & motus proficiscantur, quorum utrumque I. A. & animo tribuit §. 36. 44. & longissime inter se differre ait pag. 32? §. 43: Animus, cum finitus sit, hunc mundum e parte tantum uno tempore intelligere potest. Miramur sane, cur id pro certissimo habeatur. Namque si hic mundus finitus est, nihil repugnare videtur, quin mens finitum opus cogitando simul, certe aliquando pluribus accessionibus, sensim & per intervalla factis, complectatur. §. 48. Perpetuitas agendi animo inest, & a somno & omni requiete vacuitas. Namque (§. 38) omnis vis, eius usus, & res ipsa unum idemque sunt. At primo nobilissimi philosophi, cum res alias in actu secundo, alias in primo ponunt, nonne hac divisione viribus, certe figitis, aliquod interquiescendi, & quasi dormiendi spatium concedunt? Deinde vero, si quid est, quod a nobis homunculis penitus ignoratur, id profecto interior facultatum ratio est. Habemus quidem in hoc genere cognitionem symbolicam; sed qualis tandem ista est? Scilicet, *vim* ubi appellamus, præter nomen, effectum, & quandam consecutionis & originis relationem, quæ rem, cui vis inesse putatur, & effectum intercedat, cognoscimus nihil. Adde his, quæ ipse de vi animi pag. 140. & interiore rerum natura pag. 143. disseruit. Quomodo igitur de re, cuius ipsius ne notionem quidem qualemcunque animo depictam videmus, convenit, confidenter uagare, fieri posse, ut uno temporis vestigio requiescat? Inde
etiam

etiam sit, ut nesciamus, quare, in causa omnium obscurissima, veterum philosophorum auctoritatem aspernemur, qui vim & materiam, cui insit, diligenter distinguunt. Certe eiusmodi opinio, quæ vim, eius usum, & materiam pro una re habet, tantum in hypothesebus numeranda est, nec ad demonstrationum usum ullo modo adhibenda; quamquam id I. A. fecisse videtur, §. 46. & P. II. §. 60. 104. §. 36. Duo humanæ cognitionis genera sunt; unum imaginarium seu figuratum; alterum intuitivum & verum. Hoc vult esse, quo res, ut in veritate sint, & in divina mente, depingantur animo nostro & cernantur; illud autem, quod non, ut in superiori genere fiat, res ipsas conspiciendas exhibeat, sed tantum earum imagines & simulacra impulsibus sensuum & cerebri motibus consentanea. §. 50. 51. Quæ beneficio corporis & sensuum impulsu cognoscuntur, ad imaginariam cognitionem tantum pertinent. §. 56. Verum & imaginarium intelligendi genus simul iisdem in hominibus insunt; & hoc quidem ita, ut appareat, quatenus animus cum corpore coniunctus est; illud autem, ut latere videatur, quatenus idem animus in corpore quidem est, sed tamen ab eiusdem coniunctione liber. At vero, quid Scepticis faciamus, si qui h. l. ita intercedant, ut de vero cognitionis genere, utrum nostris hominibus insit, videndum etiam atque etiam, & deliberandum esse, dicant: propterea, quod id lateat, quodque eiusdem nobis, auctore ipso Creuzio, inscii esse videamur; de imaginario autem profiteantur, illud sibi etiam adesse videri? Quid autem porro, si Dogmatici ob id ipsum imaginarium genus querantur, miseros esse homines, qui hac in vita non res ipsas, sed signa videant, atque adeo, quia utraque inter se non possint conferre, nesciant, utrum omnino his cum rebus similitudo intercedat, & qualis sit. Inde fieri, ut veritas humanæ cognitionis aut nulla sit, aut certe dubia? §. 62. De loco, quo animi fuerunt, antequam in hoc humanum corpus venirent, non contemnendi sunt, qui animalculis spermaticis eos attribuunt, ita, ut a mundo condito ex altero in alterum transmigrarent: tamen probabilius hoc videtur, si animi e minoribus

rudioribusque corporibus in maiora & perfectiora progressi dicantur. Sequuntur auctaria tria, ipso opusculo non minus pulchra. I. Elegantissima oratoris ornamentis & sententiis gravissima ad metaphysicam animi cognitionem cohortatio, quæ istam præstantissimis Astronomiæ, Anatomix, & Chemix studiis anteponeit. II. Quorundam argumentorum, quibus Materialistæ se defendere conantur, confutatio, quæ maximam partem e monadibus Creuz. & superiore commentatione petitur, v. c. pag. 194. Materiæ Deus, qua est facultatis magnitudine, intelligendi vim addere potest. At I. A. id fieri posse negat, propterea, quod, cum materia sit natura, quæ alienam vim tantum excipiat, & quasi patiatur, atque rō intelligere in agendo insit; hæc duo sibi repugnent, & se vicissim tollant. Quæ deinceps ponuntur, ea se ferire negat, quia hoc in genere a reliquis Spiritualistis dissentiat. a) Si, quod Cartesio placet, bestiæ sine animis moventur, sequitur, ut eadem vis in corporum humanorum machinatione inesse possit. b) Si verum est, animum sine corpusculo quocunque esse non posse, ipse a corpore differre non videtur. c) Quibus Harmonia præstabili placet, negant, a mente corpus moveri posse. Fit igitur, ut, cum usu & experientia constet, corpus a mente moveri, ipsa mens a corporis natura non diversa sit. d) Continuatio impulsio divinarum, quas Occasionalismus affert, cum improbabilis sit, sequitur, ut, materiam intelligere, probabile sit. e) Physicus influxus efficit, ut corpus & animus ex eodem rerum genere esse videantur pag. 196 198. III. Partim, quæ in Commentatione desiderari posse videbantur, supplet, partim nonnullas de eiusdem comment. usu in miris quibusdam vitæ humanæ partibus coniecturas continet, ut pag. 230 239. E somni natura, quoniam animum a corporis contagione paulisper favocare videtur, & prorsus admirabilem cum visorum, tum lætitiæ & tristitiæ varietatem continet, partim, quæ de duobus cognoscendi generibus §. 49. dicta sunt, confirmantur, partim somniorum diligentius considerandorum dignitas apparet. Pag. 244. 263. Vim divinandi, i. e. rerum a sensibus & ratione remo-

remotarum cognitionem animo inesse, haud improbabile est. Ex ea sunt obscuræ quædam futurarum rerum præfensiones (*Abndungen*). Sed, cum ista divinatio in intuitivo genere versetur, cuius nobis, dum in corpore sumus, nisi imaginum beneficio, conscii esse non possumus: sequitur, ut animus, quia ad usum vitæ omnia, quæ insunt, adhibere discipit, istam cognitionem ex genere intuitivo in imaginarium, tanquam ex Germanico in latinum sermonem transferre, & sibi interpretari, omnibus modis contendat. Ex hoc contentissimo interpretandi studio, quia summas difficultates habet, oritur, cum obscurus quidam anxietatis & tristitiæ sensus, qui nobis aliquid boni aut mali prælagire videtur; tum vero Astrologiæ, Chiromantiæ, & Geomantiæ artes, quas, quia isti innato & communi omnibus interpretandi studio inserviunt, omnes omni tempore homines adamarunt & coluerunt. Restant duo e Cicerone loci, quorum disputationem, ne philosophiam grammaticam interpellaret, hunc in locum differendam putavimus. Unus est e Tusc. Disput. I, 10, 21: *Nihil esse omnino animum, — — vimque omnem — — a corpore esse.* In his Dicæarchum τὸν Ἀψυχὸν sibi ipse repugnare I. Cr. contendit. Namque existimat, hoc: *nec separabilem a corpore esse*, indicare sentiendi vim ad universam & necessariam corporum seu materiæ naturam pertinere, adeoque omnibus, nullo excepto genere, inesse; illud autem: *in omnibus corporibus vivis*, genus corporum non vivorum excipere, itaque tollere, quod ibi ponatur. At primo verbum *corporis* rarius apud Cic. pro materia universa accipitur, quam ut eius notionis hoc loco ratio haberi debeat, ita, ut Dicæarchum loqui pugnantia putemus. Deinde totius huius ῥήσεως ratio declarat, adversarios eos, qui animum sibi morte persuadeant a corpore ita discedere, ut per se maneat, (conf. n. 18. & 24.) Dicæarchum his verbis *n. f. a. c. e.* ridere, imprimis cum sequatur: *quæ nulla sit.* At quem tandem ex ista tempestate, accepimus, existimasse, ab aqua, saxo, argento, auro, animum separari posse? Sed de corpore hominum & bestiarum, idem plerumque sibi omni memoria persuaserunt. Est

igitur corpus h. l. non materia universa, de qua nemo a Dicæarcho dissentiebat, sed corpus vivum. Denique verba: *nec separabilem esse*, non indicant h. l. id, sine quo corpus esse non possit, sed, quod sine corpore non possit esse, i. e. non id, quod alicui rei necessario & semper inest, nec, salva re, tolli queat, ut I. Creuzio videtur; sed significant id, quod per se ipsum & solum, sine alterius rei, ut ita dicamus, fundamento, cui innitatur, esse & manere non possit. Igitur, ne plura, totus locus hunc sensum habet. Animus est vis, quæ figura, machinamento, & temperatione corporum vivorum constat, quæque *æquabilis* est, i. e. non eadem in omnibus & æqualis, sed pro sua cuiusque animantis natura, modo maior, modo minor, modo plus, modo minus varia & multiformis; & quæ denique nunquam a mortuo corpore separari potest, ut sine illo per se ipsa sit; sed, quæ sublata corporis animantis coagmentatione, ut globositas diffracta sphaera, tollitur. Nos quidem, ut nihil in his veri, tamen etiam, quod cum proximis pugnet, videmus nihil. Sed pergamus ad alterum locum, qui ibidem I, 10. 22. extat: *Aristoteles — — perennem*. Iam primum I. A. pag. 50. in scholio * *motionem* contendit esse naturam, quæ per se, & sola extare possit, (*ein vor sich bestehendes Ding*.) Deinde *continuata* accipit de iunctis deinceps suarum monadum quasi partibus, quæ nihil intervalli inter se & loci relinquunt. Denique nomen *perennem*, ut ait, satis indicat, *motionem* significare rem unam, etiamsi pluribus quasi partibus contineatur. Est igitur *motio continuata* & *perennis*, adeoque etiam *ἑτελέχεια*, ut ipsi videtur, *Monas Creuziana*. At vero de hac interpretatione valde timemus, ut vera sit. Videamus de *motionis* verbo, quid sit. Etenim isto constituto, Epitheton *continuata*, quod ambiguum est, & reliqua facile accommodantur. *Motio* non est natura, sed tantum movendi pro animatione vis, quæ in usu & actu est, & a natura, ut abstractum a concreto, differt. Vide Ac. Qu. I, 6. 24. Rationes, quæ nos movent, hæc sunt. H *ἑτελέχεια*, cum, quam vim subiectam habeat, nondum inter grammaticos & philosophos constet, ad significationem *motionis* declarandam nihil ma-

gno-

gnopere prodest. Atque etiam si id vocabulum apud Cicero-
nem naturam & concretum significare, I. A. concedamus,
(quod nobis quoque ita esse videtur, & quidem propterea,
quod cum h. l. in genere elementorum numeratur, tum vero
Ac. Qu. I, 7. 27. subiectam materiam quandam habere dici-
tur,) sed etiam si id concedatur, tamen *motio* tantum de *ab-*
stracto intelligi debet. Primum id constans latine loquentium
postulat usus, quem Cicero h. l. secutus sine dubio est, cum
nomen perobscurum explicare vellet. Deinde vero alibi
etiam solet Cicero, Græca, magis ad latine intelligendi com-
moditatem, quam ad verbum interpretari. Sic in de Fin. B.
& M. V, 29. 87. ἀθάμβια reddit: *animum a terrore libe-*
rum. Quis me ferret, si, quoniam in Græco abstractum est,
animum significare h. l. affectionem animi dicerem. Porro
autem minus plenæ interpretationis necessitatem Cicero
hoc in genere imposuit novitas rei & nominis, cui par lati-
num non reperiebatur. Itaque materia, veluti parte signifi-
cationis ad intelligendum facili omiſſa, tantum eam latine
reddit partem, quæ in omni re præcipua est, cuiusque singula-
rem rationem Cicero civis per se intelligere non poterant, h.
e. formam τῆς ἐντελεχείας. Denique ipse Cicero, se h. l. eius-
modi brevem interpretandi modum, quem ob necessitatem
excusari vellet, sequi, particula *quasi*, cuius usum Creuziana ra-
tio nullum ostendit, subindicare videtur. Igitur *quedam con-*
tinuata motio est singularis agendi vis, quæ nunquam inter-
quiescit, vel per intervalla temporis cessat; & *perennis*,
quæ nunquam desinit, vel certe quam diutissime permanet.
Conf. Tusc. Disp. I. 23. Quæ omnia si ita sunt, fit primo,
ut his Cic. verbis non plena & legitima τῆς ἐντελεχείας ex-
plicatio contineatur, uti I. A. vult, & deinde, ut ex huius
loci finibus Monades Creuzianæ circumſcribantur. Explicita
est pars prima; incipienda deinceps erat altera. Sed huius
enarrationem, ut ne uno loco longiores simus, ad proximum
Actorum tomum reservamus.

704 NOVA ACTA ERUDITORUM
SE IL VITTO PITTAGORICO DI SOLI VE-
getabili, &c.

h. e.

AN VICTUS PYTHAGORICUS EX SOLIS VEGETABILIBUS utilis sit ad tuendam valetudinem, & ad curandos quosdam morbos, Dissertatio IANI PLANCI, id est, IO. BIANCHI, Medici Primarii Civitatis Ariminensis.

Venetis, apud Jo. Baptistam Paschalium, 1752. 8.
Pag. 94.

Dissertatio hæc iam recitata fuerat Arimini ab Auctore in Academia Lynceorum, a se restituta mense Decembri anni 1747. quam postea edidit Venetiis, ut ex secundo titulo pag. tertia posito apparet. Hæc plerumque contradicit Dissertationi Cl. *Antonii Cocchii*, Florentini, seu Mugellani, ut ipse mavult, quam Florentiæ ediderat anno 1743. & qua conatus est asserere, victum Pythagoræorum ex folis vegetabilibus, utilem esse ad tuendam valetudinem, & ad quosdam morbos curandos. Modeste tamen contradixit *Plancus* noster Cl. *Cocchio*, & semper suppresso nomine: neque omnes illius assertiones improbat, sed tantum eas, quæ ipsi videntur cum recta ratione & experientia stare non posse. Cl. *Cochius* laudaverat impense Pythagoram, & ad astra fere tulerat, ut inde omnia eius dicta, et facta, probari posse viderentur, et præsertim eius victum ex folis herbis fructibusque, laudaverat. *Plancus* quoque noster laudat vitæ genus Pythagoræ, dictaque, resque gestas ab eo non omnino improbat, at negat eum plane irreprehensibilem fuisse, imo multa in medium profert ab Auctoribus antiquis relata, quibus clare apparet, Pythagoram palam in Italia impostoris personam egisse, ut famam sibi nomenque apud Italos compararet. Memorat enim eius verba iactatum ad Inferos, vaticinia eius, et miracula a Pythagoræis

ræis de eorum Præceptore celebrata, quæ omnia clare cuiusvis ostendunt, Pythagoram impostorem fuisse; imo multa eius effata non posse defendi contendit Plancus: inventa quoque eius in Geometria & in ceteris scientiis parvi esse momenti, & mere primis elementis inservire, ita ut ex iis tanquam Auctor summus & irrefragabilis haberi non possit. Hinc & eius victum omnino probari non posse, Plancus patat; qui etiam septuagimo valde periculosus sit. Victus iste perfectissimus, & exquisitus Pythagoricus, constare deberet ex foliis herbis crudis, fructibusque item crudis, & ex sola aqua frigida. Verum, quum istud vivendi genus sit potius belluinum, quam humanum, Pythagoras concessit, ut herbæ fructusque aliqui coquerentur, quibus addi posse dixit lac, & interdum portionem aliquam ciborum ex animalibus deluntam. Ita Auctor Florentinus concedit, comedi posse interdum juniorum animalium carnes: sed interdicit ova, & interiora animalium, ut sunt iecur, cerebrum, & glandulæ omnes, quæ tamen in universum pro rebus gratissimi saporis, & optimi succi, habentur. Item vetat animalia omnia feræ naturæ, ita ut ea lege ne ficedulæ quidem comedi possint, quum ex Iurisperitorum doctrina, feræ naturæ animalia sint omnia, quæ tutelæ nostræ tradita non sunt, quæque pacem nobiscum non colunt, & non *commendati momenti tutelæ tradita nostræ*, ut ait Lucretius. Item excludit a cibo humano pisces omnes, & inter res vegetabiles, contendit, quadraginta tantum genera herbarum ad victum nostrum adhibenda esse; excludit enim radices omnes bulbosas, ut sunt rapæ, cæpæ, raphani, & similia; item proferbit fructus omnes arboreos ex genere sicco, quales sunt amygdalæ, nuces, castanæ, & sic porro. Verum Plancus invictis rationibus & experientia probat, excludendas non esse carnes omnes eorum animalium, quæ sunt in usu, & multo minus pisces, qui generatim melius concoquantur, quam carnes, & sunt boni succi. Imo asserit, pisces quosdam, qui armati vulgo dicuntur, ut sunt tellinæ, ostreæ, cancri, allaci, & similia, phthiricis prodesse, quibus profunt & ranæ, & testudines, quæ inter pisces censentur. Ostendit deinde, radices bul-

U u u u

bosas

bosas a communi victu arcendas non esse, quia hæc coctæ, ut sunt v. g. capræ, & rapæ, sunt remedia pectoralia, & antiscorbutica. Item ostendit, imo nec fructus arboreos siccos esse vetandos, quales sunt amygdalæ, nuges, & similia, legumina, quæ etiam vetat Auctor Florentinus; sed ait, si vetanda sint hæc, vetandum esse imprimis panem, quem Auctor Florentinus tamen tantopere commendat, præsertim in aquam iniectum. Panis enim est alimentum fortissimum, ut dixit Hippocrates: & ut *Plancus* post *Beccarium* in Actis Academiae Bononiensis observat, in eo, præter partem vegetabilem, reperitur res quædam gelatinosa, quæ de natura carniùm participat, & habet eadem principia, ut ex analysi chymica constat. Sed ut summarim dicamus, *Plancus* concludit, genera ciborum refecanda hominibus non esse, sed potius esse amplificanda, & quosdam cibos in usum revocandos, qui inter obsoletos modo reponuntur, neque tamen sunt peiores iis, quos probat usus. Quare *Plancus* semper in ore habet Celsi illud effacum, quod & in averla pagina tituli libri sui posuit: *Nullum cibi genus fugere oportere, quo populus utatur.* Et quum ad regimen vitæ, seu ad dietam, pertineant & vestes, contendit *Plancus*, excludendas non esse a vestium genere, quæ ab animalibus desumuntur, ut sunt coria pro calceamentis, & pro ocreis, & lana, & sericum pro vestibus externis & nobilioribus; neque tantum gestandas esse vestes ex sola cannabi, lino, & gossypio ut volebat Auctor Florentinus, quod minus attrahant humiditatem, quum lana calore suo foveat membra nostra, & sericum calore, levitate, & nobilitate plurimum præstet. Sed describendus plane esset elegans iste *Planci* libellus, qui doctrinis Philosophicis, Medicis, Anatomicis, & multiplici eruditione exquisita est refertissimus, quibus omnibus solide propugna: A. causam totius generis humani, contra vanas subtilitates, & pæne ineptias Pythagæorum, qui de multis frugibus & caruibus, nos ad herbas simplices, & fructus perpaucos, eosque minus sanos, revocare fatagunt.

SCRIBIT.

SCRINIUM ANTIQUARIUM, SIVE MISCELLANEA
 Groningana nova, ad historiam reformationis ecclesiasti-
 cam præcipue spectantia. Inseruntur tractatus varii ge-
 neris, epistolæ, orationes, biographiæ, & sim. sive nun-
 quam antea edita, sive ita facta variora, ut pro
 ineditis haberi possint.

Tom. IV. Pars I.

Groningæ & Bremæ apud Corn. Barlinkhof, & G. W. Rump.
 Bibliopolas A. 1754. 4.

Alph. I. plag. 1.

Tres superiores Tomos utilissimæ huius sylloges in Actis
 hæc nostris enarravimus. Cel. Editoris promptitudo & indu-
 stria, quam publicus plausus fovet & extimulat, nondum de-
 lasatur; nec copiarum, quæ ad illustrandam historiam sacrorum
 emendatorum faciunt, ipsum deficiunt. Læti igitur aduuntia-
 mus initium Tomi quarti, continuationem illius & sequen-
 tium avide expectantes. Octo autem partibus fasciculus
 hic absolvitur.

I. *Petri Villerii ratio ineunda concordia inter ecclesias
 reformatas 1579.* Huius gentilitium nomen erat l'Oise-
 leur, illud autem Villerii a prædio Villiers, cuius dominus
 fuit, adscivit. Equestri prosapia erat oriundus, cuius ali-
 quam, quoniam non æque notus est, notitiam A. tradit. Gal-
 lus gente, posteaquam curriculum studiorum academicorum
 confecisset, coram suprema Parisiorum curia causas egit.
 Quia vero ob puriora sacra, quibus addictus erat, in Gallia tu-
 tum se non videbat, Genevam secessit, ibique sub auspiciis
Theod. Bezae ita in disciplina sanctiore profecit, ut Rothoma-
 gensibus, ipsum pastorem deposcentibus, operam suam addi-
 cere potuerit, quibus ad a. 1572. inservit. Cum autem in il-
 lum annum sævissima illa laniena Parisiensis, quæ in omnes
 regni partes diffundebatur, incidisset, adeo ut undique fere loco-
 rum

U u u a

rum reformati ad eandem quærerentur, ægre vitam servavit, atque omnibus vitæ necessitatibus spoliatus, postquam Antverpiæ per aliquod tempus subsistisset, in fœderatum Belgium se contulit, ubi *Guiljelmo* Arantionensi principi a sacris & consiliis fuit, quem insignem honoris gradum etiam apud successorem *Mauritium* tenuit. Fuit, prout id ex ipsius scriptis adparet, rerum theologiarum scientia probe instructus, generosi & moderati animi, rerum agendarum peritia & usu insignis, qui difficilibus etiam temporibus Principes Nassovios consiliis multum iuvit. Scripta, quæ reliquit, non sunt magnæ molis, rariora tamen omnia. *Reformatarum in Belgio ecclesiarum epistolam apologeticam* exhibuit *Gal. Gerulofus* Tom. I. P. I. p. 121. seqq. Item eiusdem atque *Io. Ianssonii responsam de pace religionis cum pontificis invidia; sive de restituendis templis, quæ per tumultum pontificis adempta sunt*, Tom. I. P. II. pag. 328. seqq. Præfens scriptum totum in eo vertitur, ut concordiam inter utramque ecclesiam protestantium suadeat. Dolet, dissidiis illis, quæ hostes in usum suum convertant, ecclesie puriori ingentem stragem inferri, ut verendum sit, ne illa funditus excindatur: consultum igitur esse, ut principes protestantes in mutua fœdera concedant, ut hoc facilius communem hostem arceant. Controversias, quæ utramque ecclesiam dividant, vel versati circa modum, non rem ipsam; vel ad salutem non æque esse necessarias, putat. Cui concordie stabiliendæ etiam remedia suppeditat. Infernit responsum *Lutheri*, datum cal. Dec. 1537 ad magistratus & civitates Helvetiorum, de modo componendi lites: quo ipso, quam pronus ad concordiam fuerit, declarat. Docet, verbum Dei solum, absque interna operatione Spiritus sancti, nihil elicere; etiam baptismo internam Spiritus gratiam adesse debere, esse tamen externum signum medium & instrumentum, per quod Deus in nobis operetur. De modo præsentie Christi in sacra cœna mentem suam ita explicat: *Dei omnipotentia relinquitur, quo modo nobis ipse corpus & sanguis detur in cœna, ubi ex illius mandato convenitur, & eius institutio celebratur. Nullam cogitamus hic fieri aut descensionem aut ascensionem.*
sed

sed manemus simpliciter & candide apud ipsius verba: hoc est corpus meum, hic est sanguis meus. Suadet porro *Villerius*, ut communi principum evangelicorum Germaniæ consensu synodus generalis instituatur: in qua ipsi præsent, vel eorum nomine viri politici & sapientes, qui rei magnitudinem intelligant, & sua auctoritate pios & moderatos theologos tueantur. Abstineant invidiosis nominibus & execrationibus, nec a se in doctrinis ad salutem non æque necessariis alienos, tanquam hæreticos traducant, ipsos Scythis & Turcis peiores pronuntent, sicque hostium furores in ipsos concitent. II. *Henr. Bullingeri fasciculus epistolarum ad Io. Utenbovium*, quæ primum nunc ex tabulato ecclesiæ Gallo Belgicæ Londinensis publicantur n. XI. in quibus aliqua, quæ ad statum ecclesiæ illius spectant, habentur, & qua ratione sacrorum emendatio in Polonia fuerit promotâ, docetur. III. *Io. a Lasco epist. ad Henr. Bullingerum*, quas manu *Io. Jac. Simleri* Theol. Tigurini, ex tabulario ecclesiæ Tigurinæ descriptas, accepit, quasque præmissis argumentis, & notulis quibusdam adpersis, primum typis exprimendas nunc curavit *S. V. Gerdesius*, n. XVI. Ex illis notabilia exhibebimus. Erastinum se in vera religione instituisse, palam scribit. De cura sua, quam in ecclesia Emdana regenda impendat, hostium insectationibus, illius incremento, quod ex pontificiis multi accedant, verba facit. Helvetiis, acerbius quædam in Lutherum dicta in confessione sua exordisse, non probat. Sententiam suam de sacra cœna, per *abignationem* exponit. De statu ecclesiæ peregrinorum apud Londinenses, item de turbis ac contentionibus in illa exortis, aliqua habet. Quo modo *Eduardo III.* Britannicæ rege defuncto, peregrinorum ecclesia fuerit dispersa, & quid sibi & sociis in itinere evenere, enarrat; de conviciis *Ioach. Westphali* questus. Quid, se in Anglia absente, a nonnullis Emdanis, ratione immutationis doctrinæ, fuerit tentatum, refert, & quam benigne cum suis a magistratu Francofurtensi sit exceptus, prædicat. IV. *Gualtheri Haddoni pro reformatione Anglicana ep. apologetica, ad Hier. Osorium Lusitanum.* Erat Haddanus gente Anglus, ICrus excellens,

Pag. 413-415.

416-429.

429-445.

448.

455-460.

460-461.

462.

467-480.

482-483.

486-491.

- cellens, & reginæ Elisabethæ a supplicum libellis, qui Oforii epistolam ad reginam, qua eandem ab ecclesiæ emendatione abducere, ipsamque, ut de novo se potentia P. R. submitteret, pellicere conatur, refutandam sumit. Edita est a. 1562. sed cum rarissima esset facta, excellentiss. Gerdesius eam, ex *G. Had- doni lucubrationibus passim collectis & editis studio & labore Thom. Hatcheri, Cantabrigiensi*, Lond. 1567. 4. luci datis, repetiit. Et digna erat omnino, quæ iterum vulgaretur: præter stili enim castimoniam, qua Oforio non cedit, a gravi- tate arguenti, eiusdemque accurata tractatione, se comen- dat plurimum. Criminationes, quas Lusitanus in Reginam, populum Anglicanum, illius Reges, regni constitutionem, re- ligionem emendatam, illiusque professores & doctores, plenis buccis effuderat, oratione nervosa diluit & refellit, ritus item & doctrinam religionis candide proponit, ita ut, qui mente præiu- diciis vacua, singula iusta lance ponderaverit, facile animadver- tat, calumnias illas vel ex ignorantia, vel animi malitia profe- ctas fuisse. V. *Epistola Bernhards Rothmanni V. D. M. Monaste- riensis* n. VI. exarata ante, quam anabaptistarum furoribus implicari se est passus, nunc ex Cod. MS. communicata. Earum tres sunt missæ ad *Fridericum*, Episcopum Monasteriensem, quibus, se inimicorum calumniis circumventum, munere suo deiectum, ipsaque patria urbe exire iussum fuisse, queritur: rogat igitur, tum sui, tum cætus sacri causa, ut in ministerio sacro perseverare, & evangelium ulterius prædicare sibi inte- grum relinquatur. Sequitur mandatum *Erici*, Friderici suc- cesoris, quo senatui imperat, ut a Rothmanno, qui avitam re- ligionem in contemtionem adducat, & turbas det, absteineat. Quod ut mitigetur, ac causa ipsius rite examineur, neque ipse in- auditus condemnetur, petit sequi. epistola Rothmannus, seque ab impactis criminibus purgat. VI. *Stanislai Luthomiri ep. ad Io. Stenbovium* a. 1560. ex tabulis ecclesiæ peregrinorum Londinensis deprompta. Quædam ad *Luthomirum*, sive *Luthomirscium* spectantia, præmittit eximius Editor. Queritur 543-547. Luthomirus de turbis, per *Franc. Stancarum* in ecclesiis Po- lonicis motis, & quod pontificios, adversus puriorum sacro- rum

rum socios excitaverit. VII. Ei. *Lutbomiri* epistolæ III. petita ex *Lubienici historia reformationis Polonicae*, in quibus de synodis aliquot, in Polonia, a protestantibus habitis, sermo instituitur. VIII. Nova literaria, de mutationibus in variis protestantium ecclesiis & academiis factis, simul & de scriptis, non ita pridem in lucem editis, exstantioribus. Ad fugam vacui subiungitur *instructio, Leoni Aliatio*, de adducenda bibliotheca Palatina data, mutata ex celeberrimi *Baumgarteni* relationibus, de libris memorabilibus. Pag. 547-554. 555-680.

MYTHOLOGIE, OU RECUEIL DES FABLES, &c.

i. e.

MYTHOLOGIA, SEU COLLECTIO FABULARUM Græcarum, Aesopicarum, & Sybariticarum, carmine Gallico propositarum, cum observationibus & meditationibus, Auctore PETRO DE FRESNAY.

Tomus II.

Aureliæ, apud Couret de Villeneuve juniorem, 1750, 12. maii cum privilegio Regis. Tom. I. plag. 102. Tom. II. plag. 12.

Antiquum est, ficta sub imagine veritatem adumbrare. Plurima prisæ poësis documenta testes erunt. Sed nec oratio libera destituitur speciminibus. Si reliqua rudera silent, Aesopiæ fabulæ testimonium perhiberent locupletissimum. Non iam soliti sumus de Aesopo, cuius vitam *Meziriacus* eleganter descripsit, haud immerito cum nostra lingua, tum latinitate donatam. Illum iure suo recens ille fabulator patrem adpellat fabularum; Philostrati simul narratione, in Apollonii vita scripta, quasi Mercurius in æde Palladis illi eam artem inspirarit, repetita. Hic idem in præfatione, Sybariticas ab Aesopiis fabulas distinguit, ubi loquantur homines brevissime, non tam utilitatis, quam delectationis Pag. 4.

- tionis gratia, rationeque moribus eorum conformi, qui dedere nomen. Comparat eas nosse cum epigrammatibus, aut brevibus illis in operibus *Roffii* narrationibus. Non autem nisi duas ex antiquitate, proprio sensu, relictas novit, apud *Aristophanem* & *Aelianum* legendas. Aesopiarum fabularum plurimae saltem habent unam actionem, suntque simplicissimae; sed reperiuntur etiam, quarum actiones duplicantur. Huius generis sunt pleraeque fabularum de Indiarum, quas *Pispat* consignavit. Indus ille, libero nomine fabulas scripsit; Faernus autem, nec ad puritatem, nec ad elegantiam, inferior Phaedro, poeticos adhibuit modos. Redit autem ad Aesopum poeta nosse, cuius praerogativam inde inter alia probat, quod eius fabulas poeticis modis *Socrates* donavit; quod, in republica sua, primam illas institutionem esse voluerit *Plato*;
17. quodque *Martinus Lutherus* easdem fuerit interpretatus. Inquirat deinceps, an *Loemannus* & *Aesopus* fuerint iidem? Illi quidem Turcae, aliqui ad Davidis, alii ad Ioliae tempora, referunt; nihilo minus autem ita describunt, ut adfirmare quaestionem non dubitet nosse. Fabulis ipsis suum saepe stilum accommodavit *Maximus Planudes*, qui & novas sententias morales addidit, omninoque novas fabulas finxit. His argumentis commotus de *resna*, V. cl. imitationem potius, quam versionem fabularum Aesopiarum exhibere laborat. Distinxit totum opus in quindecim libros, quorum septem priores Tom. I. comprehendit. Singuli librorum
24. habent fabulas, exceptis IV. & V. in quibus fabulae sunt
25. Posterioris Tomi tres libri priores iidem continent fabulas 24. Libri vero XI, 23. XII, 22. XIII, 24. XIV, 51. & XV, 16. His accedunt octo fabulae, quas Sybariticas inscripsit. Observationes subinde, vel res grammaticas spectant, vel historicas, magis ad generale, quam singulare fabulae propositum pertinentes. Sic ad primam observatur, aquilae nomen apud Gallos utroque genere adhiberi; ad secundam de aquila & scarabeo, quod *Fontanus* satis fideliter eam fabulam sit interpretatus, qui alioquin ingenii bonitate nixus, ab exemplo Aesopi nonnumquam adeo deflexerit, ut eandem

eandem inscriptionem, fabula omnino nova atque diversa, mentiatur; sic ut ipse novus *Aesopus* mereatur appellari. Meditationes omnino sunt morales ac politicae. Sic ad fabulam de vulpe & hirco monetur, duas regulas morales eas comprehendere, quarum altera sit, antequam suscipiat negotium vir prudens, eum consultare, quem sit habiturus successum; altera vero prohibeat, ne cum prudentibus ad genium seculi comparatis nos sociemus: quo casu hominis honesti, sed simplicis ac minime mali, figuram ferat hircus; astuti contra vulpes, qui maximis miseriis implicitum deferat ac rideat amicum. Tales observationes morales subinde sunt ipsa fabula longiores, e. g. ad L. IV. fab. 12. quamvis ipsi carmini, quod & hic factum, similiter aut eadem, aut diversae miscantur. Nec historicae defunt illustrationes. Sic ad fabulam de lupo & crinaceo L. XIII. fab. 20. ex historia Gallica plures producuntur, qui, dum inimicis confidebant, plurimis sunt obruti calamitatibus. Nec in ipsis observationibus, ut diximus, historica defunt momenta. Sic ad L. XV. fab. 1. de *Aphthonio* agitur, cuius e progymnasmatibus ea fabula, eum sequentibus, deponita fuit. Laudantur eius fabulae 40. perquam eleganter Attica dialecto scriptae; cuius dialecti puritatem & elegantiam omnem Auctor ille possederit. Liber XIV. nominatim *Gabrie* fabulas, sine observationibus aut meditationibus, exhibet. Sybariticarum fabularum prima est ex *Aeliano*, altera ex *Aristophanis vespis*: reliquis argumentum suppeditavit *Athenaus*. Agmen deinde claudit e *Fontenellii* Vol. II. dialogorum mortuorum deponita fabula. Nobis quidem vel non moventibus, intelligent lectores, industriam haud defuisse fabulatore; neque si fabulas illustrarint, ingenium aut artem desiderabunt poetae.

Pag. 120. 13.

Tom. II.

pag. 194.

330.

201. seqq.

253.

258.

VINDICIAE DE ADVENTU MEDIOLANUM S.
Barnabae Apostoli, contra nonnullos recentioris aetatis
Scriptores. Prodromus, ad commentaria ritus Ambro-
fani.

X x x x

fani.

*frani. Auctore IOSEPHO ANTONIO SAXIO, SS.
Ambrosii & Caroli Oblato, Collegio ac Bibliothecæ
Ambrosianæ præfecto.*

Medio'ani, ex typographia Bibliothecæ Ambrosianæ, apud
Ioseph. Marcellum, 1748, Superiorum Facultate ac
privilegio, 4 mai. pag. 16.

Dantur doctrinæ, quæ non tam ab interno suo pretio, & quod indubiis nituntur rationibus, sed ab externis commodis, gloria, opibus, se multis commendant: quibus quoniam renuntiare est difficile, ac veritatem nudam spectare, pro illis maiori longe virium contentione, quam pro veritate certa, sed ab istis externis commodis seiuncta, decertatur. Transfertur studium hoc etiam ad facta, quorum veritas fide dignorum scriptorum testimonio constare debet, sed si quæ etiam sunt, quæ hoc caractere haud insignita, nihilo tamen minus firmiter tenentur, ac adversus quosvis, qui fidem illis non substringunt, acriter defenduntur, non alia de causa, quam quoniam periculum est, ne labascente certitudine, de ipsis etiam commodis multum dederatur. In hunc censum, an præsens etiam referenda sit disceptatio, penes B. L. esto iudicium: nos nostri memores officii, succincte tantum exhibebimus, quæ Cel. Auctor multa industria & sollicita cura conquirit.

S. Barnabam ex partibus orientalibus in Italiam adventasse, ac speciatim Mediolani doctrinam salutarem adnuntiasse, ibidem cæcæ hominum, Christo sancta religione devotorum, primum omnium collegisse, constanti fama, a longis retro temporibus, continua serie transmissa, Mediolanensibus firmiter est creditum. Enimvero, non defuerunt in ecclesia pontificia, nec illi quidem homines vulgares, sed rei literariæ publicæ proceres, magna doctrina instructi, *Mabillonius, Papebrochius, Tillemontius, Bacchinius*, qui hanc Mediolanensium gloriam agnoscere noluerunt, palam professi, quidquid huius sit traditionis, id nullo plane niti fundamento, quin illud omne in fabularum numerum esse reiiciendum. Mediolanenses, veriti,

riti, ne tantorum hominum professione, gloriæ suæ irreparabile damnum adferretur, circumspexerunt viros eruditos, qui causam suam, adversariorum armis haud parum labefactatam, tutarentur, & contra omnem impetum communirent. Equidem provinciam hanc iam occupaverat *Nicolaus Sormannus*, collegii Ambrosiani doctor, in commentatione, de *origine apostolica ecclesiæ Mediolanensis, a S. Barnaba Apostolo deducta*; quæ quidem a doctrina & styli venustate se eruditus probavit, non tamen omnibus, quod ad summam causæ, facere satis iudicabatur. Huic igitur moli humeros subdidit vir eruditissimus, multisque ingenii ac doctrinæ monumentis conspicuus, *Ios. Antonius Saxius*, cuius vindicias iam præ oculis habemus. Ad hunc *Gabriel Comes Verrus*, litteras, opusculo huic præmissas, dedit, quibus putat, si vel argumenta nulla expromi possint, nihilo tamen minus Mediolanenses posse diuturna se possessione tueri; ad tantas tamen incitas res civium suorum nondum redactas demonstrasse Saxium, cuius doctrinam multis encomiis prosequitur. Ipsum opusculum hoc VIII. absolvitur capitibus. Posteaquam Cap. I. traditionem de adventu Barnabæ, ac fundatione ecclesiæ Mediolanensis, enarrasset, significat, cum hoc superioribus temporibus pro certo sit creditum, Seculo demum XVII. labente, & ineunte hoc nostro, inventos fuisse viros litteratissimos, quos modo nominavimus, qui omnem arietem admoverint, quo gloriam hanc civium suorum everterent, totam traditionem commentis adnumerantes. Non quidem ita est arrogans, A. ut illam tamquam oraculum aut canonem venditet: *antiquissimam* tamen illam esse, & continua annorum serie ad posteros traditam, adseverare nullus dubitat. Cap. II. traditionem eam *vere antiquissimam* esse adstruere nititur. Quod cum negent *Tillemontius, Bacchinius*, alii, causati, esse hoc inventum recentiorum, ad decus urbi conciliandum excogitatum, A. ex opusculo *de situ civitatis Mediolani*, publicato a *Muratorio*, probat, Sec. saltem VIII. omnium ore iamdum vulgatam fuisse. Hic cum subiungat, *ex diversis utriusque lingue paginis id se collegisse*, ad anteriora tempora ascendendum esse colligit

Pag. 7-13. Noster; licet ob ingentes tenobras, & scriptorum defectum, hic nihil certi sit statuendum. Sunt, qui illam schismati Mediolanensi ortum suum debere censent, quod ab *Angilberto* a. 844. coeptum, per 200. a. duraverit: quo toto tempore ecclesia Mediolanensis obsequio episcopi Romani se subdaxerat. Quod ne tenere suscepisse viderentur, causam interferuisse, ecclesiam suam, non minus ac Romanam, natales suos ad Apostolum reducere posse. Hanc ipsam suspicionem vanam esse, monstrare satagit A. Cap. III. 1) a silentio veterum historicorum, ac Angilberti virtute atque pietate; 2) constanti fide ac observantia successorum Angilberti in sedem Romanam; nisi quod *Anspertus* a Ioannis VIII. obedientia recesserit, monitus tamen ad officium redierit. Quæ Papebrochius de omissione petendi pallii inde ab Angilberto in medium attulerat, A. diluit. Gravissimum telum, quod intenditur, est silentium Ambrosii, qui, nominando priores ecclesiæ Mediolanensis antistites, Barnabam præterit. Hoc ita retundi posse arbitratur Cap. IV. factum id fuisse, quoniam memoria illius in oblivionem iverit, prouti nonnullorum martyrum Mediolanensium, qui tamen cognatos & adfines suos ibi habuerint, memoria, tempore Ambrosii iam interierat. Sed instant, 25-30. aliam rem esse cum martyribus, quorum memoria lapsu temporis exire possit: sermonem esse de ecclesiæ fundatore, cuius utique memoria ipsis sacrosancta esse debuerit, ut illum animæ suo effluere nunquam paterentur. Respondet A. idem Mediolanensibus, quod Cypriis, evenisse, apud quos cum primus pariter doctrinæ cœlestis semina sparsisset, ibi etiam mortuus, memoriam tamen ipsius in tantam abiisse oblivionem, ut extraordinaria quadam revelatione fuerit opus. Alia quoque exempla doctorum ex martyrologiis adducit, quorum tamen memoria, licet primi ecclesiarum doctores fuerint, ita exoleverit, ut non nisi post aliquot seculorum lapsum renovaretur. Adhuc argumentum ducitur ex *Innocentii I.* 30-38. epistola, data a. 416. qua doceatur, non inveniri ecclesias Italicas, Gallicas, Hispanicas, Africanas, Siculas, ac interiacentium insularum, ab Apostolorum aliquo constitutas, sed ab illis, quos

quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores, miserint sacerdotibus. Quo telo quoniam simul Hispani petuntur, qui Iacobum, primum doctrinæ salutaris præconem iactitant, iisdem, quibus illi, Cap. V. militat argumentis: & ne causæ suæ deeset, nec tamen aliquid auctoritati pontificis derogaret, verba ita explicanda autumat, vel *Innocentium tantummodo loqui de strictè dictis Apostolis, quibus S. Barnabas non sit accensendus*; vel Barnabam potestatem prædicandi evangelii a Petro, Apostolorum principe, accepisse, qui proinde *omnium ecclesiarum fundator* dici possit. Pergit, Cap. VI. nomen Barnabæ in antiquo episcoporum Mediolanensium catalogo desiderari. Mabillonius testatur, se quidem nomen eius, sed a recentiori manu scriptum, offendisse: hinc, collato silentio Ambrosii, in illam est ingressus sententiam, opinionem eam, de adventu Barnabæ, sero admodum enatam esse. Auctoritas Mabillonii multos in eandem pertraxit sententiam. Sed nec huic obiectioni, satis validæ, deest responsum: priorem catalogi partem post obitum Frontonis concinnatam fuisse, adeoque Auctorem eius floruisse Sæc. VI; iam vero concessum esse, nullum ante Sæc. VIII. traditionis huius suppetere documentum. Addit, Muratorium alium catalogum, & illum quidem antiquiorem, publicasse, in quo nomen Barnabæ omnino adpareat, eiusque ad urbem adventus describatur. Porro notat, in memorato catalogo non haberi nomen Barnabæ, quoniam in antiquioribus ecclesiarum catalogis tantum exhibeantur nomina pastorum, qui ecclesiis semper adfuerint, non huc illucve commigrarint, quod factum sit ab Apostolis. Sed querat quis, unde igitur Mediolanenses notitiam Barnabæ hauserunt? respondet ex vetustis membranis, annosque codicibus, ex quibus etiam Auctor opusculi, de situ urbis Mediolanensis, profecerit. Nova obiectione petitur ex sermone *Petri Damiani*, oratoris pontificii, præsertim Archiepiscopo & clero Mediolanensi, a. 1059. ex suggestu sacro dicto, quo diserte affirmavit, *Nazarium, Protasium, & Gervasium*, iussu Petri & Pauli Roma Mediolanum migrasse, ut doctrinam Christi publice proponerent: provocans ipsos, ut, si quid ex antiquis scriptis con-

Pag. 38. 43.

43. 51.

- trarium noſſent, id in medium adducerent: ſi minus, auctori-
tatem eccleſiæ Romanæ agnoſcerent. Huic nodum ut ſolveret,
Cap. VII. obſervat, in martyrologiis de horum miſſione altum
eſſe ſilentium, & quæ de Nazario circumferantur, incerta flu-
ſtare fide. Alia deinceps ſubiungit, ex quibus liqueat, Pe-
trum leges hiftoriæ migraffe. In rationes autem inquirens,
quare non in contrarium priſca documenta allegarint, quibus
illum, quod tamen oportebat, mendacii arguere potuerint:
64-72. multa congerit, quæ ad ſcopum nihil facere videntur. Tan-
dem Cap. VIII diſputat, qui factum ſit, ut in urbe Mediola-
nenſi Barnabæ cultus tam ſero exhiberetur. Ex Papebrochio,
gloriæ Mediolanenſium alias inſenſo, obſervat, per longam
ſatis temporis intercapedinem, honore eo caruiſſe Barnabam
in eccleſiis græcis pariter ac latinis, Cypriti exceptis. Igitur
intermiſſionem hanc cultus, Mediolanenſibus vitio dandam
non eſſe, putat; maxime cum de eo ſero admodum ex anti-
72-76. quis monumentis fuerint edocti. A quo autem tempore ea co-
gnoverint, cultum ei publicum fuiſſe dicatum, ſacra ordinata,
illorumque certas leges conſtitutas; neque ſacra hæc ſolum in
urbe, verum etiam per univerſam diœceſin fuiſſe introducta;
76-97. quod ex libris liturgicis A. confirmatum ivit.

*DE ORTHOGRAPHIA COMMENTARIUS, IN GRA-
tiam eorum, qui S. S. D. N. Benedicti XIV. opera recen-
ſent, editus ab EMANUELE DE AZEVEDO,
Societatis Jeſu.*

Romæ, in typographia Palladis, excudebat Nicol. Palearinus,
Conimbricenſis Academiæ pro Romanis Editionibus Ty-
pographus, 1747. 4. mai. plag. 6. Superiorum
facultate.

- Pag. 1. **S**eptem ſunt momenta, de quibus hic loci diſputatur. Agitur
enim de maiuſculis litteris, quando apponendæ; de i & v
conſonantibus, quo modo ſcribendæ; de diphthongorum ſcri-
ptione; de ſyllabarum, cum dictio diſtrahenda eſt, diſiſſione;
de accentibus; de interpunctione; de vocum ipſarum, emen-
data

data descriptione. De maiusculis litteris allegantur: *Dausquius*, in appendice ad c. I. tract. 4. Tom. I. *Sigismundus* a *S. Silverio*, P. III. c. 8. *Sanfovinus*, in præfat. ad *vocabular.* Anonymus ad calcem *Buonmatei* c. 10. p. 85. *Sfortia Pallavicinus* avert. *Grammat.* n. 119. *Bartholi Orthograph* cap. 65. §. 5. *Rogacci Grammat Ital.* p. 5. c. 10. *Salviati avertim* L. III. c. 4. partic. 23. Diphthongos *Priscianus* L. I. de ordine literar. quatuor esse statuit; *Alcuinus* quinque, ae, oe, au, eu, ei; *Alvarus* sex, vi addens in *Harpyia*. De accentibus agunt *Priscianus*, *Capella*, *Despauterius*. *Maigoragus* in epist. qu. 9. *Marcus Corradus* de LL. Lib. II. *Lipsius* de pronunt. c. 20. *Willichius* *pro-* *iod.* c. 8. *Rogacci* cap. I. p. 5. Mala interpunctione *Heracleti* conscriptiones obscurissimas fuisse, tradit *Aristoteles* rhet. Lib. III. c. 5. indidemque pariter obscuritatem antiqua profanarum gentium oracula traxisse novimus: cum, ad quam potissimum orationis partem aliquid verbum esse referendum, ignoraretur. Ita iure, *Cassiodorus*: *distinctiones sensuum grata mente perquirere ac ponere debeatis, sine quibus neque legere quidquam competenter, neque intelligere, pravalemus.* Aliam interpungendi causam *Cicero* adfert, dum de orat. L. III. *clausulas enim, ait, atque interpuncta verborum, animæ interclusio, & angustia spiritus attulerunt.* An apud veteres locum habuerit interpunctio, disceptatur ab eruditis. Habuisse, contendit acriter *Dausquius* tract. 4. allato *Tullii* testimonio pro *Murena*, cum de iureconsultis prolietur, *eos in singulis litteris & interpunctionibus verborum occupari;* & *Seneca* Ep. 40. *nos etiam, cum scribimus, interpungere solemus.* Quin *Suidas* & *Eustathius* asserunt, *Nicanorem*, *Hermix* filium, de interpungendi apud *Homerum* ratione scripsisse, & de ea, quæ inde nascitur, sententiæ diversitate, de puncto præterea generatim, elucubrassè libros sex, quos in epitomen contulit, librum deinde unum de ratione apud *Callimachum* interpungendi. & alia: de quibus *Stigmaticus* dictus, non quod servus esset, sed quod interpunctionis scriptor. *Leges* interpunctionis ipsas ubi spectamus, observari debet, quod *Aristoteles* L. III. *rhetor.* aliique docent, quatuor esse modos, quibus aliqua partes componere possint:

Pag. 5.

9.

11.

12.

possint orationem, si plures sint orationes perfectæ, sive propositiones, sive circuitus: si membra sint eiusdem circuitionis, quæ per se spectatæ perfectum habeant sensum, cui tamen aliquid postea iungitur: si membra, quæ sensum habent imperfectum: membrorum illorum partes minutæ; vel incisa, quorum aliud ab alio, alio quodam modo discrepat. Hic *Marsilius Ficinus, Nic. Perrottus, Io. Tortellius, Valla*, ceterique viri docti, qui de interpunctione, vel instauranda vel revocanda, sedulo cogitarunt, pro media, ut ipsi vocant, distinctione, hoc signum sive posuere; lineam scilicet, ad levam vel dextram paulisper inclinatam, litteræ magnitudinem exæquantem: pro *submedia* punctum geminarunt, capiti extremitati-que litteræ apponentes: in fine punctum idem ut antea retinuerunt. Cum hic usus admodum arrisisset ceteris viris doctis, expositus est, & auctus, ad annum 1512, ut *Lombardellus* sentit, in nostrum illum modum adductus. Caput esse rei, contendit noster, singulorum vocabulorum scriptionem. Sed hic etiam, ut in reliquis præceptionibus, potius cumulat aliorum sententias, ac partim destruit, quam ut certi quidquam ponat. Sic ut operum *Benedicti* correctores nonnunquam incertiores quam antea futuros opinemur, & forte tutius præscriptam alioquin legem secuturos, qua non sibi fingere, sed ex Auctoris codice manu scripto haurire recte scribendi rationem, iubentur. Ad consuetudinem hic referuntur omnia: fundamentum adeo vacillans, ut singulas fere mutetur in horas. Connectamus ergo potius cum derivatione consensionem aliarum linguarum, & magis generalem antiquorum ætatis optimæ scriptorum, non vero nostrorum modo temporum consuetudinem, adversus rariora vitiosaque defendamus. Ita vero cadent Auctoris scrupuli, cessabunt querelæ.





INDEX AUCTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc
Volumine recensentur.

I. *Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.*

Afsemani (Iosephi Simonii) <i>Kalendaria Ecclesie universae.</i>	
Tomus I.	385
D. B. <i>Historia Iuris Publici Ecclesiastici Franco-Gallorum.</i>	
Tomus II.	337
Benedicti XIV. Pontificis Max. <i>Dissertatio de Nicolai IV. Pa-</i>	
<i>pe publico cultu in S. Maria Maiore.</i>	463
a Brixia (P. F. Fortunati) <i>Confutatio Systematis Corn. Iansc-</i>	
<i>nii de medicinali gratia Christi Redemptoris.</i>	676
Buonaccorsi (Georg. Viviani, Marchionis) <i>Antiquitas & Ex-</i>	
<i>cellentia Protonotariatus Apostolici Participantis.</i>	560
S. Epiphanii <i>Commentarium in Canticum Canticorum. Prodit</i>	
<i>nunc primum opera Petri Francisci Foggini.</i>	646
Garampii (Iosephi) <i>de numo argenteo Benedicti III. P. M.</i>	
<i>Dissertatio.</i>	238
Gerdesii <i>Scrinium Antiquarium, sive Miscellanea Groningana</i>	
<i>Nova, ad Historiam Reformationis Ecclesiasticae spectantia.</i>	
Tomus IV. Pars I.	707
Heumanni (C. A.) <i>Nova Sylloge Dissertationum. Pars I.</i>	664
Hofmanni (Caroli Gottlob) <i>Institutiones Theologiae Exegeticae.</i>	
	433
Kennicotti (Beniam.) <i>de conditione textus Hebraici impressi,</i>	
<i>Dissertatio bipartita.</i>	241
Kieslingii (Io. Rudolphi) <i>Historia concertationis Graecorum La-</i>	
<i>tinorumque de Transubstantiatione.</i>	164
Yy yy	Lazari

I N D E X.

Lazari (Petri) <i>Dissertationes selectæ ex Historia Ecclesiastica, de persecutionibus in Ecclesia excitatis, ævo Apostolico.</i>	465
Meerheim (Christ. Ern.) <i>historico-critica de LXX. Interpretum Græca versione, commentatio.</i>	239
Meuckeni (Frid. Ott.) <i>Miscellanea Lipsiensis Nova. Vol IX. Pars IV.</i>	654
Milanes (F. Pius Thomas) <i>de Stabiis, Stabiana Ecclesia, & Episcopis eius.</i>	106
Monlacratii (Mich. Ang.) <i>de Catenis S. Petri Dissertatio.</i>	200
Paciandi (Paul. Maria) <i>de sacris Christianorum balneis.</i>	543
Saxii (Joseph. Anton.) <i>Vindicia de adventu Mediolanum S. Barnabæ Apostoli.</i>	714
Valerius (C. Octav.) <i>de superstitiosa timiditate vitanda.</i>	564
Vielmii (Hieron.) <i>de D. Thomæ Aquinatis doctrina & scriptis.</i>	417
Winckleri (Iob. Diet.) <i>Philologemata Lactantiana sacra.</i>	577

II. Libri Iuridici.

Bachii (Iob. Aug.) <i>Historia Iurisprudentiæ Romanæ.</i>	529
Barthel (Iob. Casp.) <i>Dissertatio de Pallio, una cum iustis vindictis pallii Herbipolensis.</i>	97
Finestres (Iosephi) <i>Prælectiones Cervoarienses, sive Commentarii Academici ad Tit. ff. de liberis & posthumis, & ad Tit. de acquirenda vel omittenda hereditate.</i>	193
Heumann (Iob.) <i>de fontibus & æconomia legum civilium.</i>	638
Mecrmanni (Gerardi) <i>Novus Thesaurus Iuris Civilis & Canonici. Tomus VII.</i>	481
<i>Pandectæ Iustinianæ, in ordinem digestæ, cum legibus Codicis & Novellis, quæ Ius Pandectarum explicant. Tomus III.</i>	673
Pertsch (Iob. Georgii) <i>Tractatio canonica de origine, usu & auctoritate Pallii Archiepiscopalis, cum vindictis sedis Moguntinæ.</i>	101
	Rei-

AUCTORUM.

Reinoldi (Bern. Henr.) *Opuscula luridica, adhuc variora, edita & accessionibus auxit* Ioh. Frider. Iugler. 437

III. *Libri Medici & Physici.*

<i>Academiae Imperialis Petropolitanae Commentarii.</i>	Tomus XIII.	358
	<i>Programma de praemiis a se distribuendis.</i>	573
Aristidis Philoſophi Iatri <i>Physici, Exercitationes binae, ſtudii cauſſa exaratae.</i>		396
Arnoldi Iunioris, <i>Tractatus de Herniis.</i>		267
Bina (Andr.) <i>de cauſſis terrae motuum, praecipue eius, qui in regione, Terra di Gualdo, in Umbria, A. 1751. contigit.</i>		687
Cappelletus (Nicol.) <i>de vulneribus cutis capitis.</i>		538
le Cat <i>de principio actionis muscutorum.</i>		596
<i>Commentarii Physices purae.</i>	Tomus I.	475
van Dœveren (Gualteri) <i>Dissertatio de vermibus intestinalibus hominum, praecipue de tenia.</i>		642
Fantoni (Iob.) <i>Commentariolum de quibusdam aquis medicatis, & historica dissertatio de febribus miliaris.</i>		682
Gleditschii (Iob. Gottlieb) <i>Methodus fungorum.</i>		215
Grafhuis (Iob.) <i>de Colica Pictonum tentamen. Accedit de natura, sede & origine hydatidum disquisitio.</i>		69
Kloekhof (Corn. Albini) <i>de morbis animi ab infirmato tenore medullae cerebri, Dissertatio.</i>		442
Kuhlemanni (Io. Christophori) <i>Observationes quaedam circa negotium generationis in ovibus factae.</i>		172
Leveti <i>Observationes de perfecta curatione plurimorum polyporum, nova methodo, a se inventa.</i>		352
de Mairan <i>Commentatio physica & historica de luce boreali.</i>		289
	<i>Editio altera.</i>	289
Nerucci (Oſtavii) <i>Epistole physico-medicae.</i>		394
Planci (Iani) <i>Dissertatio, an victus Pythagoricus ex solis vegeta-</i>		geta-

I N D E X

<i>getabilibus, utilis fit ad tuendam valitudinem, & ad curandos quosdam morbos?</i>	704
Quadrii (Mariae Iosephi) nova methodus tuto sanandi cancerum occultum.	313
Reghelini (Iani) epistola chirurgica de lesione visus mulieris, consistente in duplicato quovis visionis obiecto, quae post depositionem cataracta secuta est.	213
Rœderer (Iob. Georgii) Elementa artis obstetriciae.	113
Sche'hameri (Güntheri Christoph.) Ars medendi universa. Editit Ernestus Fridericus Burchard. Volumina III.	586
Tozzetti (Iob. Targioni) prima collectio observationum medicarum.	516
Wabst (Christian. Xaverii) de Hydrargyro, tentamen physico-chemico-medicum. Pars prior.	34
Wallerii (Iob. Godeschalci) Regnum Aquarum, Germanice versum & editum a Ioh. Daniele Denfo.	625
Winckleri (Iob. Henrici) Commentatio de avertendo fulminis artificio, secundum Electricitatis doctrinam.	117

IV. Libri Mathematici.

<i>Academia Imperialis Petropolitanae Commentarii. Tomus XIII.</i>	358
Anonymi solutio equationum cubicarum Classis secundae per methodum novam.	453
Ballastii (Felicitis Aloysii) de Viribus Vivis opusculum.	67
<i>Epistola, in qua legem continuitatis in collisionibus corporum servari ostendit, etsi non prius velocitas incipiat exstingui, quam earum primae partes sese contingant.</i>	ibid.
Clemii (Henr. Wilb.) Examen Temporum Mediorum, secundum principia astronomica & chronologica.	651
Euleri (Leonb.) Scientia Navalis. Pars posterior	252
<i>Opusculorum Tomus III.</i>	500
ab Oppeln Introductio ad Geometriam subterraneam, quoad eius theoriam & praxin.	175
	Rolli

A U T O R U M

Rolli (<i>Cælistin</i>) <i>de corporum motu rectilineo & curvilineo, in mediis non resistentibus. Libri duo.</i>	572
Weidleri (<i>Iob. Frider.</i>) <i>Bibliographia Astronomica.</i>	551

V. *Libri Historici, Geographici, &c.*

Abulfedæ <i>Annales Moslemici. Latinos ex Arabicis fecit Io. Iac. Reiske.</i>	308
Anonymi <i>Elogium Friderici Ottonis Menckenii.</i>	46
Bonamici (<i>Philippi</i>) <i>de claris Pontificiarum Epistolarum scriptoribus, ad Bened. XIV. Pont. Max. liber.</i>	133
Buchholz (<i>Sam.</i>) <i>tentamen in historia ducatus Mecklenburgici, cum præfatione A. I. D. Aepiini.</i>	445
Calmeti <i>Bibliotheca Lotbaringica.</i>	231
Celsii (<i>Magn. Olai</i>) <i>Historia Bibliotheca regie Stockholmensis.</i>	186
Coronini (<i>S. R. I. Comitum</i>) <i>Tentamen genealogico-chronologicum, promovenda seriei Comitum & rerum Goritiæ conscriptum.</i>	30
Duraderii (<i>Drog.</i>) <i>Elogia historica virorum illustrium provincie Thymarensis.</i>	617
Georgii (<i>Dominici</i>) <i>elogium historicum Petri Marcellini.</i>	334
Guntheri (<i>Christian. Henr.</i>) <i>vita & res gesta Friderici I. Regis Borussiae.</i>	688
Huygen (<i>Adami</i>) <i>Descriptio originis & incrementorum urbis Duisburgi. Edidit Cornelius Walravius Vonck.</i>	524
de Khevenhüller (<i>Franc. Anton. S. R. I. Comitum</i>) <i>Regum veterum numismata anecdota aut perrara illustrata.</i>	540
Kœleri (<i>Iob. David.</i>) <i>Deliciarum Nummarum Pars XX.</i>	206
Kropff (<i>Martini</i>) <i>Bibliotheca Mellicensis, seu Benedictinorum Mellicensium.</i>	26
Maty <i>Tentamen de charactere magni medici, seu elogium criticum Hermanni Bœrhaave.</i>	169
Menckenæ <i>Bibliotheca index.</i>	240

I N D E X

Minianæ (Ios. Eman.) <i>de bello rustico Valentino</i> , Libri tres. Ex Bibliotheca Gregorii Maiansii.	63
Noodt (I. F.) <i>Accessiones ad illustrandam historiam civilem, ecclesiasticam & litterariam Ducatum Slesvicensis & Holsatici</i> . Sectio I — IV.	407
Pulchii (Sigism.) <i>Diplomatarium Garstense</i> , edidit Erasim. Frœlich.	491
a Seelen (Iob. Henr.) <i>Memorabilium Flensburgensium Sylloge</i> .	234
Zanetti (Bernardinus) <i>de Regno Longobardorum in Italia</i> .	495
Zeni (Apostoli) <i>Dissertationes Vossianæ</i> . Partes II.	380
Ziegelbaueri (Magnoaldi) & Legipontii (Oliverii) <i>Historia rei litterariæ Ordinis S. Benedicti</i> . Tomi IV.	145

VI. Libri Philosophici & Miscellanei.

Abresch (Frid. Lud.) <i>Dilucidationum Thucydidearum</i> Pars prima.	314
<i>Academiae Imperialis Petropolitanae Commentarii</i> . Tomus XIII.	358
<i>de Artibus, deque pictis quibusdam sculptisque tabulis, Lutetiae a. 1748. publico obtutui expositis, observationes</i> .	285
de Azevedo (Emanuel.) <i>Commentarius de orthographia, in gratiam eorum, qui Bened. XIV. opera recensent</i> .	718
Barbierii (Ludov.) <i>Novum Systema de anima bestiarum</i> .	686
Baringii (Dan. Eberh.) <i>Clavis Diplomatica</i> .	1
Biedermanni (Iob. Gottl.) <i>Otia Litteraria</i> . Pars I, cum praefatioh. Laur. a Mosheim.	621
Caryophili (Blasi) <i>Opusculum de veterum clypeis</i> .	424
de Creutz (Frider. Car. Casimir. L. B.) <i>Commentatio de natura animorum</i> . Partes II.	692
Constantini Porphyrogenniti <i>Libri duo de Cerimoniis Aulae Byzantinae</i> . Curarunt Ioh. Henr. Leichius & Ioh. Iac. Keiskius. Tomus II.	49

Differ-


A U C T O R U M

<i>Dissertationes de indole & habitu naturali ac civili monetae, & de principiis contractuum historicis & naturalibus.</i>	219
de Frenay (Petri) <i>Mythologia, seu collectio fabularum Graecarum, Aesopiarum & Sybariticarum, carmine Gallico propositarum.</i> Tomi II.	711
Geddesii (Jacobi) <i>de ratione commentandi, qua usi fuerunt veteres, praecipue Plato, periculum criticum.</i>	552
Hagenbuchii (Ioh. Gasp.) <i>Epistola Epigraphica.</i>	9
Pet. Lotichii <i>Secundi Solitariensis, Poemata omnia.</i> Edidit Petrus Burmannus Secundus. Tomi II.	111
Marchelli (Ioh.) <i>Index criticus Vocum, ab iis qui Latine scribere velint, vitandarum.</i>	319
de Maupertuis <i>Epistola.</i>	282
Menckenii (Frid. Ottonii) <i>Miscellanea Lipsiensis Nova.</i> Voluminis IX. Pars IV.	654
du Molard <i>Dissertatio in primarias tragœdias antiquiores ac recentiores, Electrae titulum habentes, ac singulatim in Sophocleam.</i>	141
<i>Museum Cortonense, a Francisco Valesio, Romano, Antonio Franc. Gorio, Florentino, & Rudolphino Venuti, Cortonense, notis illustratum.</i>	223
<i>Museum Veronense, hoc est, Antiquarum Inscriptionum atque Anaglyphorum Collectio: cui Taurinensis adiungitur & Vindobonensis.</i>	73
Latini Pacati Drepanii <i>Panegyricus, curante Ioh. Arzzenio.</i>	604
Pallavicinii (Antonii) <i>Summa Bibliotheca MStae Fesulanae.</i>	619
Plinii (Caecil. Secundi) <i>Epistole & Panegyricus.</i> Edidit & notis illustravit Ioh. Nic. Lallemand.	40
Reiskii (Ioh. Iac.) <i>ad Euripidam & Aristophanem Animadversiones.</i>	138
Stobæi (Georgii, d: Palmaburgo) <i>Epistola ad diversos, nunc primum in lucem edita.</i>	234
	Ibe-

INDEX AUCTORUM.

<i>Tbesaurus Gemmarum Antiquarum Afriferarum.</i>	606
<i>Tibulli (Albi) que exstant Carmina. Edidit Heynius.</i>	402
<i>Timæi Sophista Lexicon vocum Platoniarum, edidit, illustravit David Ruhnkenius.</i>	534
<i>ab Uffenbach (Zach. Conr.) Commercium Epistolicum, edidit cum vita Uffenbachii, Ioh. Georg. Schelhornius. Volumina II.</i>	518
<i>Virgilii Bucolica, cum translatione Anglica & notis Ioh. Martyn.</i>	177
<i>Vulpii (Ioh. Anton.) divinatio in diptychum eburneum Vaticanum.</i>	273
<i>Wollii (Christoph.) collectio Dissertationum de verbis Græcorum mediis. Editio altera.</i>	414
<i>Zannetti (Hieron. Francisci) Urna Contarena, nunc primum tentata.</i>	661





I N D E X

RERUM NOTABILIORUM.

- A**^A
Abdemon *in* inscriptione. 470
Abulfedæ *Annales Moslemici Latine versi.* 308
Abraxas, nomen summo Deo a Basilidianis tributum. 230
de Absynthii falsi activitate. 397
Academix Perropolitana programma de præmiis a se distribuendis. 573
Academia Perfarum medica. 378
Inter Acus magnetica variationes, & lumen boreale cognatio. 304
de Adolphi VI. Imperatoris cede. 409
Aequationis differentialis solutio. 358. 360
Aequationum cubicarum classis secundæ solutio nova. 453
Aesculapius Esmuna Phœnicibus dictus. 471
de Agnis Dei. 550
Agnum Paschalem num candidum esse oportuerit? 579
de Alcibiade, certaminis curulis Olympici apud Eleos victore. 375
Alexandri VI. Pont. Max. vita. 348
de Alexandro, Epiri rege. 542
Aliensis dies quid & quomodo scribendus? 10
Alytarchi quinam & utrum iidem qui Demarchi? 59
Anaglypha illustrata. 81
de Anima eiusque immortalitate, Plato quid senserit? 686
brutorum novum systema. 559
in Animam medulla cerebri actio. 442
Animi commotiones quodnam momentum actionis maxime excitet? 287
de Animorum natura. 692
de Annii Viterbiensis Antiquitatibus. 682
de Annis solaribus. 652
Lz zz de

I N D E X

<i>de Anticrepusculo.</i>	300	<i>ventus impugnatus & de-</i>	
<i>Apostolicorum Protonotario-</i>		<i>fensus.</i>	714
<i>rum historia.</i>	560	<i>Barthel (lob. Casp.) notatus.</i>	98
<i>Aquarum classes, ordines, ge-</i>		<i>refutatus.</i>	
<i>nera, examen.</i>	635		101
<i>de Aquis quibusdam medica-</i>		<i>de Basilidianis gemmis.</i>	611
<i>tis.</i>	682	<i>Batavæ historia scriptores non-</i>	
<i>Aquinatis Thomæ) doctrina</i>		<i>nulli.</i>	525
<i>& scripta.</i>	417	<i>Benedicti III. Pont. Max. nu-</i>	
<i>Arabica studia commendata.</i>		<i>mus declaratus.</i>	328
	308	<i>bi-</i>	
<i>de Archelao, Macedonum re-</i>		<i>storia, eiusque & anteceden-</i>	
<i>ge.</i>	541	<i>tium Pontificum chronota-</i>	
<i>Arzenius (lob.) notatus.</i>	604	<i>xis illustrata.</i>	329
<i>de Arfame, rege Persiæ.</i>	541	<i>Benedictini Ordinis historia</i>	
<i>Alsemanus (lob. Simon.) nota-</i>		<i>litteraria.</i>	145
<i>tus.</i>	394	<i>sodales</i>	
<i>Astiferarum gemmarum ike-</i>		<i>doctrina illustres.</i>	157
<i>saurus, & genera sex.</i>	608	<i>Bibliothecæ regie Stockhol-</i>	
<i>Astronomica bibliographia.</i>		<i>mensis historia.</i>	186
	552	<i>Bibliotheca Fesulana manu-</i>	
<i>ex Athleticis Antiquitatibus</i>		<i>scripta.</i>	619
<i>quædam.</i>	376	<i>Bœrhavii (Herm.) clogium cri-</i>	
<i>Augustæ Apothecis in mar-</i>		<i>ticum.</i>	170
<i>more.</i>	614	<i>de Boreali luce commentatio.</i>	
			289
B	B.	<i>Bougeri & Euleri Tractatus</i>	
<i>ach (lob. Aug.) laudatus.</i>		<i>de scientia navali compa-</i>	
	529. 533. 534	<i>rati.</i>	267
<i>de Balneis Christianorum sa-</i>		<i>de Brutorum anima novum</i>	
<i>cris.</i>	543	<i>systema.</i>	686
<i>in genere.</i>	546	<i>de Burignonia (Anton.) qua-</i>	
<i>Balneorum tepidorum usus in</i>		<i>dam.</i>	408
<i>cura variolarum.</i>	395		
<i>S. Barnabæ Mediolanum ad-</i>		C.	C.
		<i>in diplomatum antiquo-</i>	
		<i>rum</i>	

RERUM NOTABILIORUM.

<i>rum fronte positum quid no-</i>	<i>de Christianorum veterum</i>
<i>ret?</i> 5. 6	<i>balneis sacris varia.</i> 543
Cancris sanandi nova ratio.	<i>fortibus.</i> 616
	Circuli peripheria mechanice
Candidati milites unde dicti?	<i>dupliciter rectificata.</i> 364
	Citiæ inscriptiones. 468
<i>in</i> Canticum Canticorum	Clerici cur contemnantur? 236
Commentarius Epiphaniæ,	Cluverus (Iob.) plagio litera-
primum editus. 646	<i>rio absolutus.</i> 412
<i>de</i> Capitis cutis vulneribus.	<i>de</i> Clypeis antiquorum popu-
	<i>lorum memorabilia multa.</i>
Caroli, Cardinalis ac Episcopi	
Argentoratensis, vita. 207	424
Caroli M. in urbem Romanam	Colica, Pictonum inprimis, de-
iur. 340	<i>scripta.</i> 69
Castiodori Epistolæ emenda-	<i>de</i> Combinationibus observa-
tæ. 58	<i>tiones analytica.</i> 361
<i>le</i> Cat premio condecoratus ab	Cometarum coma. 294
Academia Prussica. 596	Contrafluum fons quinam?
<i>de</i> Catalepti. 517	222
Cataracta oculi quæduplex? 213	Constantini Porphyrogeneti
<i>depressa, duplicatur</i>	<i>Ceremoniale editum, latine</i>
<i>obiectum visionis.</i> 214	<i>versum, & illustratum.</i> 49
<i>de</i> Catenis D. Petri relatio.	<i>eius Codex Uffenbachianus.</i>
	520
Caudati homines. 284	<i>de</i> Corporum descensu super
Cerebri medulle infirmatus te-	<i>plano inclinato aspero.</i> 366
<i>nor, causa morborum ani-</i>	Corporum flexibilibus motus.
<i>mi.</i> 241	515
<i>de</i> Cerere quedam. 80	<i>motus rectilineus.</i>
<i>in</i> Charitonis loca emendatio-	572
<i>nes.</i> 316	Cortonæ urbis antiquitas, no-
Chirurgiæ idea generalis.	<i>mina & historia.</i> 223
	Cortonensis Musei descriptio.
594	224
Christiani Musei condendi	<i>de</i> Courayerii (Petri Franc.)
<i>consilium.</i> 94	<i>Theologia.</i> 670
	Cre-

I N D E X

Crebillonii <i>Electra</i> notata.	<i>gædia sub censuram vocata.</i>
144	141
Criticam <i>Vet. Test.</i> quam	Electricitas num <i>caussa</i> lumi-
ad hoc fata manserint? 241	nis borealis? 292
Crucis mortem cur <i>Christus</i>	Electricitatis cum fulmine co-
subierit? 583	gnatio. 118
Curtus navium obliquus. 266	gnomon a Rich-
	manno adhibitus. 119
D.	Epigrammata in balnea <i>Nea-</i>
D. Dannemarcico fonte me-	politana. 544
dicato. 638	Epiphani Commentarius in
Diplomatices utilitas & scri-	Canticum Canticorum, pri-
ptores.	mum editus eique vindica-
Diplomata vetusta quomodo	tur. 646
corrupta? 7 8	Episcopi fons, & in eum epi-
Diplomatarium monasterii	gramma ac pictura. 544
Garstensis. 491	Epistolicum commercium <i>Uf-</i>
Diptychi Vaticani explicatio	senbachii. 518
nova. 273	Epistolæ <i>Georg. Stobæi de Pal-</i>
Diptychon <i>Divionense</i> & <i>Ti-</i>	maburgo, nunc primum edi-
gurinum illustratum. 20. 21	ta. 234
Dolichenus <i>Jupiter</i> unde di-	Epistolæ <i>Maupertuisii.</i> 282
ctus? 81 — 83	Epistolarum Pontificiarum
Duisburgi historia. 525	scriptores, sub censuram vo-
	cati. 133
E.	de <i>S. Eucharistia doctrina Ec-</i>
Ecclesiæ Evangelicæ merita	clesiæ Evangelicæ. 399
in studium <i>Script. Sacræ.</i>	Euleri & <i>Bougeri</i> <i>Scientia na-</i>
433	valis comparata. 267
de Ecclesiæ Gallicæ iuribus.	Euleri & <i>Mairanii</i> <i>sententia</i>
337	de luce boreali. 291
de Ecclesiæ Slavicæ <i>Kalenda-</i>	Euripidearum <i>tragædiarum</i>
riis. 385	censura. 138
Eclogæ <i>Virgilii, Anglice ver-</i>	locus correctus. 140
se & illustrata. 177	de <i>Exegesi Script. S. histori-</i>
Electræ nomen gerentes tra-	ca. 665
	Exe-

RERUM NOTABILIORUM.

Exegeſ. Theologica inſtitu- tiones recentes.	433	Gandſapora, Perſarum quon- dam Academia medica.	378
F.		Garſtenſis monaſterii diploma- tarium.	491
Fabula de Iobanna Papiffa convellitur.	211. 329	Gemmarum aſtriferarum ibe- ſaurus.	606
de Fabulis varii generis.	711		ſex ge- nera. 608
de Febribus miliariis.	682	de Gemmis Baſilidianis.	611
Fefulanæ Bibliotheca Mſe. ſumma.	619	circa Generationis negotium obſervationes in ovibus fa- cæ.	172
de Ficu Ruminali, Romulum & Remum tegente.	231	Gentilitia nomina Romanorum illuſtrata. II. 12 16 18. 19	
Flensburgenſis urbis hiſtoria & deſcriptio.	235	de Gentic, Illyrici rege.	542
Flensburgenſium rerum me- morabilia collecta.	234	de Geographicis mappis perfi- ciendis.	370
de Fluidi nervi natura & proprietas.	598	Geometricæ ſubterranea ſum- ma capita.	175
Fœtus poſt ſexageſimum diem intra cineres incorruptus ſervatus.	395	Germanorum in Iuriſpruden- tiam elegantioreſ merito.	437
Fons Epifcopi cum picturis.	544	de Glandulis renalibus Euſia- cbii.	374
Friderici I. Regis Borufforum, hiſtoria.	688	Goritiæ hiſtoria in compen- dium miſſa.	32
Fulminis avertendi ratio, ſe- cundum doctrinam electri- cam.	122	Goslaria quando monetas cu- dere cepit?	205
Fungorum genera, ſpecies, va- rietates.	215	Græca vocabula diverſimode in libris ſcripta.	50. 88
G.			& phraſes illuſtrata. 52 60 61. 79 80 86. 87. 140. 315 416
Gallicæ Ecclæſiæ ius eccleſia- ſticum.	337	426 432. 535. 559. 584. 657. 658. 659. 670.	
Gallorum pictores, ſculptores, ſpectacula.	287	Lz zz 3	de

I N D E X

- de Græcæ Ecclesiæ statu ho-
dierno. 165
- Græci scriptores diversi illu-
strati. 317. 536. 552
- in Græcia cur pingendi scul-
pendique ars floruerit? 286
- de Græcorum verbis mediis
variorum opuscula. 414
- Græci pro histrionibus. 87
- de Gubernaculi navalis æstima-
tione. 262
- de Gassavi Adolphi cæde. 413
- H** II.
- de Hebræi Codicis S. Far.
Lect. & MSis. 243
- Hebræicæ voces & phrasæ ac-
clarate. 222. 249. 429.
431. 579. 580. 622. 668
- Hebræica lingua Phœnicicam
illustrant. 469
- de Hereditate & Heredibus
varia iuris capita. 194
195. 197
- Herniarum natura, divisio,
curatio. 267
- Hesychii loca illustrata & cor-
recta. 318
- Heumannus (Chr. Aug.) lau-
datus. 672
- S. Hieronymus num Damasi
Pontificis Secretarius fue-
rit? 137
- in Hippocratis locum quen-
dam animadversiones. 538
- Hirundines tempore hiberno
quid agant? 478. 479
- ad Historiam Reformationis
Ecclesiasticæ spectantia.
707
- Hollatiæ ducatus historia il-
lustrata. 407
- Homeri apud veteres summa
auctoritas. 443
- Horologia slavica promie ac-
linandi, methodus. 369
- Vox, Hungari, ex, Humno-
Ogari, formata. 392
- Hungari utrum Myscovita-
rum præpago? ibid.
- Huani quædam Pannoniam in-
gressi sint? 392
- Hydatidum natura & origo.
73
- Hydrargyri notitia amplissi-
ma. 34
- de Hydropisi, & cantharidum
in ea usu. 518
- Hydrops sacculus ovarii mu-
liebris. 517
- I** I.
- Corn. Iansenii systema expli-
catum & refutatum. 676
- Iao ex Iehova effectum. 230
- pro Immaculata conceptione
Virg. Mariæ pugnatur. 564
eius dogmatis historia. 568
- de Inclinatione, quam navis a
viribus quibuscumque pa-
titur. 260
- Inqui-

RERUM NOTABILIORUM

Inquisitio an in Germaniam involvenda? 237	de Kalendariis Ecclesie Slavi- ca. 385
Inscriptio Basilidiana myste- rium continens. 230	
Inscriptiones Græcæ & Ro- manæ explicatæ. 10. 11q. 84 11q. 230	L.
ta. 13. 14 1q. 15. 85. 86. 92. 108. 109. 230. 470	L. cognominibus præpositum, libertos significat. 16
Civica, exque Phœnicie, illustratæ. 468	Lactantii loca complura illu- strata & explicata. 577
de Interpolatione simplici. 371	interpretationes Scr. S. singulares. 578
de Investitura per baculum & annulum. 342	de Laminarum elasticarum vibrationibus & vibratio- nibus & sono. 364
in S. Iohannis Epistolas obser- vationes. 670	Lapidis philosophorum inven- tio an ex genere δυνάτων? 284
de Iohanna Papiſſa, quam tradunt, fabula ope nomi convellitur. 211. 212. 328	Latinae quedam voces illustra- ta. 178
Judicæ historia ad quod tem- pus recedenda? 238	Latina vocabula que vitanda? 230
Imones in inscriptionibus. 84	de Latinitate Maccaronica. 622
Iuris Civilis & Canonici in- terpretes variores collecti. 481	Leges Iuris Civilis & Cano- nici variè explicatæ. 439 481 532 640
Iuris Civilis leges variè expli- catæ. 439	Legipontii (Oliv) in historiam litterariam Ord. Benedicte. merita. 145
Iurisprudentiæ Romanæ histo- ria elegans. 529	de Legum civilium fontibus & æconomia. 638
Juvenalis locus expostus. 276	Leonis X. Põnt. Max. vita. 350
	de Liberorum iure varia. 193
K.	Litteraria varii argumenti. 622
de Kalendario Protestan- tium. 655	Loco-

I N D E X

Locorum <i>longitudo in mari</i>	<i>de Malorum in navibus consti-</i>
<i>quando invenienda?</i> 284	<i>tutione.</i> 265
Longobardorum regnum in	Manibus <i>extensis precandi</i>
<i>Italia.</i> 495	<i>consuetudo gentilium.</i> 656
Lotharingæ <i>historia littera-</i>	Marcellini (<i>Petri</i>) <i>elogium</i>
<i>ria.</i> 231 sqq.	<i>historicum.</i> 334
Lotichii (<i>Petri Secundi</i>) <i>Car-</i>	<i>de Marcello, Augusti ex foro-</i>
<i>minum editio nova.</i> 112	<i>re nepote.</i> 182
Lucis <i>borealis falso credita</i>	B. <i>Matæ Virginis honori</i>
<i>perpetuitas.</i> 197	<i>quæ festa dicata?</i> 567
<i>comites, arcus</i>	<i>inma-</i>
<i>tres observati, & zona.</i>	<i>culata conceptio.</i> 564
298	Matrimonii <i>caussæ a quo dis-</i>
<i>altitudinem per</i>	<i>cutienda?</i> 343
<i>parallaxes determinandi</i>	Maupertuisii <i>Epistola.</i> 282
<i>rationes.</i> 300	Mecklenburgici <i>ducatu histor-</i>
<i>causa non est</i>	<i>ria.</i> 445
<i>electricitas.</i> 304	Medendi <i>ars universa.</i> 586
<i>eius descri-</i>	<i>de Medicamentis.</i> 594
<i>ptionum diversitas unde</i>	<i>ad Mediolanensem Ecclesiam</i>
<i>orta?</i> 305	<i>adventus S. Barnabæ: tra-</i>
<i>apparitiones</i>	<i>ditio fabulosa.</i> 714
<i>collectæ.</i> 306	Melchior (<i>I. A.</i>) <i>premiu ob-</i>
a <i>Ludewig (Iob. Pe.) defen-</i>	<i>tinet.</i> 623
<i>sus.</i> 491	Mellicensis <i>Canobii historia</i>
<i>in Luna lumen boreale.</i> 303	<i>& codices MSti.</i> 27
	<i>monachi</i>
	<i>eruditi.</i> 28
M <i>assei in edendis inscri-</i>	<i>de Mercurio ægævino.</i> 612
<i>ptionibus antiquis summa</i>	<i>ex Metallis & semimetallis</i>
<i>fides & diligentia.</i> 74	<i>mixtorum factorum densi-</i>
Magneticorum <i>phenomeno-</i>	<i>tas.</i> 375
<i>rum causæ, nova ratione</i>	Menckonii (<i>Frid. Ott.</i>) <i>vita,</i>
<i>explicata.</i> 500	<i>scripta & laudes.</i> 46
Mairani <i>de luce boreali sen-</i>	<i>epi-</i>
<i>tentia laudata.</i> 289	<i>stola postrema.</i> 659. 660
	Minianæ

RERUM NOTABILIORUM.

Minianæ (Ios. Eman.) vita & scripta.	63. 64	Muratorius refutatur.	564
de Monadibus nonnulla.	694	de Musculorum actionis principio, fluido nerveo.	596
de Monasticis votis.	344	Musei Cortonensis descriptio.	223
de Monetæ indole & habitu naturali ac civili.	219	Museum Veronense descriptum.	74
Monumentorum antiquorum, quæ Cortonæ visuntur, catalogus, ex iisque observationes complures.	224		
Morbi animi ex infirmato medulle cerebri tenore.	442	N	N.
de Morbillis anomalis.	517	de Naturæ regnis.	625. 638
de Morbis quedam. Num salutis causa aliqui eorum accidunt?	591	Iuris Naturæ cognoscendi principium.	638
de Morte naturali sententia Sociniana.	401	Navalis scientiæ theoria.	252
Moschorum sive Moscovitarum origo.	390. 391	Navia & ficus ruminalis una eademque arbor.	231
Moslemici Annales ab His. Latine versi.	308	de Nerveo fluido.	598
Motus corporum super plano inclinato aspero & super horizontali.	366	de Nicolai IV. Papæ cultu publico in S. Maria Maiore.	463. 464
oscillatorius.	258. 364	de Nicomede I. Bithyniæ regis.	542
flexibile.	515	Vox: Nudus illustrata.	655
rectilineus	572	Nomi permulti rari & notabiles recensiti & illustrati.	205. 471
& curvilineus.	572	de Numis quibusdam singularibus Samaritanis & Phœnicis.	471
de MSis S. Codicis Hebræi.	245	Numismata regum veterum anecdota aut perrara.	540
Muratorii Thesaurus Inscript. notatus.	77. 78	Numus ad fabulam de Iobanna Papissa delendam iohanneus.	211
		Numus Benedicti III. P. M. illustratus.	328

Λαα αα

Obste-

I N D E X

<p>Ostetricæ artis summa capita. 213</p> <p>de Orbitalium apparentiis. 269</p> <p>de Orthographia quadam. 718</p> <p>Oscillatorius motus. 258 corporum flexibilium. 364</p> <p>Oscula ad sidera proiciendi consuetudo. 656</p> <p>de Ovario muliebri. 517</p> <p>Ovidio quæ causa exilii fue- rit? 232</p> <p>Oxonienſis Bibliotheca custo- des. 522 523</p>	<p>Pacatii Panegyricus editus de novo & correctus. 604</p> <p>Pallii Episcopalis historia. 97 tribuendi po- testatem quomodo sibi arro- gaverint Romani Pontifi- ces? 103</p> <p>Pallium Heribopolitano Episco- po tributum quo iure? 99</p> <p>Pandectæ Iustiniana in novum ordinem digesta. 673 peccata hu- jus editionis in historiam litterariam. 675</p> <p>de voce: Paraphis. 550 551</p> <p>Patriciatus Imp. Rom. Occid. 61</p>	<p>de Pecuniæ indole, habituque naturali & civili. 220</p> <p>de Persecutionibus Christiano- rum. 465</p> <p>de S. Petri catenis, earumque cultu superstitioso. 200</p> <p>Petropolitanæ Academia scri- pta collecta. 358 pre- gramma. 573</p> <p>Phœnicæ inscriptiones & lin- gua. 468</p> <p>Phœnicii numi. 471</p> <p>Physica scripta Academiarum collecta. 475</p> <p>de Pictoribus observationes. 287</p> <p>Picturæ ars cur hodie non ma- gnopere floreat? 286</p> <p>Pilatus quomodo legatus Syriæ dici potuerit? 585</p> <p>Platonicarum vocum lexicon, nunc primum editum. 534</p> <p>Plato quo sine sua scripserit? 554</p> <p>ex Platonicis dialogis memo- ratu digna. 556</p> <p>Plinii Epistola & Panegyricus editi. 40</p> <p>Plinii Epistolarum & Panegy- rici loca illustrata & corre- cta. 41. 42</p> <p>de Poculis astriferis. 617</p> <p>Polyporum species variæ, & curatio nova. 352</p>
---	---	--

de

RERUM NOTABILIORUM.

<i>de Pontificiarum epistolarum scriptoribus.</i>	133	Reinoldi (Bernb. Henr.) <i>opus- cula varia collecta.</i>	436
<i>Pontificum Romanorum ante consecrationem quam potestas?</i>	332	<i>gium criticum.</i>	439
<i>Gallia auctoritas.</i>	339	Reiske (Ioh. Jac.) <i>laudatus.</i>	49. 138. 308. 658
<i>ria illustriora capita.</i>	340	<i>Abilseda annales merita.</i>	309
<i>Portarii quinam?</i>	60	<i>de Remorum actione.</i>	262
<i>de Posthumorum iure varia.</i>	195	Richmannus (Georg. Wilb.) <i>fulmine per electricitatem accito, percussus.</i>	121
<i>de Praefectis urbis quadam.</i>	107	<i>Romanæ Ecclesie dogmata ex monumentis probandi ratio lepida.</i>	90. 91
<i>Praepositi in aula Byzantina quales?</i>	156	<i>Iurisprudentiæ histo- ria.</i>	529
<i>de Principum juribus circa sa- cra.</i>	338. 351	<i>Romanorum clypei & scuta.</i>	425
<i>in Propertii locum quemdam.</i>	276	<i>de Ruminali sicu, Romulum & Remum regente.</i>	231
<i>Protonotariorum Apostolico- rum dignitas & excellen- tia.</i>	560	<i>Rufforum lingua, origo, anti- quitas.</i>	389. 390
<i>Prunicondæ munus religiosum.</i>	80	S.	
<i>Pupillarum dilatatio & con- tractio explicata.</i>	372	<i>Salchow (Ulr. Christoph) premium ab Acad. Petrop. obtinet.</i>	575
Q.		<i>Schelhameri (Guntb. Chri- stoph.) laudes.</i>	587
<i>de Quaternionum S. R. I. origine coniectura.</i>	658	<i>Scholasticæ Theologiæ defensio ieiuna.</i>	424
R.		<i>Scientiæ quedam, quarum in- crementa sperari, nisi ac- cedente principum ope, ne- queunt.</i>	284
<i>Racinius, elegantiarum Grae- carum imitator.</i>	144		
<i>Radicum extractio ex quanti- tatibus irrationalibus.</i>	358		

I N D E X

Scripturæ S. loca explicata & illustrata:			
<i>Genes.</i> III, 12. 20.	251	<i>Eesai.</i> XXII, 13.	666
VI, 3.	578	<i>Jerem.</i> X, 26.	250
XX, 5.	251	XLVI, 3.	431
XXXIII, 19.	222	<i>Thren.</i> II, 15.	666
<i>Exod.</i> III, 18.	251	<i>Ezech.</i> XXVIII, 2.	390
XII, 5.	579	<i>Daniel</i> VII, 7.	581
XVIII, 6.	251	<i>Hosea</i> VII, 5.	666
<i>Levit.</i> II, 11.	80	XIII, 2.	657
<i>Numer.</i> XIII, 22.	251	<i>Iona</i> III, 4. 5.	666
<i>Deuter.</i> XI, 13. 14.	666	<i>Ecclesiast.</i> XV, 17. 18.	680
XXI, 23.	584	XXXI, 10.	ibid.
<i>Iosue</i> XXI, 36. 37.	249	<i>Matth.</i> VIII, 17.	582
XXIV, 32.	222	IX, 33.	315
15.	680	XI, 5.	582
<i>1 Samuel.</i> XXI, 10 — 15.	667	XV, 22 seq.	649
XXIII, 8.	251	XIX, 20. 21.	ibid.
<i>2 Samuel.</i> XXIII, 8.	ibid.	XXIV, 18.	656
<i>1 Reg.</i> XIX, 18.	657	XXV, 36. 38. 43.	44.
<i>2 Reg.</i> XII, 12.	79		ibid.
<i>1 Chron.</i> VI, 68.	250	XXVII, 5.	666
<i>Iobi</i> XXXI, 26. 27.	656	28.	584
<i>Psalms.</i> XVI, 10.	249	<i>Marci</i> II, 7.	315
XXIX.	68	XI, 12. 13. 14.	665
LXXII, 6. 7.	580	<i>Luca</i> I, 25.	315
LXXIX, 7.	230	28.	567
LXXXIX, 3.	666	III, 1.	585
<i>Cobel.</i> VII, 17.	666	V, 4.	416
X, 6.	622	10.	583
<i>Cantic.</i> I, 2. 3. 5. 15.	649	X, 19.	667
II, 8. 9. 11. 12.	650	XVI, 9.	665
III, 1. 7. 11.	ibid.	XXII, 41.	116
V, 4.	ibid.	XXIII, 2.	584
VII, 5.	ibid.	<i>Iob.</i> I, 43.	567
<i>Eesai.</i> XXI, 5.	27	VIII, 6. 8.	668
		XII, 41.	62
		XIV, 26.	671
			<i>Iob</i>

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Iob.</i> XVII, 21.	559	Silentiarum <i>quinam?</i>	59
XVIII, 33 — 38.	666	Slavicæ <i>Ecclesie</i> <i>Calendari-um.</i>	385
XIX, 34.	ibid.		
XX, 31.	583	Slavorum <i>lingua, nomen, origo.</i>	388 lqq.
XXI, 7.	655	<i>migrations.</i>	391
<i>Aetor.</i> I, 18.	666	Slesvicensis <i>ducatu</i> <i>historia illustrata.</i>	407
V, 42.	416		
XVII, 23.	658	<i>de Solis atmosphaera, figura & extensione.</i>	292
28.	559		
<i>Rom.</i> VIII, 35.	656	<i>Solis radiorum vis propellens subtiles atmosphaerae particulas.</i>	296 seq.
XII, 1.	22		
XVI, 3.	465	<i>de Sophoclis Electra varia.</i>	141
<i>1 Corinth.</i> VI, 17.	559		
XV, 28.	ibid.		
<i>2 Corinth.</i> X, 10.	318	<i>de Sphaeroidicorum corporum motu mixto, quo super plano inclinato descendunt.</i>	363
XI, 2.	416		
27.	656		
<i>Galat.</i> III, 13.	584	<i>Stabiarum descriptio, Ecclesie, Episcopi.</i>	106
<i>Philipp.</i> IV, 22.	466		
<i>Coloss.</i> II, 4 8.	665	<i>de Stabilitate navium.</i>	256
III, 9.	416		
<i>2 Timoth.</i> IV, 19.	465	<i>Stobæi (Georgii, de Palmaburgo) epistole primum editæ.</i>	234
<i>Iacobi</i> II, 15.	656		
<i>Hebr.</i> X, 38.	666	<i>vita & scripta.</i>	ibid.
XII, 7.	416		
<i>de Scitis nova quadam.</i>	532		lqq.
<i>Sculpturae ars cur hodie non floreat.</i>	286	<i>idem, quam acerbus & sublevis Protestantium hostis fuerit?</i>	237 lqq.
<i>Scythæ utrum a verbo Schützen dicti?</i>	387		
<i>Seguieri consilium indicem inscriptionum editarum omnium condendi.</i>	94	<i>Stockholmensis bibliothecæ regie historia.</i>	186
<i>de Seleuco Syriae rege.</i>	542	<i>Subterraneæ Geometriae summa capita.</i>	175
<i>de Septuaginta interpretum versione quadam.</i>	239	<i>Succorum ordines & genera.</i>	633
	Aaa aa 3		de

I N D E X.

- de Stolpiano legato quadam.* 623
Suidas & Lexicon Timai in vicem se emendant. 535
- T.**
- de Tania.* 642
Templum ad Vincula, Romæ, quando exstructum? 202
Temporum mediorum examen. 651
de Terræmotuum causis. 687
Themis unde dicta? 622
Theologiæ Exegetica institutiones. 433
 Scholastica iciuna defenso. 424
Thermometri singularis rationes. 372
in Thucydidem explanationes. 314
Thymarensis provincia viri illustres. 617
Tibulli (Albii) editio nova & commendabilis. 402
 loca complura explicata & correctæ. 403
Timæi Lexicon vocum Platoniarum editum & correctum. 534
ad Tit. ff. de liberis & posthumis, item de acquirenda vel omittenda hereditate, observationes. 193
- Tralles (Balth. Ludou.) apologia confutata.* 399
Titulorum Iuris Civilis & Canonici diversorum interpretes. 481
Traectorias reciprocas algebraice inveniendi nova methodus. 511
de Transubstantiatione concertationis inter Græcos & Latinos historia. 164
 sententia Patrum & Conciliorum, item hodierna Ecclesiæ Græcæ. 166. 169
de Trapezuntii Gregorii) Scriptis. 381. 382
Triclinium utrum pro tribunali dicatur? 58. 59
de SS. Trinitatis pictura apud Græcos. 386
de Trisagio quadam Vox: Tuisco & Teutschen unde descendat? 62
 657
- V.**
- Valentini belli rustici historia.* 164
Valentis Imperatoris annus & dies emortuæ. 19
de Laur. Valla quadam. 382
de Varietate lectionis in Vet. Testamento. 243
Variolarum curatio balneis adiuuanda. 395
in Vaticanum diptychum divinatio Vulpis. 273
- Ex

RERUM NOTABILIORUM.

<i>Ex Vegetabilibus folis victus an utilis ad tuendam validitatem & ad iuvandos morbos?</i>	704	<i>de Virium Vivarum mensura.</i>	67. 68
<i>Venedorum in terris Mecklenburgicis historia.</i>	448	<i>Visionis obiectum quodvis, cataracta depressa, duplicatum.</i>	214
<i>Veneta & Slavica lingua eadem.</i>	389	<i>ad Vossium de Scriptoribus Historiæ Italicæ latinis Supplementa.</i>	380
<i>Venti vis in vela navium.</i>	264	<i>Votum sanguinarium pro tutela immaculatæ conceptionis Deiparæ inepte defensum.</i>	564
<i>Vermium in corpore humano diversa genera, imprimis intestinales, & in histena.</i>	642	<i>Urna Contarena explicata.</i>	661
<i>Veronensis Musei laudes & descriptio.</i>	74	<i>de Vulneribus cutis capitis.</i>	538
<i>Versionis LXX. viralis auctores veri.</i>	239. 240	<i>Vulpus notatus.</i>	281
<i>de Vet. Test. Variis Lectionib. & MSis.</i>	243		
<i>de Veterum ratione commentandi.</i>	553	W ^{W.} <i>arburtoni de dialogis Platonici sententia refutata.</i>	556
<i>Uffenbachii (Zach. Conr.) commercium epistolicum.</i>	518		
<i>Vielmii (Hieron.) vita.</i>	418	Z ^{Z.} <i>pro D Graci habent.</i>	88
<i>Vindebonensis Musei descriptio.</i>	90		
<i>Virgilii Bucolica Anglice versa.</i>	177	<i>Ziegelbaueri (Magnaaldi) vita & scripta.</i>	146
<i>multis locis explicata.</i>	178 sqq.		



Errores operarum hi sunt emendandi:

Pag. 1. lin. 19. pro *palestra* lege *palestra*; pag. 52. lin. 5. pro *possim* lege *passim*; pag. 73. lin. 7. pro *hytadis* lege *hydati*; pag. 143. lin. 12. & 13. pro *cum-conturbaret* lege *tum-conturbabat*; pag. 241. lin. 6. post *OF THE* inferre *PRINTED*; pag. 393. lin. 32. dele *se*; pag. 433. lin. 16. lege pro *nominis, nomini*; pag. 463. lin. 27. post *Benedictus* inferre *Nicolai*; pag. 564. lin. 23. inter *contra* & *precipitem* inferre *cenfuram*; pag. 587. lin. 4. pro *E* lege *ET*.

Moniti a Lectoribus, ut tabularum, quibus figurae erant expressae cernuntur, indicem in posterum adderemus, eas quidem, quae sunt huius anni, adscripsimus.

Tabula I ad Mens. Martii Part. I. pag. 119.

II — — Iunii Part. II. pag. 363.

III — — Sept. Part. I. pag. 502.